DE EMPTIONE ET VENDITIONE NEC NON DE EXPENSIS QUAE FIUNT IN CAUSIS CIVILIBUS...

Giovanni Sebastiano Vespignani

DE EMPTIONE ET VENDITIONE

NEC NON

DE EXPENSIS

QUAE FIUNT IN CAUSIS CIVILIBUS

VARIAE CONSULTATIONES

JOANNIS SEBASTIANI VESPINIANI

J. C. IMOLENSIS

ADDITIS

TRIBUS DOCTISSIMIS CONSULTATIONIBUS CIRCA MATERIAM IMMUNITATIS ECCLESIASTICAE ET CENSURARUM

ALEXANDRI FIDELIS

EPISCOPI AESINI.

IMOLAE

EX TYPOGRAPHIA GALEATI

1835.

EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

ANTONIO DOMINICO GAMBERINIO

S. R. E. CARDINALI

AB INTIMIS STATUS NEGOCIIS

ADJUTORI

FELICITATEM.

Ubi primum Joannis Vespiniani praeclarum de emptione et venditione opus *denuo evulgandum curavimus, in id intendimus animum, ut Auctoris fama quam latissime percrebrescente patriae honori et gloriae consuleretur, atque adolescentes ejusdem exemplo, doctrinisque allecti et incitati in jurisprudentiae studia impensius diligentiusque incumberent.*

Quod quidem consilium si cunctis, TIBI vel maxime, EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS, probatum fore confidimus. Jamdiu enim intelleximus, quantum TIBI curae semper fuerit et Patria nostra charissima, et majorum nostrorum gloria, qui non modo liberalibus artibus, optimis severioribusque disciplinis summa cum laude floruerunt, verum etiam quorum nomina in jure dicundo ubique celebrantur. Norunt enim omnes quibus egregiis animi ingeniique dotibus praeditus, quanta omnigenae doctrinae atque eruditionis suppellectile, rerumque peritia instructus, quanta denique integritatis,

fidei, sapientiae et prudentiae illustria documenta dederis, gravissimis in muneribus, quae nullo non tempore obiisti. Hinc Tibi *aditus facile patuit ad amplissimos honores consequendos, et ad illud, impeditissimum ceteroquin et difficillimum quod nunc sapientissime quidem geris, officium.*

Atque hae sunt profecto rationes quibus adducti neminem Te *potiorem habuimus, cui idem opus inscriberemus. Neque dubitandum, quin ea qua praestas animi benignitate et comitate hanc sane tenuem nostri erga* Te *obsequii, gratique animi significationem excipias, quam* Tibi *dudum exhibere vehementissime cupiebamus. Nos denique Sacram Purpuram demississime deosculantes,* Tibi *inter addictissimos perpetuo habeas adprecamur.*

Ex Foro Cornelii idibus Martiis 1835.

Eminentiae Tuae Rm̃ae

Humillimus, Devinctissimus, ac Obsequentissimus Servus
EGNATIUS GALEATI Typographus.

AD LECTOREM

Quamvis post multos labores diu, noctuque passos in facultate legali in animum subierit, menteque sæpe revolverim aliquid scriptum posteris meis relinquere ad hoc, ut si quid esset in me ingenii (quod certe exiguum est) id totum in publicum proferrem commodum, pluriesque inter alias ea in contrarium mihi sese obtulerit animadversio, quod hodiernis temporibus scriptorum pondus, et numerus adeo est auctus, ut contra pruritum, seu rabiem, qua moderni scribentes in edendis voluminibus vexari videntur, magnum obice obtendere videatur illud vulgatum dicterium, - nil scilicet dictum quod prius non fuerit dictum -; his tamen in nihilum obstantibus postremo has meas CONSULTATIONES circa frequentissimas, utilesque Materias Empt., et Vendit., et Expens., quæ fiunt in Causis Civilibus versantes in publicum proferre, typisque mandare decrevi; altius etenim hocce facto perpenso, optime novi malum, et omni ratione destitutum esse consilium eorum, qui eligunt vitam silentio transigere ob numerum scribentium notabiliter auctum; quandoquidem illud est certum quod inveniendis inventa non obstant, quodque ob hujus nostrae facultatis legalis vastitatem semper aliquid dicendum remanet, ex quibus optimis reflexionibus propterea ductus Stephanus Gratianus Jure merito post multos alios exclamavit, quemlibet juris professorem, qui in huiusmodi facultate laboravit, ex quodam

professionis debito mentis suæ conceptus tanquam litterarios foetus in lucem educere teneri, ut est videre in praefat. discept. for. t. 1. n. 70. Eas igitur qualescumque sint, hilari, quo dantur, animo accipias, et si quid boni habebis, laus sit Deo Optimo Maximo aliisque sanctis meis Advocatis, quibus easdem humiliter dicatas vides; si vero propter ingenioli mei tenuitatem errores invenies, amorem tuum enixe deprecor, ut me defendas, ac protegas; animadvertas namque quod summi etiam viri, ac scientiarum vertices errarunt, ut late notat Paulus Rub. in annot. ad dec. 636. n. 91. part. 4. t. 3. rec., quodque (ut quidam ait Scholasticus) licet facile sit epigrammata belle scribere, librum tamen componere difficile est. Vale.

Datum Imolae hac die vigesima prima Junii 1702.

INDEX ARGUMENTORUM

Singularum Consultationum, quae in prima parte huius Operis continentur.

Argum. Consult. I.

Late examinatur articulus, an emens ex aliena pecunia nomine proprio, vel ex pecunia propria, sed nomine alieno, sibi, vel potius illi, ex cujus pecunia, vel nomine cujus est emptum acquirat, et punctus resolvitur etiam in terminis uxoris ementis ex pecunia mariti nomine proprio, et mariti ementis de pecuniis propriis, sed nomine uxoris; et an in dubio emptio praesumatur facta nomine, et de pecuniis ementis.

Argum. Consult. II.

Quaeritur, an vendens rem habita fide de pretio, caeteris creditoribus emptoris sit praeferendus super re vendita si emptor deficiat in solutione pretii.

Argum. Consult. III.

Venditio quando ad corpus, et quando ad mensuram facta intelligatur, et quaenam differentia cadat inter unam, et alteram, tam quoad diminutionem, vel augmentum pretii, quam circa perfectionem contractus late hic explanatur.

Argum. Consult. IV.

Plene examinatur articulus, an emens rem furtivam eam reddere teneatur Domino etiam sibi non refuso pretio, omnia considerando, quae circa hanc quaestionem regulariter in disputationem veniunt.

Argum. Consult. V.

Quaeritur an vendens cum pacto redimendi intra certum tempus tempore deinde elapso, possit amplius redimere obtinendo huiusmodi facultatem a principe; ulterius aliqua etiam exponuntur circa perpetuationem pacti praedicti ob modicitatem pretii, nec non circa modum hanc concludenter probandi.

Argum. Consult. VI.

Venditione ejusdem rei pluribus personis facta, an primus vel secundus emptor sit praeferendus diligenter hic perpenditur.

Argum. Consult. VII.

Juspatronatus an, et quando titulo venditionis in alium transferri possit, et an Episcopi consensus sit necessarius discutitur in hac consultatione.

Argum. Consult. VIII.

Disputatur in hoc loco an creditor, qui dedit pecuniam pro re emenda, cum reservatione specialis hypothecae super eadem re, sit praeferendus omnibus creditoribus emptoris.

Argum. Consult. IX.

Vendens nomen debitoris, quaeritur an teneatur illud praestare verum, et exigibile; quando dicatur tale; et quando venditor praedictum nomen verum, et exigibile praestare debet, possit ab emptore conveniri etiam non facta prius excussione contra debitorem, et quidem debito tempore, cum aliis circa hanc materiam, de quibus in summario.

Argum. Consult. X.

Agitur hic de venditione rerum litigiosarum, nec non jurium, et actionum incertarum, disputabilium, et pariter litigiosarum.

Argum. Consult. XI.

Diligenter in hac consultatione examinatur quaestio, an periculum rei venditae semper ad emptorem pertineat, vel an etiam aliquando venditorem sequatur.

Argum. Consult. XII.

Latissime tractatur materia laesionis, adducendo modum eam probandi, et judicandi, aliaque notabilia examinando, videlicet an probata laesione in emptoris ar-

bitrio sit optandi, an malit restituere rem pro eodem pretio, quo illam habuit, vel potius illud juste supplere, et quatenus eligat rem restituere, an illam tradere debeat cum omnibus fructibus perceptis, et an omnes obligationes per emptorem super re empta contractae corruant; item an contractus impugnari possit propter laesionem, ubi agitur de rebus mobilibus, vel quando venditor in contractu dixit, et si res quid plus valet donavit, vel stante promissione jurata de non contraveniendo, cum aliis de quibus in summ.

Argum. Consult. XIII.

Dominus census cum sit omnibus aliis praeferendus in emptione fundi censiti, et ad hunc effectum ei denunciari debeat venditio ad formam constit. Pii V. quaeritur, an hoc procedat etiam in venditione ad hastam, et an Dominus Census praelationem praetendere possit super aliis rebus cum fundo censito venditis, cum aliis de quibus in summ.

Argum. Consult. XIV.

Emptor inveniens rem emptam non liberam, veluti quia sit emphyteutica, vel fideicommisso subiecta, vel alteri hypothecata etc. quibus remediis uti possit contra venditorem tam ante, quam post solutionem pretii late hic disputatur, cum aliis, de quibus in summ.

Argum. Consult. XV.

Late, et diligenter examinatur materia fructuum recompensativorum, qui ex aequitate l. curabit C. de act. empt. debentur in contractu empt. et vend. quoties res, et pretium remanet penes unum ex contrahentibus.

Argum. Consult. XVI.

Agitur hic de actione quanti minoris, de qua etiam aliqua dicta sunt in consult. XIV.; nec non late tractatur materia actionis redhibitoriae pro animalibus morbosis, aliisque mobilibus defectuosis repertis emptori competentis.

Argum. Consult. XVII.

Sequitur materia praecedentis consult. multa adducendo circa probationem vitiorum ad effectum redhibendi, et quaeritur etiam an redhibitoria locum habeat pro vitiis animi tantum.

Argum. Consult. XVIII.

Sequitur materia praeceden. Consult.

Argum. Consult. XIX.

Breviter hic examinatur materia emptionis pro persona nominanda, et clare omnia, quae in disputationem veniunt resolvuntur.

Argum. Consult. XX.

Adducuntur substantialia emptionis, et venditionis, ex quibus scilicet contractus ponitur in esse perfecto, et quaeritur an substantialia praedicta conferri possint in arbitrium partium; item aliqua adducuntur de venditione facta ut dicitur con li patti, che li contraenti saranno d' accordo, *cum aliis de quibus in summ.*

Argum. Consult. XXI.

Quaeritur an emptor, qui in causam pretii cum venditore conventi, in se accollavit debita ejusdem venditoris, possit ab eo violentari ad illa extinguenda, et an evicta emptori re empta, adhuc accollatio duret, maxime ubi non agitur de simplici accollatione, sed intercessit delegatio.

Argum. Consult. XXII.

Vendens rem cum protestatione, quod non vult teneri de evictione nisi pro dato, et facto proprio, et quod eam vendit talem qualem etc. an sequuta evictione ex facto alieno teneatur saltem ad pretii restitutionem, et quid si res vendita fuerit, ut dicitur, per un sacco d' ossa.

Argum. Consult. XXIII.

Emptor, qui pro certo pretio rem emit, et in illius solutionem assumit in se onus satisfaciendi omnibus creditoribus venditoris per clausulas amplissimas, an satisfaciendo creditoribus usque ad summam pretii conventi, statim ab obligatione praedicta remaneat liberatus.

Argum. Consult. XXIV.

Multa hic adducuntur circa emptorem, et venditorem haereditatis, scilicet an emptor teneatur erga creditores haereditatis ultra vires haereditarias, si inventarium non confecerit; an et quando invitus conveniri possit a dictis creditoribus. Et an haereditate in genere vendita, venditor teneatur de evictione, cum aliis de quibus in Summario.

Argum. Consult. XXV.

Quaeritur quid, et quantum in venditione rei ex. gr. Domus, Equi, Fundi etc. comprachendatur.

Argum. Consult. XXVI.

Late hic disputatur an, et quando fructus rei emptae ad emptorem, quando vero ad venditorem pertineant.

Argum. Consult. XXVII.

Examinatur, et resolvitur casus, an creditor emens ad hastam licitando a Judice vendente ad instantiam creditorum bona debitoris, sit tutus a jure offerendi si tanquam tertius ad dictam emptionem accesserit, cum insertione allegationis doctissimi viri Domini Hieronymi Palmae Nepotis patritii Lucensis, in qua multa habentur circa materiam juris offerendi.

Argum. Consult. XXVIII.

Agitur in hac Consultatione de Procuratore ad emendum, vel vendendum constituto, et multa scitu digna circa hanc materiam exponuntur.

Argum. Consult. XXIX.

Emptor solvens pretium rei emptae creditoribus anterioribus venditoris etiam sponte, an sit tutus a posterioribus etiam non reportata cessione jurium; et quid si solutio esset facta partim anterioribus, et partim posterioribus creditoribus, vel ipsi venditori, qui deinde creditoribus solveret, et an emptor in hoc casu obnoxius sit juri offerendi, cum aliis circa hanc materiam, de quibus in Summario.

Argum. Consult. XXX.

Emptor quando debeat esse sollicitus de versione pecuniae in causam, ob quam facta fuit venditio resolvitur in hac Consultatione.

Argum. Consult. XXXI.

Late examinatur quaestio an jus praelationis competat vicino consorti, aliisque similibus super re vicina, vel communi vendenda, aut vendita, et alia quoque adducuntur circa materiam praelationis.

Argum. Consult. XXXII.

Plures in hac Consultatione adducuntur casus, in quibus quis cogi potest ad vendendum, et ad emendum.

Argum. Consult. XXXIII.

Ponderantur hic non nulla circa thesaurum in fundo empto repertum, et signanter, an emptori, vel venditori acquiratur.

Argum. Consult. XXXIV.

Resolvitur dubium in hoc loco, utrum venditio de tanta rata, et parte certi, et specificati fundi, quae ex. gr. ascendat ad scuta centum de jure sustineatur, et an ex ea transferatur dominium, ac possessio in ementem.

Argum. Consult. XXXV.

Examinantur fuse solemnitates, et requisita, quae in venditionibus bonorum ad pupillos, et minores spectantium sunt necessaria, et aliqui etiam adducuntur casus, in quibus praedictae solemnitates non requiruntur.

Argum. Consult. XXXVI.

Venditio rerum Ecclesiae, quaenam ad ejus validitatem requirat, et an supposita nullitate venditionis, si Ecclesia eam ratam habere nolit, possit rem vendicare una cum fructibus a die celebrati contractus late in hac consultatione examinatur.

Argum. Consult. XXXVII.

An, et quando emptor stare debeat locationi per venditorem factae breviter discutitur, et ventilatur.

Argum. Consult. XXXVIII.

Quaeritur an, et quando bona empytheutica citra poenam caducitatis vendi, et alienari possint irrequisito dominio directo, et aliqua etiam indicantur circa venditionem eorumdem bonorum ad praejudicium successorum.

Argum. Consult. XXXIX.

Explanatur difficultas an, et quando venditio plurium corporum censeatur unica venditio, et quando tot venditiones dicantur, quot sunt corpora vendita, et denique consideratur differentia inter unum, et alterum casum.

Argum. Consult. XL.

Consideratur in hoc loco, an pactum seu promissio de non vendendo rem nisi certae personae, validum, et subsistens sit, et quando in vim illius promissario competat praelatio.

Argum. Consult. XLI.

Adducuntur multa circa materiam evictionis, de quibus in summario.

Argum. Consult. XLII.

Breviter resolvitur difficultas, an venditione facta a pluribus, quilibet eorum in solidum teneatur de evictione, vel potius unusquisque pro rata, cum aliis de quibus in summario.

Argum. Consult. XLIII.

An venditor possit in pactum deducere,

quod res vendita sit specialiter hypothecata certo creditori emptoris, ad hoc, ut aliis anterioribus praeferatur, et an hoc sit pariter concessum emptori clare hic deciditur.

Argum. Consult. XLIV.

Deciditur dubium, an vendens foenum, herbam, et similia pastori pro pascendis, seu alendis animalibus, habeat privilegium praelationis super iisdem animalibus adversus alios emptoris creditores.

Argum. Consult. XLV.

Quaeritur an, et quando pater vendere possit bona adventitia filiorum, et an illis venditis contra filios currat praescriptio.

Argum. Consult. XLVI.

Disputatur in hac consultatione, an emptor, qui permisit rem emptam penes venditorem permanere per quadraginta annos possit hoc non obstante, agere pro d. rei traditione, et an venditor precise cogi possit ad eam tradendam.

Argum. Consult. XLVII.

Emens ab Ecclesia, vel persona ecclesiastica, non tenetur pro hujusmodi contractu solvere gabellas, stante statuto de hujusmodi gabellis solvendis.

Argum. Consult. XLVIII.

Late hic examinatur quaestio an venditio pro pretio declarando, seu concordando sustineatur, nec ne.

Argum. Consult. XLIX.

Deciditur in hac consultatione illa brocarda, et quotidiana quaestio utrum scilicet mulieres una cum viris suis vendentes transferant Jura sua dotalia in emptorem, vel potius ad contractum accedere censeantur ad solam cautelam emptoris, ut scilicet sit tutus a molestiis, qua ipse pro suis dotibus ei inferri possent; et ulterius resolvitur dubium, an pervenientibus bonis venditis ad maritum ex nova causa reincidant in hypothecam dotalem uti prius.

Argum. Consult. L.

Fideicommissarius haeres universalis gravati defuncti, potest revocare alienationes bonorum fideicommissariorum ab eodem gravato nulliter factas.

Argum. Consult. LI.

Agitur hic de materia melioramentorum emptori reficiendorum quando res empta ad venditores redit, vel ex eo quod contractus rescindatur propter laesionem, vel ob nullitatis vitium, vel ex eo, quod venditor sibi reservaverit dominium super re vendita usque ad solutionem pretii, sed ex. gr. ob impotentiam solvendi consenserit emptor rem ad venditorem redire, et quid si res emptori evincatur, cum aliis casibus de quibus in Summ.

Argum. Consult. LII.

Pro dote constituenda feminae descendenti tam primi, quam ulterioris gradus, nec non pro ea reconstituenda permissum est ad venditionem bonorum fideicommissariorum devenire, hocque ampliatur multis modis, ut in Summario; et quid dicendum si venditione sequuta praetendatur a fideicommissariis, quod bona libera, vel fructus de tempore venditionis existerent, et suppeterent.

Argum. Consult. LIII.

Contractus emptionis, et venditionis cum pacto retrovendendi est permissus de Jure Divino, Canonico, et Civili, et sustinetur etiam si res vendita immediate locetur venditori, nisi tamen concurrat modicitas pretii, quae debet esse ultra dimidiam, et habita ratione ad onus praedictum, aut aliae conjecturae concurrant, quae tamen sunt elidibiles per alias conjecturas contrarias, cum aliis circa hanc materiam.

Argum. Consult. LIV.

Pulcra, frequens, et admodum, disputabilis quaestio in hac Consultatione deciditur, et est, an venditione ad hastam instantibus creditoribus jam perfecta, et possessione emptori tradita novus, et major sit admittendus oblator ob favorem, et interesse creditorum.

Argum. Consult. LV.

Quaeritur breviter an per alienationem rei legatae censeatur revocatum legatum, nec ne.

Argum. Consult. LVI.

Uxor post mortem viri habet optionem agendi, vel contra ejus haeredes, vel contra emptorem, et possessorem fundi dotalis a marito venditi, si fundus dotalis traditus fuit inaestimatus, quinimmo actione utili, et in subsidium contra dictum tertium possessorem agere potest etiam si fundus traditus fuerit aestimatus.

Argum. Consult. LVII.

Quaeritur an praesens venditioni rei pro-

priae, et non contradicens sibi praejudicet, et agitur etiam de venditione rei alienae.

Argum. Consult. LVIII.

Examinatur in hac Consultatione articulus, an propter moram emptoris in re recipienda, et pretio solvendo, locus sit resolutioni contractus, et multa circa dictam moram docentur, cum aliis de quibus in Summario.

Argum. Consult. LIX.

Resolvuntur in hoc loco difficultates, an emptio facta a patre insimul cum filio integraliter patri spectet, et an acquisitio facta a socio nomine particulari, sed ex pecuniis socialibus jure communi et pro negotio facta dicatur.

Argum. Consult. LX.

Miscellanea de Emptione, et Venditione.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE
VARIÆ CONSULTATIONES
Joannis Sebastiani Vespignani

J. C. IMOLENSIS

PARS PRIMA

ARGUMENTUM

Late examinatur articulus an emens ex aliena pecunia nomine tamen proprio, vel ex pecunia propria sed nomine alieno sibi, vel potius illi ex cujus pecunia, vel nomine cujus est emptum acquirat, et punctus resolvitur etiam in terminis uxoris ementis ex pecunia mariti nomine proprio, et mariti ementis de pecuniis propriis sed nomine uxoris; et an in dubio emptio praesumatur facta nomine, et de pecuniis ementis.

SUMMARIUM

1. *Emens ex aliena pecunia nomine tamen proprio regulariter sibi acquirit.*
2. *Et hoc adeo est verum ut res empta nec minus cadat in hypotheca ad favorem ejus, cujus est pecunia.*
3. *Sed illi solum venit refundenda pecunia.*
4. *Et conclusio procedit etiam in terminis uxoris ementis ex pecunia mariti nomine tamen proprio.*
5. *Nec non etiam in terminis mariti ementis ex pecuniis dotalibus nomine proprio.*
6. *Socius tamen omnium bonorum si nomine proprio acquirit, tenetur hoc non obstante rem cum aliis sociis communicare.*
7. *An autem res acquisita sit societatis judicio communicanda, vel ipso jure incidat in communionem, resolvitur quod nisi societas sit contracta cum pacto quod omnia tam acquisita, quam acquirenda sint communia in dominio et possessione res venit judicio societatis communicanda.*
8. *Adducitur differentia inter unum, et alterum casum.*
9. *Emens ex pecunia ecclesiae, piae causae, militis, pupilli, furiosi, et similium rem sibi libere non acqui-*

rit, etiam si sit stipulata nomine proprio, sed probata identitate pecuniae datur dictis personis hypotheca cum praelatione adversus alios creditores anteriores.

10. *Immo in eorum arbitrio est petere pecunias, vel res sua pecunia emptas.*

11. *Haeres gravatus emens cum pecunia haereditaria pro se, et haeredibus sibi non acquirit libere, sed haereditati, si habet praeceptum a Testatore pecuniam investiendi ad commodum haereditatis.*

12. *Stipulatio enim nomine proprio haeredis in hoc casu intelligitur tantum pro tempore quo ipse rem possidere debet.*

13. *Secus si haeres dictum praeceptum non habeat, quia tunc rem emptam sibi acquirit.*

14. *Licet emptum, ex pecunia dotali non efficiatur dotale si maritus emens stipulavit nomine proprio ut diximus etiam n. 5.*

15. *Tamen efficitur dotale quando maritus dixit emere de pecunia dotali, et mulier fuit praesens, et consensit.*

16. *Item emptum ex pecunia dotali efficitur dotale, ubi ex conventione partium tacita vel expressa hoc colligi potest, et adducuntur exempla.*

17. *Rursus emptum ex pecunia dotali efficitur dotale in subsidium videlicet ubi maritus effectus est non solvendo.*

18. *Quod tamen quomodo procedat declaratur.*

19. *Emens rem spectantem ad aliquam societatem debet illam cum aliis sociis communicare, etiam si societas non esset omnium bonorum.*

20. *Secus vero si res ad societatem non spectet, quia tunc si socius nomine proprio emit sibi acquirit etiam si emptio fiat cum pecunia sociali.*

21. *Habens mandatum ad emendum, si emat nomine proprio, adhuc tenetur explere mandatum, et rem mandanti tradere.*

22. *Ita ut Procurator non liberetur praestando interesse.*

23. *Emens ex propria pecunia nomine alterius non sibi, sed illi cujus nomine est emptum acquirit.*

24. *Et in hoc casu dominium rei emptae dicitur quaesitum ei pro quo fuit emptum, sequuta tamen ratificatione.*

25. *Nec sufficit stipulatio Notarii nomine absentis, sed debet sequi ratificatio.*

26. *Quae tamen quomodo procedant declaratur.*

27. *Maritus emens de pecuniis propriis nomine uxoris uxori acquirit.*

28. *Praesumptio l. Quintus Mutius nullum obicem praestat quando marito praesente sciente, et stipulante mulier acquirit.*

29. *Et in proposito dicta lex operatur solum ut uxor teneatur ad pecuniae restitutionem.*

30. *Maritus non prohibetur emere pro uxore.*

31. *Simulatio non praesumitur, sed est concludenter probanda ab illam allegante.*

32. *Et debet constare de vera vel*

verisimili causa simulandi.
33. *Pro causa simulandi non sufficit praesumptio donationis inter virum, et uxorem, quia est refundenda pecunia marito.*
34. *Emptio in dubio praesumitur facta de pecuniis illius cujus nomine emptio est stipulata.*
35. *Item in dubio praesumitur facta nomine ementis.*
36. *Nisi tamen ex conjecturis aliter colligeretur.*
37. *An autem haec procedant in Administratore, Tutore, Herede, Procuratore, et similibus indicantur Doctores.*

CONSULT. I.

Implorato prius divino praesidio, sine quo omne agens frustra laborat quaeritur primo loco an emens ex aliena pecunia nomine proprio, vel ex propria pecunia sed nomine alieno sibi, vel potius illi ad quem spectat pecunia, vel nomine cujus est emptum acquirat; circa quas inspectiones, ut ordinata methodo procedamus primam in ordine assumendo, nimirum emptionem factam ex pecunia aliena nomine tamen ementis regula in hoc themate constantissime est firmanda, rem emptam regu-
1. lariter, ac certis casibus infra notandis exceptis, spectare ad eum nomine cujus facta est emptio, et hujus rei ea adducitur ratio, quia cum pertinentia pecuniarum tribuat solum jus crediti non autem dominii, ideo non est attendendum de cujus pecunia fuerit emptum, sed cujus nomine emptio sit stipulata, *ut docte edocet Seraph. decis.* 540. *n.* 1., *et decis.* 979. *n.* 1. *Salgad. Labyr. Ered. part.* 2. *cap.* 24. *n.* 6. *Merl. de pign. lib.* 2. *tit.* 1. *quest.* 51. *n.* 24. ubi quod res empta ex pecunia aliena fit adeo propria acquirentis, ut nec
2. etiam cadat in hypotheca ad favorem ejus, cujus est pecunia *idem Merl. lib.* 2. *tit.* 1. *quest.* 4. *n.* 20. ubi quod in
3. hoc casu solum venit refundenda pecunia ei, qui est Dominus *Rot. in rec. decis.* 106. *n.* 1. *part.* 2. *tom.* 1. *et decis.* 344. *n.* 5. *part.* 4. *tom.* 1. *rec. Mart. Vot.* 127. *n.* 3. *et* 4. ubi quod non interest de cujus pecunia ematur, sed cujus nomine ematur. Et in terminis uxoris
4. ementis ex pecunia mariti nomine tamen proprio, quod sibi acquirat, non obstante praesumptione *l. Quintus Mutius ff. de donat. inter virum, et uxor. Textus est apertus in l.* 1. *C. si quis alteri sibi, et animadvertit Paris. cons.* 80. *n.* 25. *lib.* 1., *et Rot. recent. decis.* 434. *n.* 3. *et* 4. *et decis.* 442. *n.* 5. *part.* 5. *tom.* 2. Sicuti e converso de marito emente ex pecuniis
5. dotalibus nomine proprio quod sibi acquirat *habemus Text. in l. ex pecunia* 12. *C. de jur. dot. Andreol. contr.* 50. *n.* 5. *Merl. de pign. lib.* 2. *quest.* 4. *tit.* 1. *n.* 21. *Rota post eundem decis.* 106. *n.* 2., *et in recent. decis.* 91. *n.* 2. *part.* 8.

Casus autem, qui ab hac regula excipiuntur multi enumerari possunt, et primus est quando socius omnium bonorum rem aliquam titulo emptionis nomine proprio acquirit, in hac enim hypothesi certissimum est, quod licet emptio nomine particulari illius socii sit stipula-
6. ta, tamen res empta venit judicio societatis communicanda, nimis enim durum esset quod post contractam societatem praedictam esset in facultate unius ex sociis proprio nomine emendo, alios socios deludere, et cum hac sententia tanquam veriori pertranseunt *Michalor. de frat. part.* 2. *cap.* 8. *n.* 3. 4., *et seq. et Merl. de pign. lib.* 2. *tit.* 1. *quest.* 4. *n.* 6., *et seq.*
7. ubi tamen subdunt rem emtam in hoc casu non fieri communem ipso jure, nisi forsan a principio societatis esset initum pactum inter socios, ut omnia tam acquisita, quam acquirenda essent communia in dominio, et possessione ut ponderat *Merl. loco citato n.* 13., sed volunt ut diximus societatis judicio esse communicandam.

Neque in proposito inutilis censenda est consideratio an bona empta a socio omnium bonorum ipso jure incidant in communionem, vel potius societatis judicio sint communicanda, quoniam ubi bona incidunt in communionem ipso jure tunc
8. socius acquirens post expletam acquisitionem non potest amplius de illis disponere, secus vero quando bona veniunt societatis judicio communicanda, quoniam in tali hypothesi potest socius rem emptam alteri vendere antequam illam communicet, et emptor molestari non poterit ut rationibus, et auctoritatibus expresse docet *Michalor. loco citato n.* 5. *et* 6.

Secundus est casus quando emptio est facta ex pecunia Ecclesiae, piae causae, militis, pupilli, furiosi, et similium, tunc enim ob speciale privilegium dictarum personarum res empta non efficitur libere ementis, sed in eum transit cum
9. tacita hypotheca a jure favore earumdem introducta cum praelatione adversus alios creditores, quod in aliis non evenit *Merlin. de pignor. lib.* 3. *tit.* 1. *quest.* 25. ubi hoc extendit etiam si res esset empta nomine alterius pupilli, *et quest.* 26. 27., *et seq. Gratian. discept. for. cap.* 955. *n.* 8. *et seq.* ubi quod probata identitate pecuniae datur duplex privilegium, et tacitae hypothecae, quae non est in alio, et praelationis contra anteriores creditores, immo quod sit in arbitrio harum personarum petere pecunias, vel res
10. sua pecunia comparatas *tenuit Sacra Rota Rom. in decis.* 391. *n.* 23. *part.* 17. *rec. ubi alii concordantes habentur.*

Tertius casus est quando res emitur ex pecunia haereditaria ab haerede gravato habente praeceptum, et obligationem a

testatore eam investiendi ad
commodum haereditatis, in ta-
li enim themate etiamsi hae-
res emat pro se, et haere-
11. dibus, et cum clausula ad
habendum etc. nulla tenus
tamen acquisitio censetur fa-
cta ad commodum haereditatis,
et ad haereditatem spectat *ut
docte animadvertit Rot. d.* 38.
n. 2. *ad* 4., *et decis.* 70. *per
tot. part.* 9. *tom.* 1. *rec. decis.*
653. *n.* 2. *part.* 3. *rec., et de-
cis.* 42. *n.* 3., *seq. part.* 16. *rec.,
et coram Cerro decis.* 33. *n.* 2.,
et decis. 57. *n.* 7., *et* 8., et sti-
pulatio nomine proprio haere-
12. dis intelligitur facta pro tem-
pore tantum quo rem possi-
dere debet. Secus vero si hae-
res emptor tale praeceptum non
habeat quia tunc rem emptam
13. sibi libere acquirit, et solum
remanet debitor pecuniae jux-
ta receptam doctrinam *Bartoli
in l. Imperator. §. fin. ff. de
legat.* 2., *et docet Rota dicta
decis.* 70. *part.* 9. *rec.*

Quartus est casus quando emptio
facta apparet de pecunia dota-
14. li, in qua hypothesi quamvis
regula sit quod emptum ex pe-
cunia dotali non efficitur dota-
le *ad text. in l. ex pecunia C.
de jur. dot.* ut diximus etiam
supra, ab hac tamen regula
passim recedunt D. D. et pri-
15. mo quando maritus declara-
vit emere de pecunia dotali,
et mulier fuit praesens, et con-
sensit, *ut docet Rot. post Merl.
de pign. decis.* 106. *n.* 2. *idem
Merl. lib.* 3. *tit.* 2. *quest.* 52.
n. 4., *et seq., et lib.* 3. *tit.* 1.
quest. 32. *n.* 7. *Cavaler. decis.* 39.
n. 4. Secundo quando ex con-
ventione partium tacita vel ex-
16. pressa colligitur contrahentes
voluisse quod illa res esset fun-
dus dotalis, veluti si dictum
esset quod pecunia investiri de-
beret, et quod tale investi-
mentum succederet loco fundi
dotalis *Natta cons.* 496. *n.* 13.
*vers. non enim obstat Rot. rec.
decis.* 91. *per tot. part.* 8. *Sal-
gad. Labyr. Cred. part.* 2. *cap.*
24. *n.* 63. *Merl. de pign. lib.* 3.
tit. 1. *quest.* 32. *n.* 9., *et seq.*
ubi quod voluntas contrahen-
tium talis praesumitur quando
dos fuit legata cum dicto one-
re vel quando adest ordo judi-
cis de investiendo. Tertio a di-
cta regula recedunt D. D. in
17. subsidium scilicet quando ma-
ritus effectus est non solvendo
*ut post Bart. in l. si ut propo-
nis* 8. *n.* 4. *dixit Gait. de Cred.
cap.* 4. *quesit.* 11. *n.* 1454., *et
seq. Merl. de pig., et hypot. lib.*
3. *tit.* 1. *quest.* 32. *n.* 3., *et
seq.* ubi dicit rei vindicationem
dari ad praeludium viri, et e-
jus successoris universalis, non
autem contra tertium, et sin-
18. gularem possessorem ex ratio-
nibus apud eum videndis.

Quintus casus adducitur quando
emptio est facta de re spectan-
te ad aliquam societatem, no-
mine proprio ementis in hoc
enim casu communi ore respon-
dent D. D. quod sive societas
19. sit omnium bonorum, sive
bonorum simpliciter, res tamen

empta venit semper judicio societatis communicanda, cum non sit in facultate unius ex sociis societatem jam contractam infringere *ut ponderat Michalor. de frat. part.* 2. *cap.* 8. *n.* 20. ubi quod hoc procedit etiam si emptio esset facta a socio de propriis pecuniis, dummodo suam ratam alter socius refundat, et dat concordan. Secus vero si res empta ad societatem non pertineat, quia
20. tunc socius proprio nomine emens illam communicare non debet, etiam si emptio fuisset facta de pecuniis communibus ut D. D., et jura colligendo sustinet *Michalor. loco citato n.* 23, *et seq. quibus addo Merl. de pig. lib.* 2. *tit.* 1. *quest.* 4. *n.* 4. *et seq.* ubi quod hoc procedit etiam si ille qui proprio nomine acquirit habeat pro socio pupillum, licet auctoritatibus sub silentio omissis intellectus fortiter ea ratione convincatur quod sicuti emens ex aliena pecunia nomine proprio sibi acquirit, ut supra fuit probatum, ita tanto magis hoc procedere debet ubi res empta apparet ex pecunia communi, quae est partim ementis, et pro parte aliena, quamvis his non obstantibus contrarium sentire videatur *Rot. Rom. in Bonon. fideicommissi de Bavosiis* 19. *januarii* 1695. *R. P. D. Ursino §. clarius autem convincuntur*, in hoc opere impressa consult. in fine.

Ultimus casus qui hic adducitur est de procuratore ad aliquid emendum constituto, et rem nomine proprio emente, talis
21. enim procurator licet interim rei dominium sibi acquirat si expresse nomine proprio emit, nullatenus tamen tenetur explere mandatum, et rem emptam mandanti tradere si constat de mandato ut docte sustinet *De Marin. resol.* 293. *n.* 5. *part.* 1. *Gratian. discept. for. cap.* 160. *num.* 3. ubi quod procu-
22. rator non liberatur praestando interesse *Surd. decis.* 304. *n.* 10. et haec procedunt etiam si procurator emisset de pecuniis propriis ut admittunt D. D. supra citati.

His ita firmatis circa primam inspectionem, ad secundam descendendo nimirum ad emptionem factam ex pecunia ementis, nomine tamen alieno, dicimus, quod sicuti emens ex aliena pecunia, nomine tamen proprio sibi acquirit, ita a contrario sensu ementem ex pecunia propria nomine tamen alterius illi acquire-
23. re, ac rem emptam eidem tradere debere est concludendum, cum ut superius docuimus non habeatur in consideratione ex cujus pecunia ematur, sed cujus nomine emptio sit stipulata, et pro hac sententia faciunt tradita *per Mart. Vot.* 127. *n.* 2. *Gratian. discept. for. cap.* 160. *n.* 1. *ad* 6. ubi quod re empta ex propriis pecuniis
24. nomine alterius dominium dicitur quaesitum ei pro quo res

est empta, sequuta tamen ratificatione, ita ut emptor non liberetur praestando interesse *Cavaler. decis.* 13. *n.* 5. ubi quod etiam stante stipulatione
25. notarii nomine absentis ei non acquiritur dominium nec possessio, nisi sequuta ratificatione *Rot. post Cenc. de Cens. decis.* 160. *n.* 3. *et seq.* ubi quod dominium rei emptae nomine alieno absque ejus mandato, et scientia ei non acquiritur ante ratificationem, sed ementi.

Et licet aliqui de his veritatibus dubitare videantur in terminis mariti ementis de pecuniis propriis nomine uxoris putantes obstare dispositionem *l. Quintus Mutius*, praesumptamque, seu verisimilem simulationem, at-
27 tamen his non obstantibus verisimilius videtur superius firmata etiam in hoc casu sibi locum arrogare; quoniam quantum attinet ad dispositionem praedictae *l. Quintus Mutius*, ea non urget quoties marito praesente, et sciente, quinimmo
28 ipso stipulante mulier acquirit, ut animadvertit *Natta cons.* 30. *Rot. decis.* 556. *n.* 8. *part.* 5. *tom.* 2. *rec.*, *et decis.* 434. *n.* 4., *et* 442. *n.* 7. *eadem part.* 5. *tom.* 2. et cum solum in proposito operatur effectum ut u-
29. xor teneatur ad pecuniae restitutionem ut optime dixit *Buratt., decis.* 141. *n.* 6., *et seq. Menoch. de praesum. lib.* 3 *praesum.* 51. *n.* 42., *et* 43. Quo vero ad praesumptam, seu verisimilem simulationem, respondetur quod cum ex instrumento apparere supponatur mari-
30. tum revera acquirere voluisse pro uxore nec ulla lege prohibitum inveniatur, quin maritus talem acquisitionem facere possit, immo totum contrarium habeatur *in l. prima C. si quis alteri, vel sibi, et edocet Rot. coram Panfil. decis.* 245. id-
31. eo esset praedicta simulatio ex adverso concludenter probanda, cum in dubio non praesumatur ex juribus vulgatis, quinimmo probata unquam dici potest ni-
32. si constet de vera, vel probabili causa simulandi de tempore contractus orta, ut observat *Gratian. discept. for. cap.* 878. *n.* 18. *Rot. post Cenc. de Cens. decis.* 166.

Neque pro causa simulandi adduci meretur praesumptio donationis prohibitae inter virum, et uxorem, quoniam cum de-
33. beat uxor refundere pecuniam marito, non potest proprie dici donatio ut doctissime dixit etiam *Rot. post Cenc. de Cens. dicta decis.* 166. *n.* 7.

Demum pro corollario sciendum est quod si daretur casus, ut res ita se haberet, quod dubitari posset ex cujus pecuniis, vel nomine emptio esset peracta, tunc dicendum esset emptionem fuisse factam de pecu-
34. niis illius nomine cujus est emptum, adeo quod si emptio nomine meo sit stipulata, praesumitur peracta de pecuniis meis, et si nomine Titii de ejus pecuniis praesumitur, ut

ponderat *Mantic. de tacit., et ambig. lib.* 4. *tit.* 22. *n.* 17. 19., *et Cavaler. decis.* 221. *n.* 1. quem-
35. admodum etiam in dubio emptio praesumitur facta nomine ementis, etiam si in rei veritate pecunia esset alterius,
36. nisi aliter suadeant conjecturae ut animadvertit idem *Mantic. dicto lib.* 4. *tit.* 22. *n.* 1. *Cavaler. dicta decis.* 221. *per tot.* Quae tamen an sibi locum vindicent ubi ille qui emit est
37. administrator, tutor, etc. videndus est *Mantic. loco supra citato Rot. part.* 10. *rec. decis.* 332. ubi de administratore, et socio particulari *Vrceol. consult. for.* 100. *n.* 35., *et seq.* ubi de haerede, et pariter de haerede *Rot. decis.* 318. *n.* 14. *part.* 17. *rec.*, *et Rosa consult.* 32. *per tot. Michalor. de frat. part.* 2. *cap.* 8. *n.* 27. ubi de socio emente, *et part.* 2. *cap.* 9. *Leotard. de usuris quest.* 33. ubi de procuratore *Hodier.*, *ad Surd. contr.* 22. ubi de tutore.

ARGUMENTUM.

Quaeritur an vendens rem habita fide de pretio caeteris creditoribus emptoris sit praeferendus super re vendita, si emptor deficiat in solutione pretii.

SUMMARIUM.

1. *Dominium rei venditae nunquam transit in emptorem, nisi venditore satisfacto.*
2. *Hoc tamen non procedit quando de pretio habita fuit fides, et res fuit emptori tradita.*
3. *Nam in hoc casu remanet solum actio venditori ad consecutionem pretii seu interesse.*
4. *Et intrat regula quod prior in tempore potior in jure, et locus est praelationi anteriorum creditorum.*
5. *De aequitate tamen secundum sententiam aliquorum venditor est praeferendus omnibus aliis.*
6. *Sed contrarium est verius.*
7. *Praefertur tamen venditor quando emptor dolose, et fraudulenter emit.*
8. *Dolus in dubio non praesumitur, sed est ab allegante probandus.*
9. *Quia tamen est difficilis probationis, sufficiunt ad illum probandum conjecturae cum lex neminem ad desperationem inducere intendat.*
10. *Conjectura in proposito resultat ex eo quod emptor de tempore emptionis agnosceret se non esse solvendo, et hoc non obstante emere voluit.*
11. *Altera conjectura resultat ex eo quod emptor de tempore emptionis fugam meditabatur.*
12. *Et traditur modus probandi praemeditationem fugae.*
13. *Item venditor praefertur ubi constat non fuisse habitam fidem de pretio.*
14. *Fides tamen de pretio praesumitur habita quando res fuit libere tradita emptori, nisi emptor promisisset illico solvere pretium vel de tempore contractus haberet pecunias prae manibus, vel*

nisi venditor dum rem tradidit misisset famulum ad recipiendum pretium.

15\. *Venditio mercium in nundinis non praesumitur facta habita fide de pretio.*

16\. *Maxime ubi venditae sunt personis ignotis, et advenis.*

17\. *In dubio regula est quod non praesumitur habita fides de pretio.*

18\. *Stante pacto quod emptore non respondente in tempore statuto, locus sit resolutioni contractus, et res inempta dicatur potest venditor rem vindicare stante mora emptoris in solvendo.*

19\. *Pactum praedictum inductum favore unius contrahentis, et in odium alterius operatur suum effectum volente eo, de cujus utilitate agitur.*

20\. *Reservatio dominii favore venditoris donec pretium solvatur non impedit translationem dicti dominii in emptorem, sed resolvitur in specialem, et privilegiatam hypothecam.*

21\. *Vigore tamen dictae hypothecae praefertur venditor omnibus creditoribus emptoris.*

22\. *Ita quod dicta praelatio competit etiam contra eum, qui mutuavit pecuniam ad certam rem emendam cum reservatione specialis hypothecae, et etiam favore causam habentis a venditore.*

23\. *Quinimmo etiam adversus creditorem ex causa dotis.*

24\. *Stante statuto quod venditor habeat dominium reservatum in re vendita venditor habet privilegium praelationis jam dictae.*

25\. *Nullo jure prohibetur quin venditor possit sibi reservare dominium rei venditae donec de integro pretio fuerit satisfactus.*

26\. *Supposita praedicta reservatione dominii venditor agere potest per viam Salviani contra tertium possessorem rei venditae.*

27\. *Pactum reservationis dominii ut tribuat praelationem venditori necesse est ut fiat in ipso limine contractus, et ante vel in ipso actu traditionis.*

28\. *Vendita re ad hastam pro satisfaciendis creditoribus si emptor deficiat in solutione pretii licitum est rem retrahere.*

29\. *In his enim venditionibus prout etiam in illis quas faciunt tutores, curatores, etc. non potest haberi fides de pretio, et si secus fiat nullum jus acquiritur creditoribus emptoris.*

CONSULT. II.

Celebris est quaestio, quae in praesenti examinanda venit, utrum scilicet rem vendens habita fide de pretio, illamque emptori tradens, si emptor deficiat in solutione pretii sit omnibus creditoribus ejusdem emptoris super re vendita praeferendus vel potius cum eis concurrere debeat juxta temporis prioritatem, circa quam etsi nonnulli in eam videantur inclinare sententiam quod venditor omnibus creditoribus emptoris quantumvis privilegiatis praeferri debeat, eo superinnixi fundamento, quod dominium rei venditae numquam

transit in emptorem nisi pre-
tio soluto, vel alio modo ven-
ditore satisfacto, cum valde
connaturale contractui vendi-
tionis sit et rationi consonum,
ut qui rem suam vendit nisi pre-
tium consequatur nullum do-
minium transferat nec transfe-
rendi in animo habuisse prae-
sumatur. His tamen non ob-
stantibus contrarium in hac fa-
cti specie mihi videtur ample-
ctendum quoniam licet in suis
1. terminis verissima sit proposi-
tio quod dominium rei vendi-
tae in emptorem non transit
nisi pretio soluto, aeque tamen
certum est hoc non procedere
quando de pretio habita fuit
fides, resque fuit emptori tra-
dita, sicuti enim traditione non
sequuta venditor remanet do-
minus, ut colligitur *ex §. uti-
que tamen Just. de empt. et vend.
l. traditionibus C. de pact.* ita
a contrario sensu arguendo si
2. ad rei traditionem deventum
sit habita fide de pretio, do-
minium in emptorem transla-
tum esse non erit ambigendum,
ut in terminis sustinent *Gaill.
obs.* 15. *n.* 1. *et seq. lib.* 2. *Gra-
tian. discept. for. cap.* 523. *n.*
20. *doctissime Paulus Rubeus in
annot. ad decis.* 16. *n.* 93. *et
seq. part.* 8. *rec.* Posito autem
quod post traditionem habita
fide de pretio res transeat libe-
re in dominium emptoris cum
tunc venditori sola actio agen-
3. di contra emptorem ad conse-
cutionem pretii, seu interesse
remaneat, ut bene animadver-
tit, *Altograd. cons.* 9. *n.* 5. *lib.*
1. *Natta con.* 171. *n.* 1. *Rot.
post Pacif. de Salu. decis.* 281.
n. 1. vindicat sibi locum vul-
gatum juris dicterium, quod
4. prior in tempore, potior in ju-
re, et cum hac sententia tan-
quam veriori pertranseunt *Fe-
lician. de cens. lib.* 3. *cap.* 5.
n. 22. *Gratian. discept. for. cap.*
25. *n.* 5., *et cap.* 500. *n.* 19.
Salgad. Labyr. Credit. part. 1.
cap. 11. *n.* 79. *Rot. decis.* 107.
n. 2. *part.* 3. *rec. Franc. decis.*
506. *n.* 3. *Surd. decis.* 344. *n.*
33. *Merl. de pign. lib.* 4. *tit.* 1.
quest. 41. *n.* 30. ubi quod quan-
do res est tradita vere, vel eti-
am ficte, nempe per clausu-
lam constituti non competit ven-
ditori actio rei vindicationis,
sed solum actio ad pretium, et
ad implementum contractus,
sicque locus erit praelationi an-
teriorum creditorum, et cum
his concordant late ac docte de
more tradita per *D. Mans. con-
sult.* 10. *tom.* 1. *§. haec autem
in se verissima cum seq.*

Neque in proposito ullum obicem
praestare mihi videtur doctri-
na *Calvini de aequitate cap.* 91.,
et Mantic. de tacit., et ambig.
5. *lib.* 11. *tit.* 12. *n.* 8. ajentes
actionem rei vindicationis ven-
ditori esse concedendam de ae-
quitate quadam saltem in sub-
sidium, quoniam respondetur
aequitatem non esse extenden-
dam ad praejudicium credito-
rum anteriorum, quibus fuit
statim peracta ab emptore ac-
quisitione jus quaesitum, alias

si dicta rei vindicatio sub colore aequitatis praedictae venditori concederetur, esset re vera de aequitate facere iniqui-
6. tatem, quoties enim supponimus post traditionem rei habita fide de pretio dominium in emptorem translatum esse prout superius pro indubitato firmavimus, et consequenter ejus creditoribus, statim jus esse quaesitum, quis non videt quod evidens iniquitas esset si adhuc venditori concederetur actio rei vindicationis ad praejudicium creditorum anteriorum emptoris, ut bene multos de more cumulando ponderat etiam *Salgad. Labyr. Cred. part.* 2. *cap.* 24. *n.* 20. 21. *et seq.*

Animadvertendum tamen est quod haec, etsi in se verissima sint, attamen juxta varias facti circumstantias multas recipiunt fallentias. Et primo limitantur quando ageretur de emptore fraudulento, et doloso, ubi enim emptor dolose, et fraudulenter ad emendum data fide de pretio accessit, sine ulla animi haesitatione asseren-
7. dum est venditorem in concursu quorumcumque creditorum omnibus praeferendum esse super re vendita, quinimmo eam uti propriam vendicare posse, quasi vere non sit tradita sed fraudulenter ablata, nec de pretio habita sit fides, cum fides per dolum extorta habeatur pro non habita, ut docte docent *Gaill. observat. Imperial.* 15. *n.* 8. *lib.* 2. *Betazol. de claus. claus.* 38. *glos.* 1. *n.* 8. Veritas quidem est quod quia dolus in dubio non praesumitur, est ab
8. allegante probandus *l. quoties §. qui dolo ff. de probat.* et fuit dictum etiam in praecedenti consultatione, sed tamen quia est difficilis probationis sufficient ad illum probandum conjecturae, in occultis enim, et quae in animo consistunt,
9. sique in materia difficilis probationis sufficiunt illae probationes quae haberi possunt, dummodo in suo genere efficaces sint cum lex neminem ad desperationem inducere intendat *l. dolum cum ibi notat. C. de dol.* Conjecturae autem, quae regulariter in proposito adduci solent, ad duas principaliter restringuntur, prima est quando emptor de tempore factae emptionis agnoscebat se non esse solvendo, et hoc obstante emere, et contrahere voluit,
10. ubi enim quis videt se inhabilem ad solvendum, et nihilominus res ab aliis extorquet sub spe futurae numerationis, inexcusabilis videtur a dolo, et fraude ut post *Cepol. caut.* 124. *Gail. supra stracca de decoctor. part.* 3. *n.* 31., *et seq. Gizarell. decis. Neapol. et alios quos cumulat dote animadvertit D. Mans. consult.* 10. *§. secundo quatenus circa finem lib. pri-*
11. *mo.* Altera vero resultat ex eo quod emptor de tempore emptionis fugam arripere, vel latitare meditabatur, et hoc probatur vel ex modicitate tempo-

ris interiecti inter emptionem et fugam vel inter emptionem, et latitationem, videlicet duorum trium, vel quatuor dierum ar-
12. bitrio prudentis judicantis consideratis etiam omnibus circumstantiis includentibus, vel excludentibus praedictam praemeditatam fugam vel latitationem, vel probari poterit ex confessione ipsiusmet emptoris, veluti quia aliquibus manifestaverit animum suum aufugendi cum mercibus ut eruditissime edocet *D. Mans. loco supra citato §. non inquam fraudis judicium.*

Secundo non procedunt ubi constat venditionem fuisse factam nulla habita fide de pretio, tunc enim cum certum sit dominium
13. rei venditae in emptorem non transferri nisi toto, et integro pretio soluto, ideo sequitur necessario venditorem omnibus aliis esse praeferendum, et rem venditam tamquam suam vindicare posse ut doctissime ponderat *D. Ansald. de comerc.*, *et Mercat. disc.* 56. *n.* 9., *et dat concordan. Merl. de pign. lib.* 4. *tit.* 1. *quest.* 41. *n.* 6. *ubi etiam sub n.* 11. 12., *et* 34. subjungit quod quando est dubium an venditio facta fuerit habita fide de pretio recurrendum esse ad conjecturas, nam si res vendita fuit emptori tradita, et in ejus manibus, et facultate relicta permittendo eam libere asportari, et tunc venditio praesumitur facta habita fide de pretio nisi per venditorem probetur contrarium, veluti quia emptor haberet de tempore contractus prae manibus pecunias vel promisisset il-
14. lico solvere ut etiam animadvertit *D. Card. de Luca de cred. disc.* 6. *n.* 8. vel ex eo quod venditor dum rem venditam tradidit misisset famulum, vel aliam personam, una cum emptore ad hoc ut statim reciperet pretium *ut dixit Oinot. in §. venditae Inst. de rer. divis.* Secundo meretur etiam considerari locus celebrati contractus, nam si venditio ex. gr. mercium sit facta in nundinis non videtur praesumendum fuis-
15. se habitam fidem de pretio, cum regulariter in nundinis usus, et consuetudo vigeat illico solvendi pretium ut docte scripsit *Mer. loco supra citato*, *et edocet Dominus Mans. consult.* 10. *lib.* 1. *§. fidem autem habitam fuisse circa finem.* ubi hoc praesertim procedere ait si merces venditae sint personis ignotis,
16. et advenis illico recessuris, quia non est verisimile quod venditor voluerit habere fidem de pretio personae ignotae, et illico recessurae, et allegat *Bald. in l. si non donationis sub n.* 1. *C. de contrahen. empt. Castrens ibidem n.* 2. *Bertazol. de claus.* 38. *glos.* 1. *n.* 7. *Mantic. de tacit.*, *et Ambig. lib.* 4. *tit.* 21. *n.* 9. *vers.* 3. et alios,
17. etc. Caeterum his, et similibus conjecturis cessantibus regula est quod in dubio non praesumitur habita fides de pretio.

Tertio locum non habent quando inter emptorem, et venditorem initum est pactum quod emptore non respondente in tempore statuto locus sit resolutioni contractus resque inempta dicatur (quod dicitur pactum legis commissoriae); in hac enim
18. hypothesi communiter respondent D. D. quod stante mora emptoris in solvendo licitum est a contractu recedere et rem ab emptore vindicare *Gratian. discept. for. cap.* 523. *n.* 28. *Viv. decis.* 155. *n.* 3., *et* 4. ubi de pacto quod possit venditor pretio ab emptore non soluto rem venditam capere propria auctoritate, et illam alienare vel pro se retinere *Rot. post Pacif. de Salu. decis.* 281. *n.* 2. Circa quod tamen est advertendum quod si pactum commissorium
19. inductum sit favore unius contrahentis, et in odium alterius, eatenus suum operatur effectum, quatenus ille contrahens ad cujus favorem adjectum est eo uti velit, et hoc procedit etiam supposita clausula ipso jure, et sine alia declaratione, quia haec debet intelligi volente eo de cujus utilitate agitur ut sustinet *Rot. decis.* 422. *n.* 4. *part.* 4. *tom.* 1. *rec.*

Quarto limitantur quando venditio sub ea lege fuit stipulata ut dominium rei venditae reservatum sit venditori donec, et quousque de integro pretio rei venditae fuerit satisfactus, per hanc enim reservationem licet non impediatur quin dominium rei venditae in emptorem transeat, supposito quod
20. instrumentum munitum sit clausula ad habendum, constituti, et similiter prout regulariter fieri solet, sed solum efficiatur ut ad favorem venditoris oriatur specialis, et privilegiata hypotheca usque ad totalem pretii conventi numerationem ut testatur *Rota decis.* 135. *n.* 25. *part.* 6. *rec. Gratian. discept. for. cap.* 523. *n.* 14. *Merl. de pig. lib.* 4. *tit.* 1. *quest.* 41. *n.* 61. *Em. de Luc. de credito disc.* 6. *per tot. D. Ansald. de comerc. et mercat. disc.* 56. *n.* 47. tamen virtute praedictae specialis, et privi-
21. legiatae hypothecae venditor erit praeferendus omnibus creditoribus emptoris, ut utra supra congestos ponderat *Urceol. in appendic. ad cap.* 5. *vol.* 2. *n.* 29. ubi quod reservatio dominii operatur praelationem etiam quo ad eum qui mutua-
22. vit emptori pecuniam ad emendum cum reservatione specialis hypothecae, *et in secunda appendic. ad d. cap.* 5. *n.* 14. ubi eamdem praelationem tribuit etiam habentibus causam a venditore *egregius vir D. Palma nepos alleg.* 184. *n.* 45. *part.*
23. 2. ubi quod venditor praefertur omnibus creditoribus etiam ex causa dotis *Merl. de pign. lib.* 4. *tit.* 1. *quest.* 41. ubi cum hac sententia pertransit tam stante pacto reservationis dominii favore venditoris,

24. quam supposito statuto mandante quod venditor habeat dominium reservatum in re vendita, et respondet contrariis.

Neque in dubium revocari potest an venditor pro faciliori consecutione pretii possit sibi reservare dominium rei venditae donec, et quousque de integro pretio rei venditae fuerit satisfactus, nam in hoc rediremus ad prima juris principia statuentia quod dominus rei ante venditionem leges, et conditio-
25. nes sibi bene visas apponere potest, et translationem dominii modificare, ac certo modo limitare ut fuit probatum in consult. et in terminis *dixit Scapuc. de Salv. lib.* 1. *quest.* 16. *n.* 1. in quo loco etiam
26. quaerit an venditor, qui sibi reservavit dominium rei venditae agere possit contra tertium ejusdem rei possessorem per viam Salviani, et affirmative concludit.

Fateor quidem quod ad effectum ut pactum praedictum reservationis dominii operari possit praelationem jam dictam favore venditoris, necesse est ut stipuletur in ipso limine contractus, et ante vel in ipso actu traditionis, caeterum si fie-
27. ret post, licet incontinenti, et statim post instrumentum, seu rei traditionem non operaretur effectum praelationis adversus creditores anteriores emptoris, hocque ea ratione suadetur, quia bona sine dicta reservatione vendita statim transeunt in dominium emptoris, et intrat regula quod prior in tempore, etc. ut post *Rodriquez. de concurs. Cred. de Luca de dote, et alios quos cumulat, scripsit Urceol. consult. for. in secunda appendic. ad cap.* 5. *n.* 12., *et* 13.

Ultimo limitantur in venditione ad hastam facta ad effectum
28. satisfaciendi creditoribus in hac enim speciale est ut propter pretium non solutum licitum sit a venditione recedere, rem retrahere, et illam aliis vendere ut bene ponderat *Gratian. discept. for. cap.* 7. *et conferunt tradita per Rosa consult.* 25. *n.* 12. *et seq.* ubi quod si in his venditionibus fides ha-
29. beatur de pretio venditio non valet, et ideo creditoribus emptoris nullum jus acquiritur pendente solutione, et idem juris esse ait in venditionibus quas faciunt tutores, curatores, administratores, etc.

ARGUMENTUM.

Venditio quando ad corpus, et quando ad mensuram facta intelligatur, et quaenam differentia inter unam, et alteram intercedat, tam circa diminutionem, vel augmentum pretii, quam circa perfectionem contractus late hic explanatur.

SUMMARIUM.

1. *Quando contrahentes mentis conceptum explicare incipiunt per*

nomina quae denotant numerum, et mensuram tunc venditio dicitur ad mensuram, et pretium est augendum si major reperiatur mensura, et e converso est minuendum si minor reperiatur mensura.

2. *Hoc tamen intelligendo dummodo mensura petatur intra tempus a jure praefixum.*

3. *Quando vero mentis conceptum explicare incipiunt per nomina quae significant certum corpus tunc venditio dicitur ad corpus nisi pretium in singulas partes rei venditae appareat distributum, etsi deinde certa quantitas exprimeretur.*

4. *Et in hoc casu si reperiatur rem excedere quantitatem expressam pretium tamen non erit augendum.*

5. *Si vero res minor reperiatur pretium erit minuendum ad modum deficientis mensurae.*

6. *Et allegatur ratio differentiae.*

7. *Pretium tamen non est minuendum si res reperiatur minor, si appareat tantae bonitatis ut sit proportionata pretio convento.*

8. *Amplia ut idem juris sit quando res fuit vendita cum protestatione, et quantacumque sit totum veniat in praesenti venditione ad corpus, et non ad mensuram.*

9. *Amplia secundo ut eadem juris dispositio procedat quando quantitas fuit expressa cum dictione in circa.*

10. *Ea tamen differentia inter haec intercedente, quod stante dictione in circa error non toleratur quando decimam partem mensurae expressae excedit, secus vero stantibus verbis, et quantacumque sit, etc.*

11. *Rursus pretium non est minuendum ob minorem mensuram repertam si plura corpora insimul vendita sint, et in uno mensura enuntiata deficiat, in altero vero excedat.*

12. *Mensuratio debet fieri expensis communibus, nisi inter partes aliter sit conventum.*

13. *Venditio ad mensuram dicitur imperfecta quoad dominium, et periculum quod penes venditorem remanet, donec mensuratio sequatur.*

14. *Perfecta tamen est quantum ad hoc, ut a contractu recedi non possit.*

15. *Et etiam quoad pretium ad quod emptor tenetur, et si deinde augeatur, vel minuatur.*

16. *Quando tamen certum, et determinatum corpus fuit venditum cum distributione pretii in singulas partes, venditio dicitur perfecta etiam quoad periculum antequam mensuratio sequatur secundum sententiam Joseph. de Rosa.*

17. *Sed contrarium est verius.*

18. *Et sententia de Rosa tunc demum procedere posset quando pro toto corpore vendito certum pretium esset constitutum.*

19. *Nam in tali casu venditio diceretur perfecta, et instrumentum etiam haberet paratum executionem.*

CONSULT. III.

Quoniam in tribunalibus frequenter audiuntur disputationes inter emptores, et venditores, ex eo quod mensura in instrumento enunciata non sit prout figurabatur, sed major vel minor fuerit reperta, hincque praetendatur pretium augendum, vel respective minuendum esse; ideo merito quaeritur in hac consultatione quando venditio dicatur ad corpus, et quando ad mensuram facta intelligatur, et quaenam differentia inter unam, et alteram cadat, hujus enim quaestionis plena cognitione habita, clare constabit quando pretium augendum, vel respective minuendum sit ob majorem vel minorem mensuram repertam.

Quod igitur ad hanc rem pertinet difficultas ea distinctione decisionem recipit, quod aut contrahentes mentis conceptum explicare incipiunt per nomina quae denotant numerum, et mensuram, ut si ex. gr. vendantur centum tornaturae terrae, in tali, et tali loco exi-
1. sten., et in hujusmodi hypothaesi venditio intelligitur facta ad mensuram, et si major reperiatur numerus tornaturarum, pretium quoque ab emptore erit augendum, et si e converso minor reperiatur numerus pretium erit minuendum ad modum deficientis mensurae ut probant *Mantic. de tacit., et ambig. lib.* 4. *tit.* 17. *n.* 8., *et* 12. *Surd. decis.* 64. *n.* 12. *Natta cons.* 569. *n.* 5., *et seq.* dum-
2. modo tamen mensuratio petatur intra tempus a jure statutum, de qua re videndus est *Natta loco citato Mangil. de evict. quest.* 102. *n.* 13., *et seq. Bich. decis.* 93. *Rot. decis.* 135. *part.* 9. *rec. Thesaur. decis.* 185. *Pacihel. de distan. c.* 5. *n.* 27. *Rot. post eumdem decis.* 4., *et* 45. *latissime Giovagnon. lib.* 1. *respons.* 71. *per tot.* ubi etiam an contractus rescindatur si mensuratio non fiat intra tempus statutum a jure, vel a partibus. Aut vero contrahentes mentis conceptum explicare incipiunt per nomina, quae significant certum corpus, veluti si quis ex. gr. diceret vendo tibi praedium, quod tali, et ta-
3. li cohaeret, et est tornaturarum centum, et tunc nisi pretium in singulas tornaturas appareat distributum, ad rationem scilicet tot pro qualibet tornatura, venditio dicitur facta ad corpus, posthabita penitus distinctione, an expressio mensurae fuerit facta ante vel post appositionem confinium, et si major reperiatur numerus tornaturarum pretium
4. tamen non erit augendum, sed totum cedere debebit commodo emptoris, ut bene ponderat *Mantic. loco supra citato n.* 12. *in fine, et seq. Surd. d. decis.* 64. *n.* 1., *et* 24. *Rot. coram Ludovis. decis.* 104. *n.* 2., *et in rec. decis.* 135. *n.* 24. *part.* 9., *et decis.* 1. *n.* 1., *et* 2. *part.* 17.

Secus vero si minor reperiatur
5. numerus, quia in tali casu pretium erit minuendum ad modum deficientis mensurae.

Et licet primo aspectu valde durum, et fere imperceptibile videatur, quare in venditione ad corpus pretium sit minuendum, si quantitas enunciata deficiat, dum a contrario sensu certum est pretium non esse augendum, si rem majorem esse reperiatur, ut superius fuit probatum; attamen intellectus plene convincitur, omnisque scrupulus removetur animadvertendo maximam inter hos casus intercedere differentiam; in tantum enim dicunt DD. pro parte emptoris pretium non esse
6. augendum si major reperiatur res vendita, quia eo solidissima ratione moventur, quod venditor, qui ex diurna rei venditae possessione praesumitur ejusdem rei informatissimus, vendendo ad corpus, censetur totam rem etsi majorem emptori concedere voluisse pro pretio convento, et sibi imputare debet; e contra autem si res vendita minor reperiatur asserunt pretium esse minuendum ad modum deficientis mensurae, quia considerant quod emptor qui rem emptam nunquam possedit cum praesumatur ejusdem met rei ignarus, credendum etiam est, quod fidem venditoris sequendo, fuerit inductus ad emendum tali pretio propter mensuram in instrumento enunciatam, et expressam ut docte animadvertit *Mantic. loco citato n.* 8., *et seq. Surd. decis.* 64. *n.* 27., *et conferunt etiam docte tradita per D. Palm. Nep. part. prima alleg.* 9. *n.* 5., *et seq.* ubi quod venditor tenetur manutenere qualitatem, et quantitatem rei ab ipso specialiter expressam, praesumente legis dispositione quod emptor ex tali expressione fuerit inductus ad sic contrahendum, alias locus esset rescissioni contractus, vel actioni quanti minoris.

Major difficultas in proposito in eo residere videtur, an modo dicta circa diminutionem pretii emptori faciendam ob minorem mensuram repertam, sibi vindicent locum ubi res vendita reperiatur tantae bonitatis, ut sit proportionata pretio convento, nec non etiam quando venditio fuisset facta ex. gr. de praedio tornaturarum tot cum dictione, seu protestatione, et quantumcumque sit totum veniat, et compraendatur in praesenti venditione ad corpus, et non ad mensuram. Et circa hanc difficultatem censeo tam in primo, quam in secundo casu negative respondendum esse, videlicet pretium non esse minuendum ad modum deficientis mensurae, quia utrobique cessat ratio superius adducta, quod scilicet emptor fuerit inductus ad emendum tali pretio ob expressionem certae mensurae a venditore factam, ita quod tanti non fuisset empturus,

si potuisset praevidere rem non ascendere ad mensuram ex-
7. pressam; cessat inquam in primo casu, quoniam cum in facto supponatur valorem rei correspondere pretio convento, et de jure semper sit praesumendum intentionem partium fuisse contrahendi pro justo pretio, intrat potius contraria praesumptio, quod immo emptor tanti fuisset empturus, esto quod etiam scivisset rem non ascendere ad quantitatem expressam; cessat pariter in secundo casu, quia cum per il-
8. la verba, et quantumcumque sit, etc. quantitas reddatur penitus incerta, et dubia, ideo non potest emptor obiicere se fuisse inductum ad emendum tali pretio ob expressionem certae quantitatis, ut bene firmavit *Rot. coram Ludovis. decis.* 168. *n.* 1., *et docte edocet Pater veritatis Alex. Imolen. cons.* 127. *col.* 2. *in princip. vers.*, *et tanto magis lib.* 2. et cum hac Sententia pertranseundum est etiam in terminis venditio-
9. nis, in qua fuerit facta expressio mensurae cum dictione in circa, ea dumtaxat distinctione adhibita, quod ubi expressio mensurae reperitur facta cum dictione in circa, error non toleratur quando decimam partem mensurae expressae excedit, quando vero post
10. expressionem mensurae addita fuit dicta protestatio, et quantumcumque sit, ec. tunc error mensurae toleratur, etiam si sit ultra decimam partem ut edocet *Rot. decis.* 135. *n.* 21. *part.* 9. *tom.* 1. *rec.*, *et decis.* 1. *n.* 12. *part.* 17. *rec. ubi alii concordantes habentur.*

Rursus circa diminutionem pretii emptori faciendam ob mensuram minorem repertam sciendum etiam est; quod si in eodem contractu plura, et distincta corpora insimul venderentur cum expressione certae, et determinatae mensurae relatae
11. ad unum quod quae illorum, et facta mensuratione reperiretur in uno mensuram enunciatam deficere, in altero vero excedere, non posset tunc emptor agere contra venditorem pro habenda diminutione pretii, nisi prius facta compensatione lucri, quod in uno corpore habet cum damno quod in alio corpore patitur ut ponderat *Mangil. de evict. quest.* 102. *n.* 4., *et* 5. *cum ibi relatis.* Pro facienda autem mensuratione ad effectum agnoscendi an quantitas enunciata deficiat nec ne, utraque pars tam scilicet emptor, quam venditor
12. succumbere debet, sicque fieri debet expensis communibus, nisi forte inter partes aliter fuerit conventum, ut sustinet *Gratian. discept. for. cap.* 549. 2. 31.

Tandem pro complemento hujus consultationis lectorem monitum volo, quod venditio ad mensuram praeter allegatam differentiam circa diminutionem, vel augmentum pretii,

in aliis etiam differt a venditione ad corpus, et praecipue in eo, quod venditio ad mensuram donec mensuratio sequatur dicitur conditionalis, et
13. imperfecta, saltem quoad dominium, et periculum rei venditae, quod penes venditorem remanet ut latius cum suis limitationibus scripsi in consult. 11., et docet quoque *Mantic. dicto tit.* 17. *n.* 2. 3., *et* 4. licet quoad alios effectus perfe-
14. ctissima sit, videlicet quantum ad hoc, ut a contractu recedi non possit, ut animadvertit *Mantic. locis supra citatis*, et etiam quoad pretium conventum, ad quod emptor
15. tenetur etsi deinde augeatur, vel minuatur ut sustinet *Joseph. de Rosa consult.* 68. *n.* 13. *cum ibi congest.* Et quamvis Rosa in allegata consult. 68. n. 3., et seq. conetur defendere venditionem ad mensuram perfectam esse ante mensurationem etiam quoad dominium, et periculum quando in venditione fuit conventum de certo, et determinato corpore, veluti si venditum sit totum vinum quod
16. est in cella vinaria ad rationem unius scuti pro qualibet corbe, ea ratione ductus, quod in hoc casu mensura non respicit actus substantiam, cum non reddat neque rem neque pretium incertum, cum res dicatur certa, ex quo fuit venditum totum vinum, et etiam pretium sit certum saltem in se ipso, licet partibus ignotum, quae certitudo sufficit ut latius videre est apud auctorem citatum; attamen in hac quoque hypothesi verisimilius existimo venditionem conditionalem, et imperfectam esse, ut superius fuit dictum, et moveor ad ita
17. sentiendum, quia vera mihi non videtur propositio, quod mensura in allegato casu non excludat certitudinem pretii, quoties enim res certa venditur, et pro tota re vendita certum pretium a partibus non constituitur, sed illud in singulas partes distribuitur, ut supra in exemplo fuit figuratum, nescio quomodo verificari possit, quod tunc pretium sit certum quoad totam rem venditam, ideo merito videtur reiciendus Joseph de Rosa in allegata consult. 68. prout etiam reiectum invenio in *discurs.* 8. *D. Ansaldi de comerc., et Mercat. superinnixus dispositioni textus in l. quod saepe. §. in his ff. de contrahen. empt., et doctrinae multorum Jurisperitorum, quos cumulat.* Unde sententiam dicti de Rosa solum amplectendam censerem quando venditio reperiretur facta de certa re, et pro tota re vendita certum, et
18. determinatum pretium esset constitutum, quia tunc etsi deinde pretium appareret distributum in singulas partes rei venditae ad rationem scilicet tot pro qualibet corbe, vel turnatura, et etiam additum fuisset pactum, quod contrahentibus licitum esset rem mensu-

rare, et juxta modum mensurae pretium esset augendum, vel minuendum, attamen hoc non obstante, venditio diceretur perfecta, quoniam quando dicitur venditionem ad mensuram esse conditionalem, et imperfectam, hoc ita intelligendum venit, ut procedat quando pretium est incertum respectu totius fundi, secus vero quando pretium est certum, licet ex mensuratione facienda possit augeri, vel minui, ut optime ratiocinatur *Mantica de tacit. et ambig. lib. 4. tit. 17. n. 6., et conferunt tradita per Giovagnon. lib. 1. respons. 71. n. 15. 19. vers. si vero, ac per Cyriac. contr. 180. n. 47. et 48.* ubi ait, quod vendito fundo intra tales fines tornaturarum tot pro certo pretio ea etiam addita lege, quod quaelibet pars posset mensurationem petere, et
19. juxta eam pretium esset augendum vel minuendum, tunc pretium dicitur certum, et liquidum, et instrumentum habet paratam executionem, ita ut non possit retardari solutio sub praetextu, quod pretium ex mensuratione facienda possit minui.

ARGUMENTUM.

Plene hic examinatur articulus: an emens rem furtivam eam reddere teneatur domino, etiam sibi non refuso pretio, omnia ponderando, quae in proposito in disputationem regulariter veniunt.

SUMMARIUM.

1. *Emens rem furtivam debet illam domino reddere etiam sibi non refuso pretio.*
2. *Et hoc procedit etiam si emptor bonam fidem pro se haberet, quia haec solum excusat a delicto.*
3. *Item regula procedit etiam si res fuisset empta in publicis nundinis.*
4. *Emptor non tenetur rem restituere nisi prius sibi refuso pretio, quando ante emptionem publicare fecit proclamata super emptione facienda.*
5. *Idem secundum aliquos procedit quoties quis emit cum protestatione quod casu quo res empta sit aliena, intendit eam emisse pro domino, etc.*
6. *Sed contrarium est verius.*
7. *Protestationes, et diligentiae non operantur nisi sint factae publice per cridas, et proclamata.*
8. *Quando pretium fuit versum in utilitatem domini emptor non tenetur rem restituere sibi non refuso pretio.*
9. *Item non tenetur stante statuto, vel consuetudine ita disponente, sicuti passim videmus favore judaeorum.*
10. *Limita tamen quando judaei essent sub mala fide, quae mala fides probari potest conjecturis.*
11. *Rursus limita quando res empta a judaeo spectaret ad cleri-*

cum, personam ecclesiasticam scholarem. ec.

12. *Emens ab hostibus, vel furibus remotae gentis non tenetur rem emptam restituere nisi sibi refuso pretio.*

13. *Emens rem pignoratam bona fide, et a persona non suspecta non tenetur eam domino restituere nisi sibi reddito pretio.*

14. *Emens rem furtivam, si eam bona fide vendat, vel aliter consumat, non potest conveniri ad pretium, sed solum in foro conscientiae tenetur ad id, in quo factus est locupletior.*

15. *Hinc si fur pecuniam derubatam ejus creditoribus solvat, nisi probetur eam non fuisse immixtam cum aliis pecuniis dominus nullam habet actionem contra creditorem, quia pecunia dicitur consumpta.*

16. *Emptor mala fide rem consumens, vel vendens adhuc tenetur ad illius pretium.*

17. *In hoc tamen casu pretium non potest ab emptore tanquam furtivum avocari, cum redactum ex re furtiva non sit furtivum.*

CONSULT. IV.

1. Quamvis communi ore respondeant Juris periti, quod qui emit, vel pignori accipit rem furtivam eam reddere tenetur domino etiam sibi non refuso pretio ex litterali dispositione *Text. in l. incivilem C. de furt. ut edocet Cyriac. contr.* 299. *n.* 1. *tom.* 2. *Boss. tract. crim. tit. de furt. n.* 50. *Scaccia de commerc.* §. 1. *quaest.* 7. *part.* 2. *ampliat.* 19. *n.* 82. *vers. extende hanc illationem, Leotard. de usuris quaest.* 95. *n.* 33. *Mangil. de evict. quaest.* 170. *n.* 29. *Calvin. de acquit. lib.* 2. *cap.* 135. etiam si emptor, vel possessor
2. bonam fidem pro se haberet, quia haec suum operatur effectum quoad excusationem a delicto, et poena, non autem quoad exceptionem repetitionis pretii ad tradita per *Mas. card. de probat. vol.* 2. *concl.* 831. *n.* 18. *Menoch. de praesum. lib.* 5. *praesum.* 29. *n.* 20. *Cyriac. contr.* 299. *n.* 2. *tom.* 2., et etiam
3. si res empta fuisset in publicis nundinis, ut bene probat *Menoch. de praesum. lib.* 5. *d. praesum.* 29. *n.* 22. *Mangil. de evict. quaest.* 170. *n.* 34. *Farinac. de furt. q.* 177. *n.* 29. *ad* 31. Animadvertere tamen debet studiosus lector, quod multi sunt casus in quibus haec non procedunt.
4. Et primus adducitur, quando emptor antequam emat publicare facit proclamata, vel protestationes super emptione facienda, in hoc enim casu si dominus non compareat debet sibi imputare, et emptor qui hac cautela usus fuit non poterit cogi ad rei restitutionem nisi prius sibi refuso pretio ut bene probat *Boss. tract. crim. tit. de furt. n.* 50. *circa medium Mangil. de evict. quaest.* 170. *n.* 37.

Secundo non procedunt quoties appareat emptorem emisse cum

protestatione, quod casu, quo res empta sit aliena intendit eam emisse pro vero domino,
5. quodque est paratus eam illi restituere sibi reddito pretio, ut videtur sentire *Hostiens. in summ. de poeniten. et remiss. §. fin. vers. quid si emit rem depraedatam quem sequitur Cepolla caut.* 10., licet secundum sententiam aliorum contrarium videatur verius, cum qua ego
6. quoque libentissime pertranseo ea ratione ductus, quod cum domino competat libera rei vindicatio ad rem suam, non videtur, quod per hanc, vel aliam similem privatam protestationem tolli possit jus ipsi de jure competen. ut sustinet *Alciat. de praesum. praes.* 29. *n.* 3. *Boss. d. n.* 50. *Ludovic. decis. Perus.* 42. *n.* 1., *et* 2. *Menoch. de praesump. lib.* 5. *praes.* 29. *n.* 13. 14. *et* 15. ubi licet subdat hanc protestationem prodesse posse emptori, si cum ea concurrant aliae coniecturae bonae fidei, in hac tamen parte puto ejus opinionem veram non esse, cum bona fide non obstante emens rem furtivam eam restituere teneatur domino nullo recepto pretio, ut supra sub n. 2. fuit probatum. Quinimmo addere etiam lubet, quod quatenus daret casus ut emptor protestationem jam dictam fecisset palam, hoc est coram duobus vel tribus, et sic adhibuisset aliquas diligentias, nihilominus tamen in hac quoque hypothesi teneretur rem restituere domino nullo rece-
7. pto pretio, quoniam protestationes, et diligentiae solum prosunt emptori quando sunt factae publice per cridas scilicet, et proclamata ut edocet *Boss. tract. crim. tit. de furt. n.* 50. *in fine*, *et sustinet etiam egregius, et nunquam satis laudatus vir. D. Farinac. de furt. quaest.* 177. *part.* 3. *n.* 44., *et* 45.

Tertio limitantur quando pretium quod ab emptore rei furtivae
8. numeratum fuit, versum est in utilitatem domini rei, tunc enim si dominus cupiat rem sibi restitui, aequum etiam est, ut pretium emptori prius refundat, ut ponderat *Alciat. d. praesum.* 29. *vers. tertio declaratur Menoch. dicta praesum.* 29. *n.* 29. *Mangil. de evict. quaest.* 170. *n.* 41.

Quarto locum non habent, stante statuto, vel consuetudine a-
9. liter dictante, sicuti videmus favore judaeorum, et foeneratorum, quibus passim concessa sunt privilegia a Principibus, ut possint res furtivas sibi pignoratas, vel venditas retinere donec, et quousque per veros dominos pretium restituatur ad sensum *Menoch. d. praesum.* 29. *n.* 35. *Farinac. d. quaest.* 177. *n.* 33. ubi quod hujusmodi statuta valent *Mangil. de evict. quaest.* 170. *n.* 44. ubi tamen hanc propositionem dupliciter
10. limitat, et primo quando judaei essent sub mala fide, hoc est scirent rem esse furtivam,

cui rei addo ego quod hujusmodi scientia tanquam difficilis probationis probari poterit conjecturis, quarum multas adducit *D. Ansald. de commerc. et mercat. disc.* 27. Secundo limitat quando res a judaeis empta
11. spectaret ad aliquem clericum, vel personam ecclesiasticam, vel ad aliquem scholarem, prout etiam animadvertit *Menoch. pluries citatus sub. n.* 36. 37., *et usque ad finem ubi reddit rationem.*

Quinto limitantur in hypothesi, quod emptor rem emisset ab hostibus vel furibus exterae gentis, et remotae regionis, ita ut dominus rei derubatae il-
12. lam nullo modo, vel saltem non tam de facili recuperare posset, tunc enim emptorem non teneri ad rei restitutionem nisi prius sibi refuso pretio edocet *Alciat. supra n.* 4. *Mangil. de evict. quaest.* 170. *n.* 43. *Natta cons.* 436. *n.* 5. *et* 6. ubi etiam an onus incumbat emptori probandi quod domino impossibilis, vel saltem difficilis esset rei recuperatio.

Sexto limitantur in re vere, et proprie non furtiva, sed tantum per aliquam fraudem, mendacium, vel furtum improprium domino ablata, et sine consensu ejusdem vendita, ut passim evenit in rebus pignoratis, etenim in hujusmodi casu emptorem non teneri rem restitue-
13. re nisi sibi refuso pretio certissimum est, dummodo tamen contractus sit celebratus bona fide, et a personis in quas nulla fraudis suspicio, cadere possit, et ita testatur fuisse decisum *per Magistratum DD. Octo Baliae Virorum Civitatis Florentiae sub die* 14. *Decembris* 1679. *Sabell. in summ. divers. tract. verbo emptio n.* 57. *tom.* 2.

Ultimo limitantur quando emens res furtivas eas consumpsit, vel pro eodem pretio vendidit, nam si ad pretium conveniatur a do-
14. mino nullo modo teneri dicendum est, si venditio seu consumptio sit bona fide facta, sed solum in foro conscientiae tenebitur restituere id, in quo factus est locupletior, idest illud, quod ultra pretium ab eo exbursatum superlucratus est, secus autem in foro exteriori, ut rationibus, et auctoritatibus fuse probat *Mangil. de evict. quaest.* 170. *n.* 48. *Scac. de commerc.* §. 1. *quaest.* 7. *part.* 2. *ampliat.* 19. *n.* 82. *vers. restringe quarto*, *et seq. ubi tota materia doctissime D. Ansald. de commerc., et mercat. disc.* 28., et in generalibus terminis rei furtivae bona fide receptae, et consumptae conferunt tradita per *Calvin. de aequit. lib.* 2. *cap.* 135. *n.* 23., *et seq.* ubi quod si fur pecuniam derubatam ejus creditoribus solvat, dominus pecuniae derubatae nullam habet actionem contra creditores qui eam bona fide rece-
15. perunt, nisi per eum probetur pecuniam apud eosdem creditores extare, et non fuisse immixtam cum aliis pecuniis,

et bonis, et pro hac re eam adducit rationem, quia immixtione supposita pecunia dicitur consumpta, ideoque ejus dominium amittit dominus, et pro his faciunt etiam firmata per *Text. in l. si alieni nummi ff. de solut., et ibi glos. l. Cassius eodem tit. Gratian. discept. for. cap.* 304. *n.* 1.

16. Dixi autem *dummodo consumptio seu venditio sit bona fide facta*, quia, mala fide supposita, certum est emptorem teneri ad pretium rei furtivae emptae etiam si eam consumpserit, vel alteri vendiderit ut ultra DD. supra congestos ponderat *Spada cons.* 149. *n.* 1., *et* 2. *lib.* 1. cum hac solum declaratione, quod non potest dominus in tali casu pretium ab empto-
17. re retractum tanquam furtivum avocare ex nimis trita propositione quod redactum ex re furtiva non est furtivum, ut est apertus *Textus in l. qui vas* 49. *§. fin. ff. de furt.* qui Textus loquitur etiam in fortioribus terminis, videlicet furis qui rem derubatam vendiderit.

ARGUMENTUM.

Quaeritur an vendens cum pacto redimendi infra certum tempus, tempore elapso possit amplius redimere obtinendo hujusmodi facultatem a Principe; ulterius aliqua etiam exponuntur circa perpetuationem pacti praedicti ob modicitatem pretii, nec non circa modum eam concludenter probandi, et justificandi.

SUMMARIUM.

1. *Pactum redimendi non potest amplius exerceri elapso termino praefixo, si pactum est arctativum.*
2. *Et emptor tempore elapso potest de re libere disponere.*
3. *Princeps etiam supremus non potest tollere jus competens alicui de jure naturali vel gentium sine urgenti causa.*
4. *Et ideo non potest tollere jus, et dominium tertio quaesitum quod dicitur de jure gentium.*
5. *Quando pactum redimendi expiravit non potest princeps illud suscitare, si vero durat potest illud prorogare.*
6. *Emptor cogi potest ad retrovendendum durante termino, alias secus.*
7. *Contra haec sustinet Angelus sed ejus doctrina impugnatur.*
8. *Bona subditorum sunt principis quoad protectionem, non quoad dominium, et a nemine invito sine causa auferri possunt.*
9. *Pactum de retrovendendo efficitur perpetuum ob modicitatem pretii.*
10. *Modicitas pretii, seu laesio non praesumitur, sed est concludenter probanda de tempore venditionis.*
11. *Et ad effectum praedictum debet esse vel ultra, vel saltem circa dimidiam.*
12. *Et est habenda consideratio ad*

onus pacti praedicti, quod rei valorem minuit.

13. *Ad probandum rei valorem ex consideratione redditùum pro dignoscenda laesione debet fieri concludens probatio eorumdem redditùum per quinquennium ante contractum et per quinquennium post.*

14. *Immo sustinent alii, quod constare debet de quantitate, et valore redditùum per decennium antecedens, et per decennium subsequens.*

15. *Quando redditus est incertus, et aliquando magnus, aliquando modicus, cęssat laesio sicque agitur de re incerta, et eventuali.*

16. *Etiam, si ille qui praetendit se laesum, esset minor.*

17. *Peritus non aestimat nisi id, quod subiicitur ipsius oculis, vel quod vidit de tempore juxta quod est facienda aestimatio.*

18. *Et hoc procedit etiam si Peritus dicat assumpsisse informationes ab aliis, quia in hoc casu esset examinandus uti testis.*

19. *Judex ordinarius intra triginta vel triginta sex dies post elapsum tempus potest admittere venditorem ad francandum.*

20. *Hoc tamen non procedit stante pacto resolutivo contractus, ob quod nec modica mora purgari potest.*

21. *Pariter non procedit quantum ad hoc ut Principi liceat venditorem quandocumque admittere.*

CONSULT. V.

Ex iis quae accuratissime deducta fuerunt in informatione facti mihi communicata pro parte Domini Francisci de Burghesiis absque haesitatione aliqua videtur facienda relatio Eminentiae Vestrae Reverendissimae pro denegatione facultatis per Dominum Julium Caesarem de Blanchis petitae ad effectum redimendi bona circa annum 1688. per eundem vendita cum pacto redimendi intra quinquennium, quoniam, cum ex verbis instrumenti clare liqueat praedictam venditionem fuisse stipulatam cum pacto de redimendo arctativo, vi cujus ex communissima D. D. sententia venditor tenetur rem venditam redimere intra termi-
1. num praefixum, ita ut eo elapso pactum praedictum non possit amplius exerceri ob jus irrevocabiliter emptori quaesitum ut ponderat *Urceol. consult. for. cap. 59. n. 14. Cyriac. contr. for. 257. n. 11. tom. 2. Rot. decis. 241. n. 9. part. 17. rec.*
2. ubi quod propterea emptor tempore elapso habet liberam facultatem disponendi de re empta; hinc mihi videtur dictum Dominum Blancum hodie post decursum integrum annum a die, quo redemptio fieri debeat, frustra laborare instando pro facultate praedicta, dum Princeps etiam absolutus, et supremus non potest, nec de plenitudine potestatis tollere jus competens alicui de jure naturali vel gentium sine aliqua, et valde urgenti causa, quia licet Deus subjecerit le-

ges Principibus, ita ut ipsi legibus soluti dicantur, non tamen subjecit contractus, conventiones, et caetera alia, quae sunt de jure gentium ut animadvertit *Gabriel. in suis commun. conclus. lib.* 3. *de jur. quaest. non tollen. conclus.* 1. *Add. ad. decis.* 217. *n.* 94. *ad* 99. *et seq. part.* 9. *tom.* 1. *rec.*,
4. et consequenter nec poterit tollere jus, et dominium jam tertio quaesitum, quod de jure gentium proprie dicitur, ut docte edocet *Add. ad dict. decis.* 217. *n.* 378. 379. *et* 456. *ubi alios dat concordantes*, et in terminis pacti de retrovendendo conferunt tradita per *Capon. contr. for.* 59. *n.* 15., *et* 16. ubi
5. quod si pactum expiravit non potest Princeps illud suscitare, si vero durat, potest illud prorogare *Calvin. de aequitate lib.* 2. *cap.* 116. *n.* 1. 2., *et* 3. ubi quod supposita conventione, ut venditor redimere, et fran-
6. care debeat infra certum, et determinatum tempus, sicuti potest Princeps cogere emptorem ad retrovendendum intra illud tempus; ita elapso termino, et francatione non facta omnis suadet aequitas, quod emptor non sit cogendus ad rem dimittendam quibus addo *Gratian. discept. for. cap.* 957. *n.* 1. ubi in fortioribus terminis loquitur.

Neque mihi videtur obstare famigerata doctrina *Angeli in l. ita si verberatum §. primo ff. de rei vindicat.*, qui contrariam tenuit sententiam, quia ejus opinio est communiter reprobata, et immerito ipse dicit contrariae opinionis sectatores mentiri, cum non ut Angelus, sed ut
7. homo mendax loquutus fuerit, ut magistraliter probet *Add. ad dict. decis.* 217. *n.* 94., *et seq. part.* 9. *rec. Gabriel. in suis commun. conclus. lib.* 3. *de jure quaesit. non tollen. concl.* 1. *Cravett. cons.* 241. *n.* 20. *Menoch. cons.* 103. *n.* 68. 76., *et seq. Pascal. de patr. potest. part. prima cap. primo n.* 89. ubi praedicta opinione reprobata, et hac pro veriori, et communiori canonizata ait, nam bona subditorum sunt Principis quoad protectionem tantum, non quoad dominium, et
8. proprietatem, et ideo a nemine invito sine causa auferri possunt, propterea subdit quod Princeps donare potest bona alterius ob commune bonum, quando non habet aliud, quod det, alias donec habet de suo donare debet, non autem extendere ad iniquitatem manus suas, idest ad bona aliorum, quae sua non sunt, nam species furti est de alieno largiri, ideo debet servare legem, quam subditis posuit, et semper quando donat ob publicam utilitatem debet solvere justum pretium.

Rursus non relevat, quod dictus Dominus de Blanchis venditor sit admittendus ad redimendum
9. etiam extra tempus conventum propter modicitatem pretii ob

quam pactum de retrovendendo efficitur perpetuum, ut ponderat *Capon. contr. for.* 59. *n.* 20. *Calvin. de aequit. lib.* 2. *cap.* 116. *n.* 5. Quoniam responde-
10. tur modicitatem pretii in dubio non praesumi, ut post infinitos qui adduci possent, firmavit *Cyriac. contr.* 255. *n.* 40. *Rot. rec. decis.* 174. *n.* 24. *part.* 17. et cum exadverso non fuerit concludenter probata, merito dici potest dictum Dominum Blancum defecisse in salutari suo, quod consistebat in probando quod de tempore venditionis ipse fuerit laesus in pretio, et quidem ultra dimidiam ut ponderat *Rot. part.* 15. *de-*
11. *cis.* 2. *n.* 3., *et seq.* vel saltem circa dimidiam, ut edocet egregius vir. *D. Palma nepos part.* 3. *alleg.* 211. *n.* 14., *et seq.* ubi ait, quod partes non habent facultatem redimendi elapso termino, nisi supposita laesione, quae debet esse vel ultra, vel circa dimidiam, et subdit, quod licet aliqui dicant relinqui judicis arbitrio quando dicatur adesse pretii modicitas, tamen arbitrium intrare potest, quando laesio est circa dimidiam, non autem minor si aliae conjecturae non concurrant pro simulatione. Quinimmo, quatenus etiam data fuisset concludens probatio allegatae laesionis, ea suffragari non pos-
12. set nisi habitus esset respectus ad onus pacti praedicti, quod rei valorem minuit, ut animadvertit *Amat. resol.* 61. *n.* 24. *Rot. part.* 4. *tom.* 2. *decis.* 344. *n.* 10. *et seq.*, *et latius dixi in consult.* 53.

Et licet plura exadverso fuerint cumulata ad ostendendam, et probandam laesionem praedictam, ex omnibus tamen actitatis, et factis, nec minus data fuit semiplena probatio.

Testes enim, de quibus in processu signato littera F: solum deponunt circa fructus horum bonorum habitos a Domino Blanco in uno anno, nec verba faciunt de sequentibus, vel antecedentibus annis; ideoque ex his nihil valet pars adversa deducere, quod ejus intentionem fundare possit, cum nimis sit notum in jure, quod ad probandum rei valorem ex consi-
13. deratione reddituum pro effectu dignoscendae laesionis concludentissime est probanda quantitas, et valor reddituum perceptorum ex bonis, de quibus agitur per quinquennium ante tempus contractus qui praetenditur laesivus, et per quinquennium post, ut edocet *Rot. in rec. decis.* 343. *n.* 8. *part.* 17., *et coram Buratt. decis.* 808. *n.* 22. ac etiam secundum senten-
14. tiam aliorum per decennium antecedens, et per decennium subsequens ut ponderat. *Rot. decis.* 93. *n.* 6. *post Bonden. colluct. legal.*, *et sentire videtur etiam Gratian. discept. for. cap.* 752. *n.* 47. Quinimmo tantum abest, quod ex dictis testibus aliqua concludens probatio desumi possit, quod ipsimet pos-

sibilitatem laesionis excludunt, deponendo quod redditus dictorum bonorum est incertus, dum per aliquos annos magnum, per alios vero nullum fere fructum reddunt, ut ex lectura processus fol. 99. quae incertitudo, et eventus removet pe-
15. nitus actionem intentandi laesionem, cum in tali casu contrahentes dicantur aeque se habere ad lucrum, ac ad damnum *Odd. de restit. in integr. part. prima quaest.* 4. *art.* 6. *Coccin. decis.* 1544. *n.* 21. ubi ait hoc
16. procedere etiam si qui praetendit se laesum, esset minor, addo *Rot. decis.* 150. *n.* 12. *part.* 11. *et decis.* 374. *part.* 13. ubi de jure incerto, et eventuali.

Alii autem testes examinati de quibus in Processu littera S. pariter nihil concludunt, quia omnes deponunt dubitative, et quod pejus est non feriunt tempus celebrati contractus, et hac eadem ratione parvi pendenda est relatio Periti per Dominum Blancum electi dum iste retulit tantummodo circa statum praesentem, at si relationem fecisset super antiquo, et praeterito nullam fidem obtinuisset,
17. cum Peritus non aestimet nisi id, quod subiicitur ipsius oculis, vel quod vidit de tempore juxta quod est facienda aestimatio *Cyriac. contr.* 61. *n.* 4. *Rot. decis.* 532. *n.* 15. *part.* 5. *rec. et decis.* 203. *n.* 2., *et* 13. *part.* 12. *rec.* etiam si di-
18. xisset assumpsisse informationem a personis bene informatis, quoniam non tanquam Peritus, sed uti testis deberet deponere, et formaliter examinari, ut sustinet *Postius de subhast. inspect.* 60. *n.* 17. *Rot. post eumdem decis.* 53. *n.* 6. *Bich. decis.* 279. *n.* 32., *et decis.* 203. *n.* 4. *part.* 12., *et* 468. *n.* 21. *part.* 14. *rec.*

Tandem non obstat, quod sicuti Judici Ordinario permissum est infra breve tempus, idest triginta, vel triginta sex dierum
19. venditorem restituere, et admittere ad francandum, ut tradit *Rot. coram Cavaler. decis.* 70. *n.* 2. Ita ad hoc, ut Principi major tribuatur potestas talis facultas ei sit concedenda semper, et quandocumque. Quoniam praeter quamquod conclusio deducta ex allegata decis. Cavaler. in nostra hypothesi non applicatur praecipue propter pactum resolutivum, con-
20. tractus inter partes stipulatum, vi cujus venditor nec minus admittitur ad modicam moram purgandam ut docte animadvertit *Add. ad Ludovic. dec.* 559. *§. limitatur tertio, Verall. decis.* 235. *part.* 2. *n.* 1. respondetur etiam propter alias rationes argumentum non concludere, et evidentem continere errorem, et praecipue, quia in proposito vera non est propositio, quod Principi sit major tribuenda facultas, quam Judici Ordinario, nam si hoc verum esset necessarium foret fateri, vel quod Principi con-

21. cessum esset jus tertio quaesitum auferre, quia Judex Ordinarius ideo admittere potest venditorem ad redimendum infra brevem terminum post lapsum tempus, quoniam propter brevitatem, et modicitatem temporis videtur, quod vere, et proprie adhuc emptori non sit jus quaesitum, vel potius dicere oporteret, quod in venditionibus cum pacto de redimendo infra certum tempus, eo etiam elapso nunquam jus emptori quaereretur respectu Principis, sed illud semper in pendulo maneret, quae omnia quam maxima sint absurda unusquisque manibus tangere poterit ex iis quae superius late adducta fuerunt, et etiam de se patet.

ARGUMENTUM.

Venditione ejusdem rei pluribus personis facta an primus vel secundus emptor sit praeferendus, diligenter hic examinatur, et resolvitur.

SUMMARIUM.

1. *Eadem re pluribus vendita ille praefertur, cui primo est tradita possessio etsi posterior in tempore.*
2. *Venditio simplex obligat solum personam vendentis, traditio vero transfert dominium.*
3. *Actio personalis non datur contra singularem successorem qualis est emptor.*

4. *Sed haec intentari debet contra venditorem qui tenetur ad damna, et interesse.*
5. *Cui fuit res tradita, praefertur etiam si ei facta esset venditio cum reservatione dominii, et habita fide de pretio.*
6. *Ille, cui fuit res tradita praefertur etiam si haberet solum pro se promissionem de vendendo, et alteri esset de facto res vendita.*
7. *Dominium transfertur etiam stante sola promissione de vendendo quando venditor recepto pretio rem emptori tradit.*
8. *Constitutum transfert possessionem in constitutarium.*
9. *Possessio probatur ex testibus deponentibus de actibus possessoriis.*
10. *Ex traditione clavium dicitur tradita possessio eorum, quae sunt sub clavibus praecedente aliquo legitimo titulo.*
11. *Si Princeps eamdem rem pluribus vendat, primus praefertur, etsi secundus veram, et realem possessionem habuerit.*
12. *Quando secundus emptor, cui facta fuit traditio sciebat rem alteri fuisse venditam, tunc non praefertur.*
13. *Si venditor in prima venditione promisit rem alteri non vendere, et pro observantia contractus specialiter obligavit rem venditam, secundus emptor, cui tradita est possessio non praefertur.*
14. *Quando Ecclesia vendit alteri Ecclesiae, vel personae ecclesiasticae, primus emptor praefertur, prout etiam in spiritualibus, et beneficialibus.*

15. *Primus emptor habens pro se constitutum praefertur secundo, cui res fuerit actualiter tradita.*
16. *Quod tamen fallit quando contractus non est validus.*
17. *Secundo fallit quando constitutarius est negligens in apprachendenda possessione naturali per decem annos, et res est penes tertium, quod tamen declaratur.*
18. *Item fallit quando prima venditio est conditionalis, et ante purificatam conditionem res alteri pure venditur, et traditur, et adducitur ratio.*
19. *Pariter fallit ubi constitutarius est absens.*
20. *Si lis vertit inter emptorem, et venditorem super effectuatione contractus, et primus emptor inhibeat venditorem ne alteri vendat, ipse est praeferendus.*
21. *Primus emptor pauper praefertur secundo diviti habenti rei traditionem.*
22. *Quando secundus emptor veram, et realem possessionem probare non potest praefertur primus.*
23. *Dummodo tamen prima sit vera venditio, secus si promissio de vendendo, nam in hoc ultimo casu competit promissario solum actio personalis contra promittentem.*
24. *Si emptor, cui res tradita fuit non solvit pretium, et de eo non est habita fides potest res alteri vendi, et iste est praeferendus.*
25. *Contractus emptionis, et venditionis est indissolubilis etiam pretio non soluto.*
26. *Sed quomodo haec procedant declaratur.*
27. *Quando quis rem vendidit uni, et juravit alteri non vendere, si deinde vendat, et tradat, primus praefertur.*
28. *Sed contrarium est verius.*
29. *Si dominus uni vendat, et eadem die Procurator alteri, et neutro sit tradita res, et ignoretur cui primo sit facta venditio, tunc est praeferendus ille cui vendidit dominus.*
30. *Si tamen venditio facta a Procuratore haberet horam, haec praevalere deberet.*

CONSULT. VI.

Quoniam saepe contingit, ut eadem res ab eodem pluribus personis vendatur, quodque horum quilibet super re empta praelationem praetendat; id circo ad tollendas controversias, quae inter emptores oriuntur
1. circa praelationem praedictam; sciendum est, quod ubi una, et eadem res pluribus vendita fuit, ille est praeferendus, cui primo est tradita possessio, quamvis sit posterior in tempore per *Text. in l. quoties C. de rei vindi. l. sive autem §. duobus ff. de publi.*, *Pacion. de locat. et conduct. cap. 21. n. 12. Add. ad Ludovic. decis. 567. n. 10. et seq. Rot. decis. 426. n. 1. part. 4. tom. 2. rec. Honded. cons. 52. n. 2. etc. 12. lib. 1.*, et hujus rei ea adducitur ratio,
2. quia cum venditio simplex obliget solum personam vendentis, traditio vero transferat dominium, non igitur mirum

si habens traditionem, quamvis
posterior, praeferatur in re
empta, sitque tutus ab omni,
et quacumque exceptione, dum
notum in jure est, quod a-
ctio personalis non datur con-
3. tra singularem successorem
qualis dicitur emptor *Honded.*
cons. 52. *n.* 13. *lib.* 1., sed
haec intentari debet contra per-
4. sonam venditoris, qui ad dam-
na, et interesse tenetur idem
Honded. cons. 52. *n.* 14. *lib.*
1., et cum hac nostra senten-
tia pertransit etiam *Urceol. con-*
sult. for. cap. 5. *n.* 50. *et seq.*
ubi quod primo ementi tradita
possessione non licet amplius
alteri vendere, et si vendatur,
secundus rem venditam non
consequetur, etiam si venditio
5. esset facta primo cum reser-
vatione dominii, et habita fide
de pretio, et his omnibus con-
ferunt in fortioribus terminis
tradita per doctissimum virum
D. Franciscum Palma consult.
6. 13. ubi quod ille, cui fuit
res tradita praefertur etiam si
solum haberet pro se promissio-
nem de vendendo, et alteri es-
set de facto res vendita, cui
rei favere videtur *Fachin. contr.*
for. lib. 2. *cap.* 5. *per tot.* ubi
ait, quod licet aliqui asserant
dominium rei in emptorem non
transferri stante sola promissio-
ne de vendendo, sed solum a-
ctionem personalem oriri con-
tra promittentem, contrarium
tamen est verius quando pro-
missione de vendendo praece-
7. dente, venditor recepto pretio
rem emptori tradidit, quoniam
per traditionem acquiritur do-
minium si praecedat causa suf-
ficiens saltem in spe, et poten-
tia, ut suis locis fuit etiam di-
ctum de venditione conditiona-
li, etc., et respondendo con-
trariis late probat auctor citatus.
Haec autem possessio pluribus
modis probari potest; et primo
8. per pactum constituti in ven-
ditione appositi, cujus natura
est transferre possessionem in
constitutarium *per Text. in l.*
interdum, *et l. quod meo ff. de*
acquir. possess. Ludovic. decis.
567. *cum annot. n.* 10. *Rot. de-*
cis. 284. *n.* 1. *part.* 5. *tom.* 1.
rec., *et decis.* 251. *n.* 12. *part.*
6. *rec. Cavaler. d.* 399. *n.* 3.
Honded. cons. 52. *n.* 40. *lib.* 1.
9. Secundo ex testibus deponen-
tibus de actibus possessoriis,
ut ponderat *Rot. decis.* 130. *n.*
4. *part.* 7. *rec.*, *et decis.* 220.
n. 2. *part.* 5. *tom.* 1. *rec.* Ter-
tio ex traditione clavium prae-
cedente tamen aliquo legitimo
titulo probari poterit possessio,
10. cum per hujusmodi traditio-
nem dicatur tradita possessio
eorum, quae sunt sub clavi-
bus, ut edocet *Add. ad Buratt.*
decis. 32. *n.* 7. *ubi concordantes.*
Caeterum ab his recedendo, quo-
niam proprie ad rem nostram
non faciunt, et redeundo ad
regulam generalem, quam su-
pra in principio firmavimus,
notandum est, quod licet in
abstracto considerata verissima
sit, in concreto tamen multas
patitur limitationes. Et primo

non procedit in contractu, seu concessione facta a Principe supremo, ex cujus contractu cum transferatur possessio etiam sine traditione, propterea
11. si Princeps eamdem rem duobus ordine successivo concedat, primus est praeferendus etsi secundus veram, et realem possessionem prius habuerit, ut sustinet *Gaill. obs.* 55. *per tot. lib.* 2.

Secundo non procedit quando secundus emptor, cui facta fuit traditio, sciebat rem alteri fuis-
12. se venditam, quia tunc cum participet cum venditore ad praejudicium primi emptoris, ideo propter hanc malam fidem non esse praeferendum optime dixit *Rot. decis.* 426. *n.* 2., *et* 3. *part.* 4. *tom.* 2. *rec. Gaill. obs.* 55. *n.* 11. *lib.* 2. *Honded. cons.* 52. *n.* 49. *lib.* 1. *Cravetta cons.* 77. *n.* 18. *vers. simile videmus cum aliis adduct. per Rot. coram Coccino decis.* 1404., *et post Merl. de pign. decis.* 12.

Tertio non procedit quando in primo contractu venditor promisit nullo modo contravenire,
13. et pro observantia contractus specialiter obligavit emptori rem venditam, quoniam tunc etsi alteri vendatur, et in eum transferatur naturalis possessio, res tamen transit cum causa, et onere suo *ex l. si Creditor*, *et ibi Bart. ff. de distract. pign.*, et conferunt ea, quae diximus in consult. de emptore an teneatur stare locationi.

Quarto limitatur in hypothesi, quod Clericus, vel alia persona Ecclesiastica venderet Ecclesiae, vel personae Ecclesiasticae, vel quando essemus in spirituali-
14. bus, beneficialibus, quoniam in istis casibus non requiritur vera traditio, sed solum attenditur anterioritas temporis, et qui prior est in titulo, prior etiam est in possidendo, et propterea est praeferendus primus emptor, licet secundus adeptus fuerit veram, ac realem possessionem rei venditae, ut docte animadvertit *Gaill. obs.* 55. *n.* 9. *lib.* 2. *Add. ad Ludovic. decis.* 567. *vers., et praesertim, et vers. sexto non procedit Gras. de effect. Cleric. effect.* 53. *per tot. omnino viden.*

Quinto limitatur quoties primus emptor habet pro se constitutum, cujus natura (exceptis tamen nonnullis casibus infra
15. notandis) est transferre possessionem in constitutarium, ut supra fuit dictum, et hoc procedit etiam ad praejudicium alterius, cui deinde res fuerit actualiter tradita, ut bene firmat *Urceol. consult. for. cap.* 5. *n.* 51. *ad* 52. *ubi alios cumulat ;* casus autem in quibus constitutum effectum jam dictum non operatur, sunt primo, quando contractus non est va-
16. lidus, ut firmat *Rot. decis.* 34. *n.* 4. *part.* 6. *rec.* Secundo quando constitutarius est negligens in apprehendenda possessione naturali per decem an-
17. nos, et res est penes tertiam

personam, haec enim duo requiruntur secundum sententiam *Merl. de pignor. lib. 4. tit. 4. quaes.* 120. *n.* 34. *et* 35. ubi tamen haec intelligit supposita ignorantia constitutarii, quod res sit penes tertium, alias breviori tempore amitteretur possessio. Tertio ubi prima venditio non est pura, sed conditionalis, puta ad mensuram, vel incerta ratione loci, et quotae, quoniam tunc cum con-
18. stitutum non pariat effectum translationis dominii in constitutarium nisi adveniente, et purificata conditione, ut aliis omissis videre est apud *Cyriac. contr. for.* 255. *n.* 57., *et* 58. *tom.* 2. *Merl. de pign. lib.* 4. *tit.* 4. *quaest.* 120. *n.* 36. hinc sequitur, quod si pendente conditione, hoc est ante mensuram, etc. res pure alteri vendatur, ille, quamvis secundus est praeferendus, dummodo tamen possessionem per constitutum, vel aliter ante purificationem conditionis habuerit ex iis, quae optime de more suo scripsit nunquam satis laudatus *Alex. Imolen. in cons.* 228. *n.* 3., *et seq. lib.* 6. ubi subtilissime materiam examinando subdit, quod licet adveniente conditione aliquando contractus fiat purus ex tunc, hoc est a die celebrationis *l. potior.* 11. *ff. qui pot. in pign. hab.*, hujusmodi tamen retrotractio non est admittenda in praejudicium secundi emptoris, qui medio tempore contraxit, ut apud auctorem citatum videre est, et signanter sub. n. 4. Et
19. quarto, et ultimo quando constitutarius est absens, cum clausula constituti suum operatur effectum, ubi quis constituit se possidere nomine ejus qui praesens est, secus si absens, ex rationibus, et auctoritatibus, quas cumulat *Sperell. decis.* 171. *n.* 28.

Sexto limitatur regula ut facta venditione ejusdem rei pluribus personis ille sit praeferendus, cui primo est tradita possessio, limitatur in quam ubi lis vertit inter primum emptorem, et venditorem super effectuatione contractus, et primus emptor inhibuit vendito-
20. rem ne alteri rem venderet nec traderet, in tali enim themate si venditor inhibitioni non pareat, et alteri vendat, secunda venditio poterit revocari tanquam attentata, et illegitime facta *Rot. coram Coccin. decis.* 1404. ubi quod hoc non procedit si lis non pendet inter emptorem, et venditorem *Rot. post Merl. de pign. decis.* 12.

Septimo limitatur quando primus emptor, cui non fuit tradita possessio est pauper, hic enim
21. ex privilegio paupertatis erit praeferendus secundo emptori diviti habenti rei traditionem, ut edocet *Velasc. de privil. paup., et miser. person. part. prima quaest.* 23. *n.* 9., *et seq.* ubi alios congerit, et eam adducit rationem, quia in piis causis dominium absque rei traditione transit.

Octavo limitatur regula supra adducta, ut non procedat ubi secundus emptor, qui veram,
22. et realem possessionem habuit hoc probare non posset, tunc enim procul dubio primus emptor esset praeferendus, ex regula, quod prior in tempore potior est in jure, ut docte sustinet egregius vir *Alex. Imolensis in cons.* 92. *n.* 12. *lib.* 5. *Pacion. de locat., et conduct. cap.* 21. *n.* 2. *Honded. cons.* 52. *n.* 36., *et* 37. *lib.* 1. ubi quod hoc procedit dummodo prima sit vera venditio, secus si promissio de vendendo etiam ju-
23. rata, quia in hoc secundo casu esset praeferendus secundus, cui vere facta fuit venditio, sola remanente actione personali illi, cui facta fuit promissio de vendendo ad interesse contra promittentem.

Nono limitatur quando emptor, cui res tradita fuit non solvit pretium in venditione conventum, et de eo non fuit habita
24. fides, sed venditor putabat statim pretium recipere, quoniam tunc si res alteri deinde vendatur, et iste pretium solvat venit praeferendus ut docet *Honded. cons.* 52. *n.* 41. *ad* 43. *ubi concordan.* licet enim vulgata sit propositio, quod
25. contractus emptionis, et venditionis indissolubilis est etiam pretio non soluto *Altograd. cons.* 45. *n.* 49. *et* 30., *et cons.* 90. *n.* 20. *lib.* 2. *Rot. decis.* 35. *n.* 3. *part.* 9. *tom.* 1. *rec.* haec tamen non procedit quando de pretio non fuit habita fides, et res non fuit emptori tradita, vel si tradita fuit, venditor putabat statim pretium recipere, in hujusmodi enim casu ob mo-
26. ram emptoris in solvendo pretio eamdem rem posse alteri vendi ultra *Honded. supra allegat. sustinet. etiam Urceol. consult. for.* 5. *n.* 48. ubi etiam si fuerit habita fides de pretio sed per modicum tempus: quae tamen an sibi vindicent locum ubi venditor partem, pretii recepit, et retinet, punctum resolvit *Urceol. in allegata consult.* 5. *n.* 34., *et seq.*, *et in appendic. ad eamdem consult. n.* 34.

Ultimo limitatur secundum non-
27. nullorum sententiam quando quis rem vendidit uni cum juramento de illam alteri non vendendo, licet in hoc casu contrarium mihi verius videatur, videlicet, quod si res alteri vendatur, et tradatur non obstante juramento secundus emptor sit praeferendus, quo-
28. niam juramentum non valet reddere secundam venditionem nullam, sed solum facit, quod qui juravit pejerat, ut bene ponderat, *Sperell. decis.* 171. *n.* 32. *ubi concordan.*

Demum hic pro coronide sub silentio non omittendum censui, quod si daret casus, ut quis haberet procuratorem cum facultate vendendi, et eadem die dominus uni, et procurator alteri eamdem rem venderent, neutro tamen ex his facta tra-

ditione, et ignoraretur cui pri-
29. mo esset facta venditio, et tunc esset praeferendus ille, cui vendidit dominus, ut in casu omnino simili de Episcopo scilicet concedente facultatem Vicario suo beneficia conferendi probat *Pacion. de locat., et conduct. cap.* 21. *n.* 4., *et* 5.
30. ubi hoc limitat si concessio facta a procuratore, vel Vicario haberet horam, quoniam per appositionem horae contractus redditur magis specificus, et aliis praevalet, quod dixit etiam *Add. ad Buratt. decis.* 32. *n.* 6.

ARGUMENTUM

Jus patronatus an titulo venditionis in alium transferri possit, et an Episcopi consensus sit necessarius discutitur in hac consultatione.

SUMMARIUM.

1. *Venditio jurispatronatus principaliter, et de per se facta est nulla, et vendens excommunicationem, et privationem jurispatronatus incurrit.*
2. *Si plures sunt compatroni, et unus tantum vendit pro portione ad eum spectante beneficium remanet liberum, et collatio libera est Episcopi.*
3. *Donatio jurispatronatus de per se facta valet cum consensu Episcopi.*
4. *Et sufficit quod dictus consensus superveniat post donationem.*
5. *Sed tamen ante vacationem accedere debet.*
6. *Donatio jurispatronatus de per se valet, quia fit gratis, non sic vero venditio.*
7. *Venditio jurispatronatus quando non est facta de per se, sed in consequentiam rei universalis valida est.*
8. *Et ideo vendito Castro, Villa, etc. juspatronatus in eis existens transit in emptorem.*
9. *Et hoc idem dicitur vendita haereditate.*
10. *In his casibus non est necessarius consensus Episcopi.*
11. *Donatio jurispatronatus de per se requirit consensum Episcopi ut dictum fuit.*
12. *Secus vero si donatio sit omnium bonorum, et jurium inter quae reperiatur juspatronatus.*
13. *Vendens si in venditione dicat vendo tale Castrum, et juspatronatus, venditio non valet.*
14. *Secus si omnia bona, jura, et actiones vendantur, et in his reperiatur juspatronatus.*
15. *Vel si venditor dicat vendo Villam, in qua adest juspatronatus, vel Villam cum suis juribus videlicet jurisdictione, juspatronatus, etc.*
16. *Vendens juspatronatus sub universitate bonorum si nihil habet praeter juspatronatus, vel parum plus, venditio non valet.*
17. *Quando juspatronatus est gentilitium, et ad extraneos non transmissibile, venditio non valet quoad juspatronatus.*
18. *Secus quoad caetera bona.*

CONSULT. VII.

Interrogatus ut super sequenti articulo meum animi votum pro veritate interponerem, videlicet an juspatronatus titulo venditionis in alium transferri possit, respondebam hujusmodi puncti decisionem ex eo pendere utrum jurispatronatus venditio fiat, aut facta sit principaliter, et de per se, vel accessorie, et in consequentiam rei universalis.

1. Quandoquidem si primum casum capiamus, communis juristarum sententia est, quod nedum venditio nullitatis vitio subiiciatur, sed etiam quod vendens excommunicationem, et privationem ejusdem jurispatronatus incurrat, ita ut Ecclesia remaneat libera, ut lato calamo firmavit *Vivian. de jure patronat. part. prima lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 9. *ad* 12. ubi quod si singulares personae vendiderint debent excommunicari, si vero Universitas vel Collegium Ecclesiastico subiici debet interdicto, et jurepatronatus ipso jure privari, ita, et taliter, quod si plures

2. sint compatroni, et unus tantummodo vendat pro portione ad eum spectante beneficium remanet liberum, et collatio pro parte praedicta libera sit Episcopi, quibus addo *Concil. Tridentin. sess.* 25. *super reform. cap.* 9. circa medium.

Et licet contra haec obstare videatur, quod sicuti donatio jurispatronatus etiam de per se facta de jure substinetur, dummodo tamen consensus, et confirmatio ordinarii accesserit ex

3. nimis trita juris propositione, quod juspatronatus potest cedi, et donari cum consensu Episcopi *cap. illud de jure patr. Rot. coram Coccin. decis.* 106. *n.* 5., *et* 453. *n.* 1., *et* 2., *et coram Cerro decis.* 255. *n.* 4.

4. etiam si hujusmodi consensus, et approbatio superveniret post donationem, cum per necesse non exigatur in ipso actu donationis *cap. suggestum de jurepatr. Rot. decis.* 606. *n.* 2. *part.* 3. *rec.*, *et decis.* 191. *n.* 7. *part.* 5. *tom.* 1., *et coram Coccin. decis.* 453. *n.* 7. dummodo tamen accedat antequam vacatio Ec-

5. clesiae contingat, et quaeratur jus tertio per praesentationem, ut probatur in allegata *decis. Cerr.* 255. *n.* 7. Ita etiam valere debet venditio jurispatronatus etiam si facta sit principaliter, et de per se.

Attamen ex diversa, et omnino extranea ratione inter hos casus intercedente obiectum penitus eliminatur; in tantum enim affirmant DD. donationem jurispatronatus de per se factam validam esse, quia ea optima ratione moventur, quod cum donatio praedicta fiat gratis, nulla scilicet recepta pecunia, nulla in ea est considera-

6. bilis pravitas simoniaca secus autem est in venditione jurispatronatus, in qua recipitur certa merces, seu pretium ut bene animadvertit *Vivian. loco*

citato n. 9., *et est text. in cap.*
de jurepatr.
Descendendo autem ad secundum
casum videlicet ubi jus patro-
natus non est venditum de per
se, sed accessorie, et in con-
sequentiam rei universalis, prae-
suppositis requisitis, seu condi-
7. tionibus infra notandis, com-
muniter D. D. in hac hypothesi
in eam sunt sententiam, quod
venditio valida sit, et quod
cum bonis venditis veniat in
consequentiam juspatronatus,
ut bene probat *Mantic. de ta-
cit.*, *et ambig. lib.* 4. *tit.* 9. *n.*
22. *et seq.*, *et tit.* 12. *n.* 7. u-
bi quod si venditum sit Ca-
strum, vel Villa, in quibus
sit Ecclesia jurispatronatus, il-
8. la etiam in emptorem transfer-
tur, et multas adducit rationes
*Barb. in cap. ex litteris de ju-
re patronat. n.* 2. ubi quod jus-
patronatus consistens in aliqua
universitate bonorum, etiam
temporalium transit bonis ven-
ditis, vel permutatis in acqui-
sitorem *Vivian. de jure patro-
nat. part. prima lib.* 4. *cap.* 1.
n. 3., *et seq. Salgad. Labyr.
Cred. part.* 3. *cap.* 5. *n.* 1., *et
seq.* ubi sub n. 2., et 4. idem
9. ait procedere in venditione
haereditatis, et dat concordan.
Quinimmo adeo libenter cum
hac sententia pertranseunt ju-
ris professores, quod eam pro-
10. cedere asserunt etiam si Epi-
scopi consensus, seu approba-
tio non accesserit, ut, aliis o-
missis, docte ponderat *Barbos.
in cap. ex litteris de jure patro-
nat. n.* 2. quemadmodum etiam
videmus in donatione jurispa-
tronatus, in qua licet sit ne-
11. cessarius ordinarii consensus,
si sit facta donatio jurispatro-
natus de per se, ut supra fuit
firmatum, tamen ubi agitur de
donatione universali omnium
bonorum, et jurium inter quae
reperiatur juspatronatus, non
12. est necessarius pro illius va-
liditate consensus Episcopi, ut
sustinet *Rot. rec. decis.* 207. *n.*
15., *et* 16. *part.* 6.
Requisita porro, seu conditiones
necessariae ad effectum, ut
venditio jurispatronatus facta
sub universitate bonorum vali-
da dici possit, tria pro meo
judicio adduci possunt. Primum
est, quod in venditione de ju-
repatronatus ita non fiat ex-
pressio, ut dici possit aeque
principaliter venditum, ac ipsa
universitas bonorum; quare si
venditio fieret hoc modo vide-
13. licet vendo tale Castrum, et
juspatronatus venditio simonia-
ca, et nulla esset, quia tunc
diceretur aeque principaliter
consideratum, et venditum jus-
patronatus, ac ipsum Castrum,
14. si vero venditio fieret his ver-
bis scilicet vendo omnia bona,
jura, et actiones, et in dictis
bonis adesset jurisdictio juris-
patronatus, venditio valeret ob
allegatas rationes ut edocet quo-
que *Salgad. loco supra citato n.*
19., *et seq.* sicuti etiam valida
esset, si dictum fuisset: ven-
do tale Castrum, vel Villam,
in qua adest jurisdictio jurispa-

tronatus, seu villam cum om-
15. nibus suis juribus, videlicet jurisdictione jurispatronatus etc. in his enim casibus talis expressio diceretur facta declarative, et ad indicandum emptori, quod sub bonis venditis continetur juspatronatus, non vero ad effectum illud aeque principaliter alienandi, ut bene hos casus perpendendo distinxit doctissime *Rota decis.* 399. *n.* 4., *et* 5. *part.* 2. *tom.* 1. *rec.*, *et decis.* 173. *n.* 29. *et seq. part.* 7. *rec.* ubi multa ad propositum. Alterum requisitum est quod vendens juspatronatus sub universitate bonorum, aliquid aliud habeat praeter juspatronatus, quoniam si ven-
16. ditor non haberet in bonis nisi juspatronatus, vel parum plus, tunc venditionem non valere, certissimum est, etiam si esset concepta de omnibus bonis juribus, etc. ut docte ponderat *Salgad. Laby. Cred. part.* 3. *cap.* 5. *n.* 28. *et* 29., et ea ratione suadetur, quia in hujusmodi hypothesi expressio vendendi omnia bona, et jura videretur facta ad solum finem fraudandi legem, ut de se patet, et animadvertit auctor citatus. Tertium tandem, quod ad effectum praedictum est necessarium in eo consistet, quod jus patronatus habeat qualitatem haereditariam, sicque sit transitorium ad quoscumque haeredes, caeterum si tale non
17. esset, veluti quia esset gentilitium, tunc in praejudicium vocatorum non veniret jus patronatus sub venditione universitatis bonorum, et venditio invalida esset, saltem quoad jus patronatus, ut tenent omnes de hac materia scribentes, quidquid sit quoad alia bona, de qua re consulere est *Vivian. de jure patr. part. prima lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 22. ubi quod vendi-
18. to jurepatronatus expresse, et conjunctive cum universitate bonorum, venditio est nulla, quoad juspatronatus, valida vero quoad caetera bona.

ARGUMENTUM.

Disputatur in hoc loco an creditor qui dedit pecuniam pro re emenda, cum reservatione specialis hypothecae super eadem re, si praeferendus omnibus creditoribus emptoris.

SUMMARIUM.

1. *Uxor pro suo credito dotali anteriori praefertur ei, qui dedit pecuniam pro re emenda cum speciali hypotheca super eadem re.*
2. *Et quid si mulier non esset anterior.*
3. *Creditor in re empta ex propriis pecuniis cum dicta speciali hypotheca praefertur etiam creditori ex causa dotis, stante pacto, quod creditoribus ementis quantumvis privilegiatis, etc. nullum jus acquiri possit ad praejudicium pecuniam dantis.*
4. *Dispositio* legis licet C. qui pot. in pign. *non procedit quoad do-*

tes anteriores nisi certa adhibita cautela.

5. *Reservatio dominii tribuit praelationem vendenti, etiam adversus creditorem ex causa dotis.*

6. *Reservatio dominii resolvitur in hypothecam specialem pro faciliori consecutione pretii.*

7. *Hoc tamen intelligendum est de speciali hypotheca privilegiata.*

8. *Qui dedit pecuniam pro re emenda concurrentibus requisitis de quibus hic fit mentio, praeferri debet omnibus creditoribus emptoris non privilegiatis.*

CONSULT. VIII.

Cum quidam amicus meus certam pecuniae quantitatem dedisset, cuidam Francisco de Franchis erogandam in emptionem certi fundi, cum reservatione tamen specialis hypothecae super eodem fundo, dedit casus, quod expleta emptione praedicta, abinde citra dictus de Franchis ab humanis recessit; unde facto loco restitutioni dotis uxoris, et aliis etiam detectis debitis, quibus defunctus reperiebatur gravatus, insurrexit disputatio inter creditores praedictos, quinam esset praeferendus super fundo empto ex pecuniis dicti amici?

Scribens ego pro veritate, dicebam, uxorem pro suo credito dotali tamquam anteriori, et privilegiato praeferendam esse omnibus creditoribus, et consequen-
1. ter etiam illi, qui ejus viro dederat pecuniam pro dicta re emenda, et pro hujus propositionis fundamento, omissis ratiociniis, adducebam dispositionem *Text. in §. his consequen. Auth. de aequalit. dot.* communiter amplexatam, per quam correctum esse *Text. in l. licet C. qui pot. in pign.* quoad dotes anteriores, qui contrarium suadere videtur, post multos quos cumulant, mordicus sustinent *Gratian. discept. for. cap.* 257. *n.* 33. *Gaill. obs.* 12. *n.* 4. *lib.* 2. *Rot. decis.* 328. *n.* 24. *part.* 5. *rec. tom.* 1. *Mantic. de tacit., et ambig. convent. lib.* 11. *tit.* 26. *n.* 17. 18., *et seq.* ubi latissime de hac ma-
2. teria agit, et alias etiam suscitat quaestiones, et signanter, quid si mulier non esset anterior, quae tamen sub silentio omittuntur cum a casu nostro penitus extraneae sint.

Neque his in aliquo officere mihi videbatur exadverso magnificata doctrina *Buratt. decis.* 223. *per tot.* et sequacium, ubi videtur firmare conclusionem quod creditor in re empta ex propriis pecuniis cum reservatione specialis hypothecae praefertur omnibus creditoribus etiam ex causa dotis, quoniam ut patet ex lectura sub n. 4., et seq. allegata doctrina est penitus extranea a nostro themate, et solum procedit ubi ille, qui pecuniam dedit pro re emenda ultra reservationem spe-
3. cialis hypothecae; insuper addidit pactum, quod creditoribus ementis cum dicta pecunia

quantumvis privilegiatis, et e-
tiam ex causa dotis, et alimen-
torum, etc. nullum jus, seu
actio acquiri possit ad praeju-
dicium pecuniam dantis, quin-
immo tantum abest, ut alle-
gata decisio his nostris funda-
mentis repugnet, quod a prae-
dicto pacto praescindendo, illa
potius mirabiliter confirmat, et
admittit ut patet ex n. 2. ubi
ait quod minus recepta senten-
tia est quod dispositio dictae
legis licet procedat etiam quoad
4. dotes anteriores. Unde pro
cautela in posterum docebam
dictum amicum, ut in his con-
tractibus nedum uteretur hy-
potheca speciali, sed etiam si-
bi consuleret eo pacto, quod
creditoribus recipientis pecu-
niam pro re emenda quantum-
vis privilegiatis ex causa dotis,
alimentorum, etc. nullum jus
vel actio acquiri posset ad prae-
judicium pecuniam dantis, quo-
niam in vim talis pactionis cer-
tissimum est hypothecam fieri
privilegiatam adversus quoscum-
que alios creditores, praesup-
posito tamen, quod pecunia re-
vera fuerit soluta pro re emen-
da, et quod de facto cum ea
fuerit emptum, ut videre est
in allegata *decis. Buratt.*, et ea
ratione probatur, quia debitor
in quaerendis potest suo cre-
ditori praejudicare, et ita pa-
cisci ut posterior, et minus
privilegiatus, qui jure commu-
ni inspecto anteriori, et magis
privilegiato esset post ponen-
dus, illi praeferatur, eumque
vincat ex juribus in consult.
43. cumulatis.

Praeterea nullam vim fieri posse,
dicebam, in eo, quod per di-
ctum amicum meum replica-
batur, videlicet, quod sicuti
qui vendit cum reservatione
dominii, et specialis hypothe-
cae super re vendita donec to-
tum, et integrum pretium sol-
5. vatur potitur privilegio prae-
lationis adversus creditores, e-
tiam ex causa dotis, ita etiam
videtur idem firmandum esse
in hoc nostro casu, cum prae-
dicta reservatio dominii secun-
dum communiorem sententiam
resolvatur in hypothecam spe-
6. cialem pro faciliori consecutio-
ne pretii ut ponderat *Rot. dec.*
135. *n.* 25. *part.* 6. *rec. Merl.
de pign. lib.* 4. *tit. quaest.* 41.
n. 61. *D. Ansald. de commerc.,
et mercat. disc.* 56. *n.* 47. Quo-
niam pro totali eliminatione ob-
iecti, animadvertendum esse
respondebatur paritatem addu-
ctam non subsistere, ex eo
quod D. D. asserentes reserva-
tionem dominii resolvi in hypo-
thecam specialem favore ven-
7. ditoris, hoc intelligunt de spe-
ciali hypotheca privilegiata tri-
buente scilicet jus praelationis
adversus omnes, et quoscum-
que creditores emptoris, ut ex
lectura convinci potest, et e-
tiam supra fuit ponderatum *in
consult.* 2. *n.* 20., *et seq.* quod
secundum dispositionem allega-
ti *Textus in §. his consequens*
communiter receptam applica-
ri non potest hypothecae, de

qua in nostra hypothesi quoad dotes anteriores, ut fuit dictum.

His jactis fundamentis circa praelationem super dicta re empta uxori competentem pro suo credito dotali anteriori, quoad caeteros creditores paucis verbis me expediebam, quoniam praesuppositis tribus requisitis necessariis, videlicet, quod de
8. facto pecunia fuerit exbursata pro re emenda, quod cum dicta pecunia fuerit emptum, et hypotheca speciali super re emenda, certissima est juris conclusio, quod qui dedit pecuniam pro re emenda praefertur omnibus creditoribus non privilegiatis per dictum *Text. in l. licet C. qui pot. in pign. Mantic. de tacit., et ambig. convent. lib.* 11. *tit.* 26. *n.* 17. *Rot. decis.* 328. *n.* 22. *part.* 5. *tom.* 1. *rec.*

ARGUMENTUM.

Vendens nomen debitoris quaeritur an, et in quibus casibus teneatur illud praestare verum, et exigibile, et quando nomen debitoris dicatur tale, et an in illis casibus, in quibus venditor tenetur de veritate, et exigibilitate nominis venditi, possit emptor ex abrupto agere contra venditorem, si debitorem inveniat non solvendo, vel prius ostendere debeat fecisse diligentem excussionem, et quidem debito tempore, cum aliis, de quibus in summario.

SUMMARIUM.

1. *De nominibus debitorum actionibus, et juribus disponi potest?*
2. *Consensus debitoris non est necessarius in venditione, sed solum in delegatione.*
3. *Vendens nomen debitoris tenetur illum verum, et legitimum debitorem praestare, non vero exigibilem.*
4. *Etiam si vendens promisisset defendere, et indemnem conservare emptorem.*
5. *Verus dicitur debitor quando de tempore venditionis locuples, et solvendo erat.*
6. *Si nomen debitoris evincatur ab aliquo creditore anteriore potest emptor agere contra venditorem pro pretii recuperatione, quia nomen non erat verum.*
7. *Et hoc procedit etiam si vendens dixisset nolle teneri de evictione, licet per hanc protestationem venditor liberetur ab interesse extrinseco.*
8. *Quinimmo etiam si nomen debitoris venditum esset tale quale, etc.*
9. *Constituitur differentia inter venditionem juris, et actionis certae, et venditionem actionis incertae, seu juris quod quis habet in re.*
10. *Si nomen debitoris promissum sit verum, bonum, et exigibile simpliciter est manutenendum tale de tempore venditionis seu exactionis faciendae tantum.*
11. *Secus vero si sit promissum bonum cum adjectione verborum futurum tempus respicientium.*

12. *Et quid stante verbo manutenere perpetuo, vel semper, etc.*
13. *Emptor non potest ex abrupto agere contra venditorem, sed debet prius omnem diligentiam adhibere contra debitorem.*
14. *Ita ut non sufficiat diligentia usque ad sententiam, et excussionem, sed debet produci interlocutoria judicis debitorem fuisse excussum, et repertum non solvendo, licet hoc secundum alios non sit verum.*
15. *Limita stante obligatione venditoris principaliter, et insolidum.*
16. *Limita secundo quando intentatur actio pro evictione.*
17. *Quando emptor est negligens in exigendo nomen debitoris, et interim debitor fit non solvendo, debet sibi imputare.*
18. *Et in hoc statur judicis arbitrio.*
19. *Venditor an teneatur vere, et realiter consignare emptori instrumenta creditum venditum justificantia, vel sufficiat sola indicatio referuntur D. D. hinc inde, et conciliantur opiniones.*

CONSULT. IX.

Quoniam hominibus jura permittunt, ut de bonis suis nedum corporalibus libere dispo-
1. nere possint, sed etiam de incorporalibus, ut sunt nomina debitorum, actiones, et jura per *Text. in l. prima, et tot. tit. ff. de haered., et act. vendit. Gratian. discept. for. cap.* 459. *n.* 21. *Leotard. de usur. quaest.* 39. *n.* 1. etiam citra consen-
2. sum, et voluntatem debitoris, qui solum est necessarius in delegatione, non vero in cessione, et venditione nominis debitoris juxta distinctionem *Text. in l. p. C. de novat. Gratian. discept. for. cap.* 507. *n.* 22. *Scacc. de commerc. §.* 2. *glos.* 5. *n.* 279. *Leotard. de usur. quaest.* 39. *n.* 2. Propterea operae pretium duxi non nulla hic adducere circa venditionem nominis debitoris, actionis, et similium.

Sub supposito igitur, quod nomen debitoris, vel alia similis actio certa vendatur, communis, et recepta est in jure conclusio, quod vendens non te-
3. netur nisi illum verum, et legitimum debitorem praestare, non vero exigibilem, et locupletem, seu ut alii dicunt tenetur vendens de veritate nominis cessi, non vero de ejus exigibilitate, hocque adeo verum est, ut nedum procedat in simplicibus terminis venditionis nominis debitoris, sed sibi vindicat locum, etiam in hypothesi, quod vendens promisisset defendere, et indemnem conservare emptorem, cum
4. talis promissio referatur ad veritatem nominis debitoris, non vero ad illius exigibilitatem, et bonitatem, et pro prima propositione facit *Text. in l. si nomen ff. de haered. vel act. vend. Andreol. contr.* 115. *n.* 2., *et per tot. Cyriac. contr.* 169. *n.* 4., *et* 10. *lib.* 1., *et contr.* 375. *n.* 11. *et* 12. *lib.* 2. *Merl.*

de pign. lib. 5. *tit.* 1. *quaest.* 21. *n.* 66., *et seq.*, pro secunda vero propositione adduci meretur *Marin. resol.* 42. *n.* 3. *lib.* 1. *Thesaur. quaest. for. lib.* 4. *quaest.* 10. *n.* 3. *Cenc. de cens. quaest.* 72. *n.* 23. *vers. quam ampliant scribentes.*

Verus autem dicitur debitor, loquendo de veritate extrinseca, quando de tempore venditionis locuples, et solvendo reperie-
5. batur; caeterum si debitor non esset dicto tempore idoneus, non diceretur verus debitor, et venditor teneretur ad restitutionem pretii, cum paria sint aliquem non esse debitorem, et esse debitorem, sed non solvendo, ut late scripsit *Olea de cess. jur. tit.* 7. *quaest.* 3. *n.* 8., *et seq. Cenc. de cens. quaest.* 73. *n.* 23. *Amat. decis. March.* 6. *n.* 9. *Rot. divers. decis.* 123. *n.* 7. *part.* 2. Dixi loquendo de veritate extrinseca, quoniam quod attinet ad intrinsecam, videlicet ad realitatem, et substantiam nominis debitoris venditi, haec semper a venditore praestanda est, unde, si nomi-
6. nis venditi sequatur evictio, etiam longe post venditionem ad instantiam creditorum anteriorum venditoris, poterit emptor agere contra venditorem pro recuperatione pretii, ut bene animadvertit *Marin. resol. cap.* 42. *n.* 6. *lib.* 1., et hoc est verum etiam quatenus venditor dixisset nolle teneri de evictione, et vendere nomen debitoris tale, quale, etc. quoniam prima protestatio eum
7. solum operatur effectum ut venditor non teneatur ad interesse extrinsecum, non sic vero quoad intrinsecum, ut edocet *Giurb. decis.* 87. *n.* 12. *Olea de cess. jur. tit.* 7. *quaest.* 3. *n.* 4., et ejusdem omnino naturae est altera protestatio, quae quo-
8. ties agitur de venditione juris, seu actionis certae non valet eximere venditorem a restitutione pretii ut docte firmavit *Rot. coram. Duran. decis.* 404. *n.* 5., *late Urceol. consult. for. cap.* 2. *n.* 5. 56., *et per tot.* ubi constituendo differentiam inter venditionem juris, et actionis certae, cum solutione pecuniae correspondentis valori illius actionis, et inter vendi-
9. tionem actionis incertae, et juris occulti, seu quod quis tantum habet in re, vili, et longe minori pretio, quod valebat, dicit in primo casu emptori deberi restitutionem pretii, in secundo vero non deberi, quia tunc videtur venditorem voluisse vendere dubium eventum.

Caeterum pro pleniori hujus materiae explanatione redeundo ad principalem hujus consultationis conclusionem, videlicet, quod vendens nomen debitoris, non tenetur nisi illum verum, et legitimum debitorem praestare, non vero exigibilem, sciendum est, quod licet ut fuit dictum verissima sit; tamen non ita indefinite capienda venit, ut semper, et quandocum-

que procedat, sed ita intelligenda est, ut solum sibi vindicet locum in hypothesi, quod inter partes nihil de bonitate, et exigibilitate fuerit conventum, propterea si daret: casus, quod nominis debitoris venditio facta fuisset cum promissione bonitatis, et exigibilitatis, prout saepe contingere solet, tunc indubitanter venditor teneretur, et conveniri posset, tum pro veritate, tum etiam pro exigibilitate nominis venditi, concurrentibus tamen requisitis infra notandis, et ea adhibita distinctione, quod supposita promissione exigibilitatis simpliciter ea manutenenda esset tantummodo de tempore venditionis, seu primae exactionis
10. faciendae, ut dixit quoque *Olea de cess. jur. dicto tit.* 7. *quaest.* 3. *n.* 28. Supposita vero promissione cum adjectione verborum futurum tempus respicientium, tunc praestari deberet nedum de tempore jam di-
11. cto, sed etiam usque ad duas, vel tres, vel quatuor praestationes si ageretur de annuis praestationibus, quidquid dixerint aliqui, qui in hoc casu crediderunt exigibilitatem praestandam esse perpetuis, ac futuris temporibus *Cyriac. contr.* 458. *n.* 6. *Merenda contr. jur. lib.* 24. *cap.* 50. *n.* 82., *et seq. Leotard. de usuris quaest.* 80. *n.* 40., *et* 41. ubi asserit, quod qui vendit jus exigendi annuam praestationem liberatur si emptor bis, vel ter illam exegerit, etiam si debitor deinde fiat non solvendo, absque tamen facto, et culpa venditoris *Cenc. de cens. quaest.* 72. *n.* 23. *vers. et ad effectum Rot. post ipsum decis.* 476. ubi loquitur in terminis verbi manutenere debitorem exigibilem, et ait, quod non est verisimile quempiam esse adeo stupidum, ut voluerit perpetuo teneri ad promissam exigibilitatem, nisi ver-
12. ba sint omnino clara, et omne tempus indicantia, ut semper perpetuo, etc. quibus addo *Merl. de pign. lib.* 5. *quaest.* 21. *n.* 70. *Rot. decis.* 49. *n.* 1., *et seq. part.* 12. *rec.*

Requisita autem, quae concurrere debent ad effectum, ut emptor contra venditorem regressum habere possit ex eo quod nomen venditum non sit bonum, et exigibile, regulariter duo adduci solent. Primum est, quod emptor doceat, et ostendat fecisse omnem diligentiam
13. contra debitorem, sed illum pauperem, inhabilem, et non solvendo invenisse, ut bene ponderat *Cyriac. lib.* 2. *contr.* 374. *n.* 28. *Thomat. decis. Macerat.* 137. *n.* 5. *part. Andreol. contr.* 275. *n.* 1. ubi quod cessionarius non potest ex abrupto agere contra cedentem, sed prius debet adhibere omnem diligentiam contra debitorem cessum pro consecutione crediti, quamvis difficilis exactionis; et hujusmodi diligentiae adeo rigorose fieri debent, ut nec minus sufficiant usque ad senten-

14. tiam, immo neque ad excussionem inclusive, sed est necessarium producere interlocutoriam judicis debitorem fuisse excussum, et repertum non solvendo, ut firmavit *Hodier. contr.* 27. *n.* 18., *et seq.*, *et totidem verbis dixit Thomat. decis. Macerat.* 29. *n.* 19., *et seq.*, licet secundum sententiam aliorum aliae minores arbitrio prudentis judicantis sufficiant, quos refert *Urceol. consult. for. cap.* 2. *n.* 16. 17., *et seq.* ubi late de his diligentiis. Immo lubet addere, quod multis in casibus, nec formalis excussio, nec aliae diligentiæ sunt necessariae, et praecipue quando emptor ultro pro-
15. missionem bonitatis, et exigibilitatis nominis venditi curavit etiam venditorem obligari una cum debitore principaliter, et insolidum, ut ponderat *Cenc. de cens. quaest.* 72. *n.* 23. *§. caeterum in iis cum seq.* Secundo quando nominis venditi promissa fuit evictio, et intentatur
16. actio pro evictione, tunc enim curandum non esse de diligentiis docte firmavit *Rot. coram Merl. decis.* 639. *n.* 7. *cum ibi congest.*

Alterum vero, quod ad effectum jam dictum concurrere debet in eo consistit, quod emptor doceat dictas diligentias fecisse debito, et opportuno tempore, quod adeo verum est, ut si emptor fuisset negligens in exactione nominis debitoris, et interim debitor factus esset non solvendo, non posset in hu-
17. jusmodi hypothesi regressum habere contra venditorem, et frustra laboraret in probatione inexigibilitatis ea ratione, quia emptor deberet sibi imputare si fuit negligens in exactione nominis debitoris, ut docent *Leotard. de usuris quaest.* 39. *n.* 53. *Arrias de mesa var. resol. lib.* 1. *cap.* 43. *n.* 28. *Andreol. contr.* 115. *n.* 4. *Thomat. decis. March.* 29. *n.* 19., *et seq. Fontanell. decis.* 125. *n.* 17., *et* 18. ubi ait, quod prudentis
18. judicantis arbitrio est relinquendum, an emptor fuerit negligens in exigendo; nec ne. An autem ad hoc, ut emptor dictas diligentias facere possit, teneatur venditor vere, et realiter consignare emptori instrumenta creditum venditum justificantia, respondent aliqui utique necessariam esse veram, et realem consignationem inter quos *Gratian. discept. for. cap.* 286. *n.* 17. *ad* 19. *Marin. resol. quotid. lib.* 1. *cap.* 42. *n.* 9. alii vero constanter affirmant nequaquam necessariam esse consignationem, sed sufficere solam indicationem una cum notario, die, et anno, ut dixit *Merenda contr. jur. lib.* 22. *cap.* 16. *per tot. Rot. post Zach. de oblig. Cam. decis.* 137. *n.* 8., alii denique has opiniones con-
19. ciliando asserunt, quod ubi creditum est justificandum per instrumentum publicum, quod de facili haberi possit, et tunc melior est secunda sententia, videlicet sufficere solam indi-

cationem instrumenti una cum notario, mense, et anno, ubi vero pro justificatione crediti est necessaria ex. gr. Scriptura privata penes venditorem existens, vel etiam alibi, quae non tam de facili haberi possit, et in tali themate mordicus sustinent primam opinionem veriorem, et magis receptam esse, et inter istos videndus est *Cenc. de cens. quaest.* 72. *n.* 23. cum quo ego quoque libentissime pertranseo.

ARGUMENTUM.

Agitur hic de venditione rerum litigiosarum, nec non jurium, et actionum incertarum, disputabilium, et pariter litigiosarum.

SUMMARIUM.

1. *Lite pendente res litigiosae vendi, et alienari non possunt, alias agi potest contra tertios possessores emptores, via recta, executiva, et absque novo processu.*
2. *Et hoc procedit etiam in hypothesi, quod tertius possessor bona fide ad emendum accesserit.*
3. *In hoc tamen casu citandus est dictus tertius possessor.*
4. *Facta venditione rei litigiosae, et ea emptori tradita, adhuc venditor conveniri potest, et tenetur ad fructus, quos percepit ejusdem rei emptor.*
5. *Vitium litigiosi contrahitur quando agitur de dominio, et rei vindicatione, vel possessorio.*
6. *Secus quando agitur de mera actione personali.*
7. *Et in hoc ultimo casu via recta agi non potest, nisi supposita scientia acquirentis de ipsa lite, et aliis casibus, qui adducuntur.*
8. *Dispositio l. fin. C. de litig. locum non habet, ubi a contractu abfuit fraus, et malus animus rei illudendi actorem.*
9. *Hinc sequitur, quod sub universitate bonorum venit etiam res litigiosa.*
10. *Rursus infertur idem juris esse quoties emitur a tertio, qui non sit in lite.*
11. *Et adducitur exemplum.*
12. *Venditiones jurium, et actionum litigiosarum improbatae sunt.*
13. *Hoc tamen procedit in maligno, dolosoque litis redemptore, qui facit emptionem juris dubii, et incerti, ita ut agere non possit contra debitorem, nisi pro pecunia vendenti soluta, reliquum vero cedit lucro debitoris.*
14. *Quando agitur de venditione actionis certae, venditio valida est in totum.*
15. *Pariter contractus valeret, si ex conjecturis constaret à contractu obfuisse omnem calliditatem, et malum animum vexandi debitorem.*
16. *Contra dictam prohibitionem in statu Mediol., et Bononiae dispensatur, et in regno Franciae non attenditur.*

CONSULT. X.

Ad removendas fraudes, quas litigantes committere possent, si

ad eorum voluntatem, et arbitrium de rebus litigiosis disponere possent, sancivit, et opportune determinavit lex, quod lite pendente res litigiosae vendi, et alienari non possint, ita,
1. et taliter, quod si venditio, et alienatio sequatur, liceat actori contra tertios possessores emptores procedere executive via recta, et absque novo processu, ut patet ex *Text. in l. fin. C. de litigios.*, et bene docteque firmavit *Rot. in rec. dec.* 296. *n.* 2. *part.* 18. *ubi alios dat concordantes;* et quamvis de hac juris determinatione prima facie dubitandum videatur in hypothesi, quod emens rem litigiosam de hujusmodi litigio ignorantiam haberet, sicque ad emendum bona fide accesserit, tamen etiam in hac facti spe-
2. cie constantissime firmandum est sibi locum vindicare, ea ratione, quia ignorantia non tollit nullitatem alienationis, de qua in dicta lege nec facere debet deteriorem conditionem actoris litigantis, quem suppono de dicta venditione, et alienatione scientiam non habuisse, ut eleganter ostenditur in allegata *Decis.* 296. *part.* 18. *rec.*, et cum hac sententia pertransit etiam *Urceol. de transact. quaest.* 75. *n.* 2. *cum ibi congest.* ubi quod potest procedi eodem processu, et eadem sententia via recta ad executionem etiam contra singularem successorem ejusdem litigii ignorantiam habentem, subdens tamen quod in tali casu ad tollendas omnes controversias esset citandus tertius possessor, qui lite pendente acquisivit, et hujusmodi citationem
3. esse necessariam strenue vidi probatum in quadam juris allegatione D. mei Scipionis Mariae Claramontii advocati Caesenatensis, occasione, quod dictae nobilissimae civitatis Judicis munere fungebar, superinnixus doctrinae *Gratian. discept. for. cap.* 502. *n.* 35. *Capyc. decis.* 128. *n.* 12., *et ult.* ubi quod senatus mandavit citari tertium possessorem bonorum, super quibus petita fuit executio *Rot. coram Duran. decis.* 364. *n.* 71. ubi quod non facta citatione, nec summarie audito tertio possessore, non possunt ei auferri bona possessa, *Rot. coram Manic. decis.* 7. *n.* 4. *Posth. de subast. inspect.* 18. *n.* 132. *ad* 192. *sub plena Add. Cancer. var. resol. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 23.

Major difficultas in proposito in eo residere videtur, an facta venditione rei litigiosae, eaque emptori tradita, an inquam venditor conveniri possit pro fructibus, non obstante, quod post venditionem ejusdem rei possessionem non habuerit, et circa hoc, omissis prolixitatibus, breviter respondeo, quod uti-
4. que venditor conveniri potest, et tenetur ad omnes fructus perceptos usque ad diem venditionis, nec non ad eos, quos potuisset percipere si rem liti-

giosam non vendidisset, et quos ejusdem rei emptor percepit, ut erudite, et punctualiter firmavit *Rota coram Bich. decis.* 170. *per tot.* ubi habentur concordantes, et ea ratione suadetur, quia vendens rem litigiosam, cum dolo desinat possidere, habetur pro possessore, et ideo tenetur ad dictos fructus.

Altera pariter non minoris ponderis difficultas, quae circa hanc materiam suscitari potest in eo consistit, an dispositio allegatae legis prohibentis collitigantibus rei litigiosae alienationem procedat, et locum habeat in illis casibus, in quibus inter actorem, et reum agebatur de actione mere personali, et non contendebatur de re vendita, nec non etiam quando a venditionis contractu abfuit omnis fraus, machinatio, et malus animus rei illudendi actorem; et quod attinet ad primam difficultatis partem negative censeo respondendum, quoniam ut litigiosae rei emptio contraha-
5. tur, communis juristarum sententia est, necesse esse, ut de dominio, et rei vendicatione, vel possessorio contendatur per *Text. in l. prima ff. de litig.*, *et docte ponderat Rot. in allegata decis.* 296. *n.* 3., *et seq. part.* 18. *rec. ubi de possessorio. Andreol. contr.* 211. *n.* 7.. Secus vero quando agitur de mera actione personali, et non con-
6. tenditur de re vendita, quia in hoc casu vitium litigiosi non contrahi, et via recta agi non posse certissimi juris est, nisi supposita scientia acquirentis de ipsa lite, vel in subsidium data, scilicet inopia debitoris alienantis, alia bona non habentis, cum hoc casu oriatur, et
7. intret suspicio fraudis, vel nisi probetur fraus vere commissa ad impediendam executionem, vel demum nisi agatur actione personali ratione certae rei, quas omnes fallentias adducit *Urceol. de transact. quaest.* 75. *n.* 5. *ad* 8., *et alios de more dat concordan.* Descendendo autem ad alteram difficultatis partem, dico pariter dispositionem dictae legis in tali hypothesi non
8. procedere, quoniam cum ejus ratio finalis sit occurrendi fraudibus, et machinationibus collitigantium, ideo cessante tali ratione cessare etiam debet ejusdem legis dispositio ex vulgatis; unde ex hoc infertur, quod si rei litigiosae fiat ven-
9. ditio cum universitate bonorum, non intrat dispositio dictae legis, cum ab omni ratione alienum sit, quod talis venditio fuerit facta animo fraudandi actorem, ut videre est apud *Sac. Rot. Rom. coram Merl. decis.* 799. *n.* 1., *et* 2., *et in rec. decis.* 173. *decis.* 228., *et dec.* 282. *part.* 7. ubi multa habentur circa hanc materiam. Rursus infertur, quod quoties emitur a tertio venditore, qui non sit in lite pariter cessat dictae legis dispositio, cum in hoc themate nulla fraus, et

10. collusio debitoris collitigantis sit considerabilis, ut docte animadvertit *Urceol. de transact. d. quaest.* 75. *n.* 13., *et seq.* ubi dat exemplum ementis bona ad instantiam unius creditoris sub-
11. hastata, ad quae prius alter creditor mandatum immissivum obtinuerat, sed nunquam consumaverat, et dicit in hoc casu hujusmodi mandatum nequaquam consumari posse praedicta venditione ad hastam sequuta.

His autem ad Dei gloriam expeditis circa venditiones rerum litigiosarum, non nulla adducendo, etiam circa venditiones jurium, et actionum pariter li-
12. tigiosarum improbatas *in l. per diversas*, *et l. ab Anastasio et seq. C. mandat.* Sciendum est, quod dispositio harum legum non semper procedit, sed solum sibi vindicat locum in maligno, dolosoque litis redemptore, qui animo pulsandi, vexandique debitorem, et avaritia ductus emptionem facit juris incerti, dubii,
13. et disputabilis viliori pretio, ita ut impediatur ab exercitio actionis contra praetensum debitorem, excepta solum quantitate pecuniae vendenti soluta, et reliquum cedat lucro, et commodo debitoris praedicti, prout sequendo *Salgad. Labyr. Cred. Olea de cess. jur. Costa de ratione ratae*, *Leotard. de usuris*, *multosque alios*, *quos cumulat sustinet Urceol. consult. for.* 51. *vol.* 2. *n.* 3. Unde quia dictarum legum dispositio innititur super supposita calumnia, fraude, ac malo animo vexandi debitorem, ut fuit dictum, propterea quoties age-
14. retur de venditione actionis certae, utpote resultante ex instrumento, vel alia scriptura Camerali obligatione munita, vel similibus, tunc quia non posset dubitari de praedicta fraude, ac malo animo, ideo venditio valeret in totum, etiam si pretium per emptorem solutum non corresponderet valori actionis venditae, ut de se patet, et late probat fere innumeris adductis pro hac sententia tanquam communiori *Auctor praedictus n.* 4. 5., *et seq.* ubi etiam quod praedicta ratione si ex qualitate negotii, et personarum, vel ex aliis conjecturis diligenter ponderatis constaret a praedicto con-
15. tractu abfuisse omnem calliditatem, et malum animum vexandi debitorem, et negotium ex mera veritate, et sinceritate processisse, tunc pariter cesserat dictarum legum dispositio, et ponit multos casus, in quibus non praesumitur dolus, fraus, ac malus animus praedictus, aliaque circa hanc materiam adducit, et praecipue,
16. quod contra dictas leges in statu Mediol., et civitate Bononiae dispensatur, et in regno Franciae non observantur. etc.

ARGUMENTUM.

Diligenter in hac consultatione examinatur articulus, an peri-

culum rei venditae semper ad emptorem pertineat, vel an etiam aliquando venditorem sequatur.

SUMMARIUM.

1. *Contractu perfecto quoad substantialia, et cessante culpa venditoris, periculum rei spectat ad emptorem, etiam non sequuta traditione.*
2. *Translatio dominii, et rei traditio pertinet ad executionem, non ad substantiam contractus.*
3. *Absurdum non est, quod rei dominium sit penes venditorem, et periculum emptorem sequatur.*
4. *Qui rem emptori nondum tradidit ipse dominus est.*
5. *Dominium licet sit de natura, non tamen est de substantia venditionis, et haec est differentia, quae cadit inter venditionem, et alienationem.*
6. *Ad effectum transferendi periculum in emptorem requiritur perfectio, non quoad naturalia, sed quoad substantialia.*
7. *Res debet perire domino suo.*
8. *Hoc tamen non procedit quando res alteri debetur, prout contingit quando est perfecta venditio.*
9. *In venditione cum reservatione dominii periculum est emptoris, quia est pura, et perfecta.*
10. *Facta venditione pro pretio aestimando donec aestimatio sequatur, periculum ad venditorem spectat, quia est conditionalis, et imperfecta.*
11. *Limita tamen quando deventum est ad rei traditionem.*
12. *Per traditionem transfertur dominium in emptorem praecedente causa sufficienti saltem in spe.*
13. *Res perit domino suo, ut supra quoque dictum est.*
14. *Facta venditione ad certum tempus pro certo pretio periculum rei est emptoris, ut dicitur de venditione ad vitam, et cum pacto retrovendendi.*
15. *Quae tamen propositio quommodo procedat declaratur.*
16. *In venditione de tanta rata, et parte certi fundi, quae ascendat ex. gr. ad scuta centum periculum est venditoris, donec declaretur quaenam sit dicta portio.*
17. *Si res a procuratore ematur sub conditione, si domino placuerit, vel alia simili, periculum est venditoris, donec consensus domini accedat.*
18. *Facta venditione rei etiam in genere generalissimo, si obligatio redigatur ad speciem, veluti quia certa species in certo loco existens emptori offeratur eum judicialiter interpellando, tunc periculum est emptoris.*
19. *Venditio ad mensuram cum sit conditionalis, et imperfecta donec mensuratio sequatur, ideo in tali casu periculum est venditoris.*
20. *Et hoc procedit etiam si facta esset venditio ex. gr. totius vini, quod est in cella vinaria ad rationem tot pro qualibet corbe.*
21. *Et etiam quatenus vinum esset degustatum, et dolium signatum.*
22. *Et adducitur ratio.*
23. *Limita primo quoties emptori*

facta fuit intimatio ad rem recipiendam, et mensurandam, et ipse hoc facere neglexit.

24. *Mora venditoris in tradendo rem, ei nocet si res interim pereat.*

25. *Et hoc idem dicitur de emptore in recipiendo.*

26. *Quid autem dicendum sit si emptor rem recipere recusavit, et postea mutato consilio se offerat rem recipere, et tunc venditor sit morosus in re tradenda, adducuntur punctum examinantes.*

27. *Limita secundo ubi res empta est facta tantummodo deterior, quia deterioratio est emptoris etiam si venditio sit ad mensuram, et conditionalis.*

28. *Secus vero si totaliter perierit.*

29. *In casu tamen deteriorationis si emptor remaneret laesus esset ei succurrendum, inspecto tempore purificatae conditionis, quemadmodum dicitur de venditore si res de dicto tempore esset aucta.*

30. *Limita tertio quando pro tota re vendita ad mensuram certum pretium est constitutum.*

31. *Limita ultimo quoad periculum pretii, quod ad emptorem spectat, sive augeatur, sive minuatur.*

32. *Res vendita sine solemnitatibus perit emptori.*

CONSULT. XI.

Ut praesens materia emptionis, et venditionis funditus examinetur, et plena habeatur notitia circa ea, quae magis frequentia, ac in foris practicabilia sunt, necessarium censui nonnulla hic adducere de periculo rei venditae, videlicet an hoc sit semper emptoris, vel etiam quandoque ad venditorem pertineat. Et quantum attinet ad hanc juris disceptationem, licet plura in his meis consult. ac penes alios juris consultos sparsim tradita habeantur, omnia tamen hic colligendo, ac latius ponderando, regulam primo statuo quod contractu pure inito, et perfecto quoad substantialia, quae consistunt in re certa, consensu,
1. ac pretio certo, et cessante culpa venditoris periculum rei venditae spectat semper ad emptorem, etiam si res emptori tradita non esset, cum traditio non sit de substantia venditionis, ut patet *ex Text. in §. cum autem inst. de empt. et vend. l. prima, et l. fin. C. de peric., et commod. rei vend. l. necessario, et l. id quod ff. eodem Mangil. de evict. quaest.* 103. *n.* 1. *ad* 9. *Urceol. consult. for. in appendic. ad cap.* 5. *n.* 60. *vers. idem concluditur Rot. in Ravennaten. pecuniaria, quae est penes Urceol. consult.* 5. *n.* 101., *et* 102. ubi quod translatio dominii, et rei traditio pertinet ad executionem, non ad sub-
2. stantiam contractus, et ideo periculum est emptoris, etiam re non tradita, nec translato dominio, et in hac *decis.* reprobatur *Cyriac. ac alii* putantes translationem dominii necessa-

riam esse pro perfectione contractus.

Neque pro meo judicio absurdum censendum est, quod rei venditae dominium sit penes venditorem, periculum vero spe-
3. ctet ad emptorem, quoniam haec duo insimul stare posse patet *ex §. cum autem, et §. utique tamen inst. de empt., et vend.,* in dicto enim *§. cum autem*, habetur, quod perfecta venditione periculum rei venditae ad emptorem pertinet, etsi ea adhuc emptori tradita non sit, et in *§. utique tamen* habentur haec verba, quia sa-
4. ne qui rem emptori nondum tradidit ipse dominus est, et late, docteque probat *Achill. Mattarell. in ejus consult. penes Urceol. dicto cap.* 5. *n.* 76., *et seq.* ubi ait, quod licet dominium sit de natura, non tamen est de substantia venditionis (cui rei addo ego, quod
5. haec est differentia, quae cadit inter venditionem, et alienationem, nam alienatum non dicitur proprie, quod adhuc in dominio venditoris manet, bene quidem venditum), et ulterius subdit auctor praedictus, quod *in l. necessario ff. de peric., et commod., etc.* ad effectum trans-
6. ferendi periculum in emptorem requiritur perfectio, non quoad naturalia, sed quoad substantialia.

Et licet pro ostendendo evidenti absurdo, et incompatibilitate eorum, quae diximus exadverso replicari possit, quod quoties dominium penes venditorem reperitur, tunc etiam rei periculum ad eundem spectare
7. debet ex nimis trito juris dicterio, quod res debet perire domino suo, tamen omnis amaritudo tollitur, animadvertendo dictam propositionem procedere tantum quando res illa alteri non debebatur, secus vero si alteri sit debita, nam
8. tunc si pereat, perit damno creditoris, quamvis dominium non habeat, ut docte ponderat *Rota in dicta Ravennaten. pecuniaria n.* 104. propterea que quia perfecta venditione res debetur emptori, periculum ad eum spectare debet, licet dominium sit penes venditorem.

His generalibus expeditis descendendo ad decisionem casuum particularium, infertur primo, quod facta venditione cum reservatione dominii, ac specialis hypothecae favore venditoris super re vendita, periculum in tali hypothesi sequi debet em-
9. ptorem, quoniam cum tunc nullo pacto ambigi possit de perfectione contractus inde fit consequenter, quod periculum ad emptorem pertineat, ut in terminis sustinet *Gratian. discept. for. cap.* 730. *n.* 24. *Urceol. consult. for. cap.* 5. *n.* 60., *et seq. ubi sub. n.* 81. ait, quod contractus venditionis cum reservatione dominii est perfectus, et purus, non autem conditionalis.

Infertur secundo, quod facta venditione pro pretio aestimando,

quia talis venditio dicitur con-
ditionalis, et imperfecta donec
dicta aestimatio sequatur ut
10. docte ponderat *Contr. discept.
for. causa* 6. *per tot. ubi con-
cordan.*, *et dixi etiam in Con-
sult.* 46., ideo periculum in ta-
li casu sequi debet venditorem,
cum hoc sit venditoris quando
venditio est conditionalis et im-
perfecta per *Text. in l. neces-
sario. §. quod si pendente ff. de
peric.*, *et commod. rei vend.*,
et in terminis sustinet auctor
11. citatus, quod tamen limita-
tur quando deventum fuit ad
veram rei traditionem, ut pon-
derat *Rot. rec. part.* 12. *decis.*
91. *n.* 6., et ea ratione suade-
tur, quia licet traditio non sit
de substantia venditionis, et
sine ea periculum transferatur
in emptorem quando contractus
est purus, et perfectus, ut su-
12. pra docuimus, tamen quia
per eam transfertur dominium
in emptorem (licet in hoc ca-
su transeat resolubiliter) ut
ponderat *Rot. in allegata decis.*
91. *part.* 12., et arguendo a
contrario sensu colligitur ex §.
utique tamen supra citat; et con-
ferunt tradita per *Fachin. contr.
for. lib.* 2. *cap.* 5. ubi quod
per traditionem praecedente
causa sufficienti saltem in spe,
et potentia acquiritur domi-
nium; hinc sequitur periculum
necessario in dicto casu sequi
debere emptorem, etiam si ven-
13. ditio sit conditionalis, ex ni-
mis nota juris regula, quod
res perire debet domino suo,
ut patet ex *Text. in l. Credi-
tor*, *et l. pignus ff. de pignor.
act.*

Infertur tertio, quod facta ven-
ditione ad certum tempus, et
pro certa quantitate pretii pe-
riculum rei venditae sequi de-
bet emptorem ob allegatas ra-
tiones, ut de venditione ad
14. vitam dixit *D. Card. de Luc.
de empt.*, *et vend. disc.* 1. *n.*
5., *Millin. decis.* 446. *n.* 1., *et
seq.*, et idem videtur conclu-
dendum de venditione cum pa-
cto redimendi, ut etiam senti-
re videtur *Mavson. de caus. exe-
cutiv. ampl.* 29. *n.* 22. ubi,
quod vendita re cum pacto re-
dimendi quandocumque, vel
infra certum tempus, et tem-
pore pendente fuit imposita col-
lecta, ejus solutio ad empto-
rem pertinet, non autem ad
venditorem.

Veritas tamen est, quod haec,
quae in hac tertia illatione ad-
ducta fuerunt circa periculum
rei venditae non ita veniunt
intelligenda, ut si quis ex. gr.
emat ad certum tempus unam
domum, iste teneatur ad illius
refectionem, si ob aliquem ca-
sum, et sine ejus culpa prae-
dictae domus ruina sequatur,
15. sed praedictorum vera intel-
ligentia est, quod periculum
rei emptae ad emptorem per-
tineat quoad damnum, quod
ipse patitur in fructibus pro
tempore, quo facta erat vendi-
tio, quo vero ad proprietatem
periculum, et damnum vendi-
torem sequatur, ita, et taliter,

quod neuter ex contrahentibus
actionem habeat pro refectione
domus, ut doctissime de more
ponderat *De Luc. supra n.* 6.

Infertur quarto, quod venditione
facta de tanta rata, et parte
certi, et specificati fundi, quae
ascendat ex. gr. ad scuta centum,
licet valida sit, ita ut
locus non sit poenitentiae, tamen
quia conditionalis, et im-
16. perfecta est scilicet donec declaretur
portio, quae ascendat
ad dicta scuta centum, propterea
periculum est venditoris ut
satis clarescit ex supra firmatis,
et conferunt tradita per
D. Palm. Nep. part. 3. *alleg.*
212. *cum aliis infra in consult.*
34. *cumulat.*

Infertur quinto de emptione a
procuratore stipulata sub conditione
si domino placuerit, vel
17. alia simili, quae cum dicatur
imperfecta donec consensus,
et approbatio domini accedat,
ideo periculum sequitur venditorem,
ut late ac docte punctum
examinando edocet *D.
Ansald. de commerc., et mercat.
disc.* 6. *per tot.*

Infertur sexto, quod facta venditione
rei etiam in genere generalissimo,
si deinde obligatio
in genere redigatur ad speciem,
veluti quia certa species
penes aliquem depositata, et
18. incerto loco existens offeratur
emptori, eum judicialiter
interpellando ad rem recipiendam
ejus periculum sequi debet
emptorem, ut doctissime
pluribus argumentis probat *Cyriac. contr. for.* 226. *per tot.*,
et dat concordan.

Infertur septimo de venditione ad
mensuram, quae cum dicatur
19. conditionalis, et imperfecta
donec mensuratio sequatur, idcirco
periculum rei; exceptis
certis casibus infra notandis,
est venditoris, ut bene dixit
Mantic. de tacit. et ambig. lib.
4. *tit.* 17. *n.* 3., *et seq. D. Ansald.
de commerc., et mercat. disc.*
8. ubi quod vendito etiam to-
20. to vino, quod est in cella vinaria
ad rationem tot pro qualibet
corbe periculum est venditoris,
et rejicit. *De Rosa consult.*
68. de qua re late fuit
dictum in *consult.* 3. *n.* 16.,
et seq., Gratian. discept. for. cap.
549. *n.* 14., *et seq.* ubi, quod
venditis tot corbibus vini etiam
de certo, et determinato dolio
21. periculum est venditoris, esto,
quod vinum fuerit degustatum,
et dolium signatum.

Et licet nonnulli ab hac sententia
discrepare videantur quoties
vinum fuit degustatum, et
dolium signatum, ajentes ob
degustationem, vel signum in
dolio appositum censeri traditam
possessionem, tamen hoc
non obstante a supra firmatis
recedendum non puto, et objectum
illo inevitabili dilemmate
eliminatur, quod aut hanc
amplectentes sententiam eam
intelligunt, ut procedat in illis
casibus, in quibus agitur
de sola rei deterioratione, et
hanc nos quoque fatemur utique
ad emptorem pertinere e-

tiam a degustatione praescinden-
do, ut ex infra dicendis patebit, aut eam intelligunt etiam quoad totalem interitum, et rei peremptionem, et in hoc contrarium est verius, et communi ore fatentur DD. periculum in hoc casu ad venditorem spectare, ut pariter infra probabitur; in nihilum refragante
22. degustatione, et signo apposito, quoniam omissis aliis responsionibus, dicimus nec degustationem, nec signationem succedere posse loco traditionis, cum utraque ad alios effectus facta praesumi possit, ut bene ponderat *Gratian. loco supra citat.*

Casus autem in quibus periculum rei venditae ad mensuram pertinet ad emptorem sunt, primo quando per venditorem emptori facta fuit intimatio, seu notificatio ad rem recipiendam,
23. et mensurandam, et emptor rem recipere, et mensurare neglexit, tunc enim nulla supposita conventione in contrarium rem pro tradita, et mensurata haberi concludere videtur *Capyc. decis.* 14. *n.* 18., et quemadmodum mora venditoris in tradendo rem venditam ei prae-
24. judicat, si interim res fiat deterior, et pereat, ut docet *Mangil. de evict. quaest.* 103. *n.* 11. ita e converso omnis suadet ratio, ut mora emptoris in
25. recipiendo rem emptam huic pariter nocere debeat, quibus favent in puncto tradita per *Rosa consult.* 8. *n.* 11., *et* 12. *ubi etiam sub n.* 22., *et seq.* quaerit quid sit dicendum si emptor, qui rem recipere recusavit, postea mutando consilium, et voluntatem dicat,
26. et se offerat promptum rem recipere, et tunc venditor sit morosus in re tradenda, et aliqua etiam adducit de interpellatione, videlicet an debeat esse judicialis. Secundus est casus quando res vendita ad mensuram, et sub conditione est
27. facta tantummodo deterior, tunc enim periculum ad emptorem spectare docte probat *De Marin. resol.* 239. *lib.* 2. *n.* 6., *et seq.*, *et dat concordan.* ubi ponit distinctionem inter deteriorationem, et totalem rei interitum, et primo casu di-
28. cit periculum esse emptoris, secundo vero ad venditorem spectare, subdens tamen circa deteriorationem rem esse ita intelligendam, ut procedat quando deterioratio est tolerabilis, et non adeo excessiva, ut emptor dici possit laesus; caeterum si esset adeo gravis ut ex ea emptor remaneret lae-
29. sus, mordicus sustinet, quod emptori in tali casu succurrendum sit, quemadmodum etiam dicitur de venditore cui esset succurrendum si post factam venditionem sub conditione res esset adeo aucta, ut ipse inspecto tempore purificatae conditionis ac rei tradendae (quod quidem tempus in his casibus ait esse inspiciendum) remaneret laesus. Tertius adducitur casus

quando agitur de venditione certae rei, veluti certi fundi intra suos fines pro certo, et determinato pretio, quia in tali themate etsi deinde dicatur eum esse tornaturarum tot ad rationem tot pro qualibet tornatura, et in conventione deducatur quod contrahentibus permissum sit rem mensurare,
30. et juxta modum mensurae pretium augeri, vel minui debeat, tamen contractus purus, et perfectus est, et consequenter omne periculum ad emptorem pertinet, quoniam quando dicitur venditionem ad mensuram esse conditionalem, et imperfectam, hoc intelligendum est, ut habeat locum quando pretium est incertum respectu totius fundi, ut ex doctrina *Mantic. de tacit., et ambig. lib. 4. tit. 17. n. 6., et aliorum fuit probatum in consult. 3. in fine.* Quartus est casus quando quaestio non est circa periculum rei venditae ad mensuram, sed circa pretium, quod post conventionem sit auctum, vel diminutum, in hac enim hypo-
31. thesi periculum ad emptorem spectat, cum constans sit propositio, quod statim facta conventione venditio dicitur perfecta quoad pretium secundum opinionem *De Rosa in consult. 68. n.* 13.

Post haec scripta vidi *Montan. de tut. cap.* 33. *n.* 97., *et* 98. u-
32. bi ait, quod res vendita etiam sine solemnitatibus necessariis in contractibus minorum, si pereat, perit emptori non obstante contractus nullitate.

ARGUMENTUM.

Latissime tractatur de materia laesionis adducendo modum eam probandi, et judicandi, aliaque notabilia colligendo, videlicet an probata laesione in emptoris arbitrio sit optandi, an malit restituere rem pro eodem pretio quo illam habuit, vel potius justum pretium supplere, et quatenus eligat rem restituere, an illam debeat tradere una cum omnibus fructibus perceptis, et an omnes obligationes per emptorem medio tempore super re empta contractae corruant; item an contractus impugnari possit propter laesionem, ubi agitur de rebus mobilibus, vel ubi venditor in contractu dixisset, et si res quid plus valet donavit, vel stante promissione jurata de non contraveniendo, et alia de quibus in summario.

SUMMARIUM.

1. *Contrahentibus permissum est se decipere, dummodo non se decipiant ultra dimidiam, loquendo tamen in foro exteriori.*
2. *Quidquid sit in foro interno circa quod adducuntur materiam examinantes.*
3. *Laesio dicitur enormissima quando est ultra dimidiam justi pretii, et adducitur exemplum.*
4. *Ob laesionem enormissimam da-*

tur actio emptori, et ejus haeredibus pro rescissione contractus.

5. *Laesio est plene, et concludenter probanda, quia contractus habet praesumptionem justi pretii.*

6. *Et per plenas, et necessarias demonstrationes.*

7. *Et de tempore celebrati contractus si agatur de contractu qui unico momento perficitur.*

8. *Si vero contractus habet tractum successivum, vel continet aliquid de futuro explendum, est etiam attendendum tempus futurum.*

9. *Ubi constat statum intrinsecum, et extrinsecum non esse mutatum probatio praesentis valoris deservit pro praeterito.*

10. *Quando res ita se habet, ut de laesione concludens probatio dari non possit, judicis arbitrio totum remittitur, et hoc exemplificatur in venditione ad vitam.*

11. *Lex neminem ad desperationem inducere intendit.*

12. *Pro judicanda laesione omnia corpora, partes, qualitates, et circumstantiae habita etiam ratione ad locum, tempus, et personas considerari debent.*

13. *Ideoque si venditor est debitis involutus, et in malo statu, hoc etiam est considerandum.*

14. *Remedium l. 2. habet locum etiam in mobilibus quando sunt notabilis valoris.*

15. *Secus vero quando sunt modici valoris, nisi laesus sit minor.*

16. *In emptoris arbitrio est rem restituere, vel justum pretium supplere.*

17. *Et haec optio ei durat usque ad contestationem litis in executione judicati.*

18. *Quando laesio est ultra bessem cessat dicta optio, et venditor procedere potest per viam manutentionis, seu reintegrationis.*

19. *Eligente emptore rem restituere, corruunt omnes obligationes ab ipso medio tempore super re empta contractae.*

20. *Non tenetur tamen ad restitutionem fructuum, nisi a die motae litis, ad differentiam contractus nulli.*

21. *Emptor eligens justum pretium supplere, et rem retinere non tenetur pro eo ad fructus recompensativos nisi post moram.*

22. *Quando laesio est ultra bessem veniunt fructus a die contractus.*

23. *Agi potest pro laesione non obstante, quod fuerit promissum cum juramento contractui non contravenire.*

24. *Petita tamen prius absolutione a juramento.*

25. *Vendens cum protestatione, quod si res quid plus valet intendit donare, adhuc potest agere pro laesione enormissima.*

26. *Limita si vendens specificam scientiam habebat de vero rei valore.*

27. *Data dicta specifica scientia in contrahente laeso, non potest allegari laesio, nisi sit minor, vel alia persona privilegiata.*

28. *Contra tertium possessorem titulo oneroso agi non potest pro laesione.*

29. *Limita quando tertius possessor rem acquisivit pretio laesivo licet res ad eum non pervenerit cum tanta laesione.*

30. *Limita secundo quando contractus laborat dolo vero, vel praesumpto resultante ex laesione ultra bessem.*

CONSULT. XII.

Amplam, et in praxi frequentem materiam laesionis in contractibus emptionis, et venditionis quotidie occurrentis in praesenti examinandam assumens praemittendum in primis, et ante omnia censeo quod laesio licet multifariam dividatur juxta varias DD. traditiones, videlicet, quod alia sit modica, alia magna, alia enormis, et alia enormissima, attamen quia ubi contractus non inficitur laesione enormissima, sed dumtaxat laesione modica, enormi, et simil., tunc contrahentibus
1. nullum competit remedium, cum
ipsis in foro exteriori, et de jure civili permissum sit se decipere, dummodo non se decipiant ultra dimidiam justi pretii *ad Text. in l. item si pretio §. quemadmodum ff. locat., et conduct. l. rem majoris C. de rescinden. vend. l. in causa l. 2. §. penul. ff. de minor.* (quidquid sit in foro interno de qua re multa scitu digna videri me-
2. rentur apud doctissimum, ac
probum virum *D. Prosper. Farinac. frag. crim. prim. litt. D. n. 43., et seq.*) ideo hac inspecta ratione, in hac consultatione de laesione dumtaxat enormissima habebitur sermo, reliqua forum internum respicientia, relinquendo theologis, quos in quantitate magna cumulat *Farinac. loco supra citato.*

Hac protestatione praemissa revocando itaque ad incudem materiam laesionis enormissimae dico primo, quod contractus tunc dicitur laesione enormissima infectus, quando laesio
3. est adeo gravis, ut dimidiam
veri, et justi pretii excedat, veluti si empta fuerit pro 10. res, quae valebat 21., et ultra, vel pro 21. res, quae valebat 10. ut docte ponderat *Rota decis.* 532. *n.* 3., *et decis.* 580. *n.* 3. *part.* 5. *tom.* 2. *rec. Urceol. consult. forens. cap.* 3. *n.* 33. *ad* 35. ubi aliis reprobatis dicit hunc esse ineundum computum, et *in appendic. ad d. cap.* 3. *cum ibi congest.*

Dico secundo, quod licet verissimum sit, quod ubi contractus
4. est infectus laesione enormis-
sima, tunc emptori, et ejus haeredibus competit actio ad illius rescissionem *ad Text. in l. 2. C. de rescind. vend.* communiter amplexatum, aeque tamen certum est, quod ad dictum effectum necessarium est
5. laesionem plene, et conclu-
denter probare, cum contractus dicatur habere pro se praesumptionem justi pretii, ut dixit *Rota decis.* 297. *n.* 8. *part.* 19. *rec., et alibi passim,* et quidem
6. per plenas, et necessarias de-
monstrationes, ut edocet *Rot. in allegata decis.* 257. *n.* 23. *part.* 19., *et prius firmavit in decis.* 686. *n.* 11. *part.* 18. *tom.*

2. *rec.*, et praecise de tempore
7. celebrati contractus, si sumus
in contractu qui unico momento
perficiatur, et non habeat
tractum successivum secundum
Menoch. cons. 156. *n.* 35. *Honded. cons.* 31. *n.* 48. *lib.* 1.
Merl. de legit. lib. 3. *tit.* 1.
quaest. 12. *n.* 27. *Cyriac. contr.*
for. 453. *n.* 61., *et seq.*, *et conferunt tradita per Rot. decis.* 343.
n. 8. *part.* 17. *rec.* ubi ait, quod
quando nulla data fuit concludens probatio status antiqui,
et valoris bonorum de tempore
celebrati contractus, exclusa remanet probatio laesionis; secus
vero si contractus habeat tractum successivum, vel aliquid
8. de futuro explendum contineat,
sicque partes ad futurum etiam
tempus respexerint, quia tunc
pro judicanda laesione aeque
principaliter attendendum esse,
etiam tempus futurum firmarunt *Natta cons.* 548. *n.* 36.
Demarin. resol. 239. *n.* 9. *part.*
2. *Rot. decis.* 24. *n.* 12. *part.*
13. *rec.* vel ubi constaret statum intrinsecum, et extrinsecum rei venditae nequaquam
9. esse mutatum, quoniam in tali hypothesi pro certo crederem, quod etiam si ageretur
de contractu qui unico momento perficitur, probationem praesentis valoris deservire pro praeterito, ea ratione ductus, quia
in dicto themate probatio status praesentis praesefert, et in
ventre habet probationem status, et valoris praeteriti, ut
de se patet.

Est tamen in proposito animadvertendum quantum ad id, quod
diximus de laesione probanda
perplenas, et necessarias demonstrationes, quod quamvis
propositio optimo jure procedat, et communiter sit accepta a juris professoribus, attamen non ita generice, et indefinite sumenda venit, ut semper, et in omni prorsus casu procedat, nam, et ipsa suas
patitur limitationes, et praecipue limitatur in illis casibus,
in quibus ex qualitate facti
res ita se habet, ut praetensae
laesionis concludens dari non
10. possit probatio, tunc enim totum esset prudentis judicantis
arbitrio remittendum, considerатis de jure considerandis, ut
in terminis venditionis ad vitam, in qua videtur concludentem probationem laesionis
dari non posse videndus est
De Luc. de regal. ad materiam locorum Montium disc. 30., et
ea ratione suadetur, quia lex
11. neminem ad desperationem inducere intendit l. dolum cum
ibi notat. C. de dol.

Dico tertio, quod pro judicanda
laesione enormissima res ita accurate inspicienda venit, ut non
sufficiat sola superficialis consideratio ad rei valorem pretiumque conventum, sed ut jus
suum cuique tribuatur, omnia
corpora, partes, qualitates, et
circumstantiae insimul conside-
12. rari debent, habita etiam ratione ad locum, tempus, et
personas, et quod deficit in u-

no, potest suppleri in alio, ut docet *Surd. cons.* 217. *n.* 13., *et seq. Cyriac. contr.* 170. *n.* 2., *et* 453. *n.* 45. *Mangil. de evict. quaest.* 102. *n.* 6. *Buratt. decis.* 538. *n.* 17. ubi quod est considerauda qualitas venditoris,
13. qui si reperiatur in malo statu, veluti quia sit debitis involutus, haec circumstantia satis minuit de valore rei ob periculum, quod emptor in se suscepit, quod dixit etiam *Surd. decis.* 30. *n.* 15.

Dico quarto quod remedium l. 2. licet secundum sententiam aliquorum non habeat locum ubi agitur de solis mobilibus, tamen quando mobilia insimul juncta constituunt valorem no-
14. tabilem contrarium est verius, et idem censendum est ac in stabilibus, ut de venditione mobilium pro libris bis mille dixit *Calvin. de aequit. lib.* 1. *cap.* 46. *n.* 6. *ad* 11. ubi quod remedium *l.* 2. extenditur etiam ad mobilia quando sunt pretiosa, et magni valoris, se-
15. cus vero si sint parvi ponderis quia tunc solum favore minoris intrat remedium dictae *l.* 2.

Dico quinto, quod probata laesione enormissima pro parte venditoris, non potest tamen emptor reus conventus praecise compelli ad rem restituendam, sed in ejus arbitrio, et potestate est optandi, seu eligendi, an malit restituere rem pro eodem
16. pretio, quo illam habuit, vel potius justum pretium supplere, et rem ipsam retinere, ut docte ponderat *Rota decis.* 270. *n.* 10., *et* 11. *part.* 14. *rec. Calvin. de aequit. lib.* 1. *cap.* 45. *n.* 87., *et* 88. *Franch. decis.* 496. *n.* 1., *et* 2. ubi, quod hujusmodi optio ei durat etiam postquam fuerit per sententias pronuntiatum contractum esse
17. laesivum usque ad contestationem litis in executione judicati, quod totidem verbis dixit etiam *Calvin. supra lib.* 2. *cap.* 161. *per tot.* Nisi fortasse laesio esset in magno excessu ultra dimidiam, ut si bessem, idest duas partes ex tribus veri valoris excederet, vel gravior esset, quia tunc ob exuberantiam doli, et fraudis esset venditori succurrendum per extraordinarium remedium sum-
18. marissimi possessorii per viam manutentionis, seu reintegrationis, et consequenter emptor amitteret dictum beneficium optionis, et praecise posset a venditore cogi ad restitutionem rei venditae, ut distinguendo doctissime firmavit *Rot. decis.* 270. *n.* 12.. *et* 13. *part.* 14. *rec. Fontanell. decis.* 64. *n.* 2., *et seq.* ubi alii concordantes habentur.

Dico sexto, quod probata laesione enormissima, et eligente emptore potius rem restituere, quam justum pretium supplere, omnes obligationes, et hypothecae per ipsum medio tem-
19. pore super re empta contractae corruunt, et resolutae remanent, resque libera, et sine onere transit ad venditorem,

ut egregie firmarunt *Surd. de alim. tit.* 9. *quaest* 42. *n.* 17. *Amat. cons.* 10. *n.* 12., *et* 13. *Salgad. Labyr. Cred. part.* 2. *cap.* 9. *n.* 82. ubi ait quod perseverantia hypothecae medio tempore contractae pendet ex electione emptoris condemnati ad rem restituendam, vel pretium supplendum; quinimmo ad sensum aliquorum tenetur etiam in tali casu emptor omnes fructus ex re empta perceptos venditori restituere, licet quantum ad hoc attinet contrarium censeam verius, et pro indubitato putem, quod ubi laesio est simpliciter ultra dimidiam, tunc fructus tantum-
20. modo debeantur a die motae litis ea ratione ductus, quia ad effectum, ut emptor fructus faciat suos ante motam litem, sufficit, quod mala fides ab eo absit, et quod habeat saltem titulum coloratum, et distinguendo contractum nullum a contractu laesivo, fructus in primo casu deberi a die celebrati contractus, non sic vero in secundo, ut est videre apud *D. Card. de Luc. de regal. ad materiam locorum Montium disc.* 30. *n.* 3. *Sanfelic. decis.* 125. *ubi alii habentur concordan.*, et his pro meo judicio conferunt tradita *per Magon. decis. flor.* 23. *n.* 8. ubi
21. quod emptor eligens justum pretium supplere, et rem retinere, non tenetur pro eo ad fructus recompensativos, nisi post moram; quidquid sit quando laesio non est simpliciter ultra dimidiam justi pretii, sed bessem, hoc est duas partes ex tribus veri valoris, excedit, vel gravior est, quia tunc cum propter exuberantiam doli, qui praesumitur inesse contractui, resultet in emptore mala fides,
22. videtur sine dubio concludendum restitutionem fructuum utique deberi a die celebrati contractus, vel illos in sortem esse imputandos ut docet *Rot. decis.* 150. *n.* 5. *part.* 15. *rec.*

Dico septimo, quod data concludenti probatione laesionis enormissimae contra eam non relevant exceptiones, quod contrahentes medio juramento promiserint contractum non impugnare, vel quod venditor dixerit, et si res quid plus valet donavit, et aliae similes exceptiones, nam quantum attinet ad promissionem juratam de non contraveniendo contractui, quod
23. nullum obicem praestet post multos alios firmarunt *Urceol. de transact. quaest.* 95. *n.* 40. *Cyriac. contr.* 616. *n.* 33. *Andreol. contr.* 390. *n.* 96. quod tamen ego puto intelligendum,
24. petita prius per actorem contravenientem absolutione a juramento, prout fuit practicatum in una *Tudertina seu Romana nullitatis obligationis, quae est decis.* 75. *n.* 10. *coram Buratt. et optime dixit Ciarlin. contr.* 122. *n.* 23. Quo vero ad dictionem, seu protestatio-
25. nem donandi quatenus res plus valeat, hanc pariter non

officere dixit *Cutel. de donat. disc. part.* 6. *n.* 183. *tom.* 1. ubi dat concordan. et cum hac sententia ego quoque libentissime pertranseo, in hypothesi tamen, quod sic protestans, et promittens ignotum haberet justum rei valorem cum tunc non sit verisimile, nec praesumendum sit, quod habuerit animum donandi tantam summam; secus vero si scientiam speci-
26. ficam de vero rei valore habuisset, ut animadvertit *Cyriac. contr.* 421. *n.* 11., *et contr.* 68. *n.* 10., et confert etiam regula generalis communiter recepta, videlicet, quod data specifica scientia in contrahen-
27. te laeso de vero rei valore, non potest allegari laesio, nisi sit minor, vel alia persona privilegiata ut videre est apud *Rot. decis.* 532. *n.* 17. *part.* 5. *tom.* 2. *Farinac. in prax. crim. part. prim. litt. D. n.* 39. ubi de minore, et aliis personis privilegiatis.

An autem agenti ob laesionem enormissimam obstet, quod ipse judicium instituerit contra tertium possessorem titulo oneroso, censeo cum communiori affirmative respondendum, et
28. ea ratione moveor, quia actio praedicta tanquam personalis contra tertium singularem possessorem intentari non potest, nec minus de aequitate, et in subsidium, nisi duobus in casibus, videlicet quando dictus tertius possessor rem pro pretio laesivo acquisivit, ut docte animadvertit *Andreol. contr.* 97. *n.* 3., *et seq.* ubi hoc admittit etiam si res
29. non pervenerit ad illum tertium cum tanta laesione, quod rationi valde consonum mihi quoque videtur, ex quo tertius possessor usque ad quantitatem laesionis agere videtur de lucro captando, primus vero venditor, qui pro laesione contra eum judicium instituit agit de
30. damno evitando; secundo quando contractus laboraret dolo vero, vel praesumpto resultante scilicet ex laesione ultra bessem, quia tunc cum rei dominium non videatur a primo venditore abdicatum, sed potius ei fraudulenter ablatum, ideo consequens est, quod in tali hypothesi valeat venditor rem suam a quocumque abdicare, per ea, quae supra diximus de hac laesione.

ARGUMENTUM.

Dominus census, cum sit omnibus aliis praeferendus in emptione fundi censiti, ut hic resolvitur, et ad hunc effectum ei denunciari debeat venditio ad formam constitutionis Pii V. quaeritur, an hoc procedat etiam in venditione ad hastam; ulterius etiam quaeritur, an dominus census praelationem praetendere possit super aliis rebus cum fundo censito venditis, cum aliis de quibus in summario.

SUMMARIUM.

1. *Dominus census est omnibus praeferendus in emptione fundi censiti.*
2. *Limita tamen quando cum eo concurrit aliquis, cui vigore statuti competit praelatio.*
3. *Domino census debet denunciari venditio cum omnibus qualitatibus, et pactis, et hoc per mensem ante.*
4. *Deficiente denunciatione domino census competit jus retrahendi intra triginta annos.*
5. *Quoties res censita venditur semper oritur nova actio ad petendam praelationem, quae perpetuatur per* 30. *annos.*
6. *Praelatio concessa domino census militat etiam in venditione ad hastam, quae vera venditio est.*
7. *Quod venditio fiat ex causa necessaria, vel voluntaria, hoc non alterat naturam venditionis.*
8. *In venditione ad hastam factum judicis habetur pro facto partis.*
9. *Venditio, quae fit ad hastam ob debitum sponte creatum a domino fundi, videtur ab eodem domino fieri sponte.*
10. *Dominus census potest, immo debet retrahere etiam alia bona cum fundo censito vendita, si separatio commode fieri non possit etc.*
11. *Restituto tamen emptori pretio soluto, et melioramentis factis.*

CONSULT. XIII.

Ex iis, quae per doctissimum D. meum de Lottarinis adducta fuerunt circa punctum retractus, de quo controvertitur licet satis, et abunde constaret de bono jure D. Andreae de Achillinis domini census, alias, et de anno 1680. impositi super certa, et determinata parte praedii controversi tunc temporis ad dominum Matthaeum Dulfium spectantis, et deinde per D. Jacobum Folianum ad hastam publicam empti, nihilominus requisitus ego quoque, ut super dicto articulo meum sensum pro veritate exponam, breviter me expediendo, respondeo utique D. Achillinum optimum jus fovere ad effectum retrahendi ab emptore praedicto tum partem fundi censiti, tum etiam alteram partem connexam, et insimul ad hastam publicam eo irrequisito venditam.

Etenim quantum attinet ad primam difficultatis partem moveor ad ita sentiendum, quo-
1. niam cum certa, et ab omnibus amplexata sit propositio, quod dominus census in emptione fundi censiti praelationis jure gaudere debet adversus omnes, et quoscumque alios (exceptis tantummodo iis, quibus a statuto, et lege praelatio, et jus retrahendi conceditur, ne
2. via statutum, et leges eludendi aperiatur, ut bene ponderat *Cenc. de cens. quaest.* 65. *n.* 9. *Marin. resol.* 232. *n.* 10. *parte prima*) quodque ad effectum praedictum ei denunciari debet venditio cum om-

nibus suis qualitatibus, ac pa-
3. ctis, et per mensem expectari
ut possit deliberare, an velit
emere, nec ne juxta disposi-
tionem *Pii V. in ordine* 79.
§. 6., *et edocet Cenc. de cens.
quaest.* 64. *n.* 32. *et quaest.* 65.
n. 1., *et seq. Seraph. decis.* 1474.
n. 1., *et* 2. *addo Rot. post Cenc.
decis.* 157., *et coram Ludovis.
decis.* 425. *n.* 1. Ita, et taliter,
quod deficiente dicta denuntia-
4. tione domino census competat
jus retrahendi pro eodem pre-
tio rem alteri venditam intra
terminum triginta annorum, ut
ponderant DD. supra congesti,
et in fortioribus terminis dixit
*Rota impress. post. D. Card.
Albic. de inconstan. in judi. de-
cis.* 18. *n.* 24., *et seq.* ubi quod
quoties res censita venditur,
5. semper oritur nova actio ad
petendam praelationem, quae
perpetuatur per 30. annos, et
alios dat concordantes; hinc
mihi videtur jus retrahendi di-
ctam partem fundi censiti abs-
que ulla denuntiatione ad ha-
stam publicam venditam, do-
mino de Achilliinis tanquam do-
mino census nequaquam con-
troverti posse, quoniam licet
ipse agat pro re retrahenda ab
emptore ad hastam, tamen e-
tiam in hac hypothesi tuto pro-
6. cedunt ea, quae supra addu-
cta fuerunt, cum venditio ad
hastam tanquam vera, et pro-
pria venditio comprehendatur
sub dispositione d. constitutio-
nis *Pii V. ut in terminis susti-
net Rot. coram Ludovis. decis.*
193. *n.* 1. *et* 2. *cum ibi con-
gestis.*

Neque contra haec obstare mihi
videtur, quod verba allegatae
bullae non applicentur casui
venditionis ad hastam, ex eo
quod bulla loquitur de vendi-
tione facta a domino fundi vo-
luntarie, qualis non dicitur ven-
ditio ad hastam tanquam facta
a judice, et ex causa neces-
saria; quoniam huic obiecto pri-
mo respondetur, quod Pius V.
dum in sua constitutione con-
cessit dictum jus praelationis,
et retractus, id tantum fecit
in favorem domini census, qui
aeque militat tam in venditione
facta volente domino fundi cen-
siti, quam eo invito, et ex
7. causa necessaria, praecipue quia
esse necessarium, et esse volun-
tarium non alterat naturam ven-
ditionis ad notata *in l. pacta
conventa ff. de cont., empt. l.
juris gentium §. adeo ff. de pact.
Ludov. dicta dec.* 193. *n.* 2.,
et seq. ubi etiam, quod nihil
refert, quod venditio fiat a ju-
8. dice, quoniam in hoc factum
judicis habetur pro facto par-
tis; secundo respondetur, quod
venditio ad hastam licet verum
sit quod dicatur evenire ex cau-
sa necessaria, tamen quia haec
necessitas originem habet ab
9. ipso debitore videlicet a domi-
no fundi censiti qui debitum
sponte creavit, perinde est, ac
si sponte ab ipsomet domino
fundi facta esset venditio, ut
docte ratiocinatur *Cenc. de cens.
quaest.* 66. *n.* 27. 28., *et* 29.

Descendendo autem ad alteram difficultatis partem rursus dico D. de Achilliuis optimum jus fovere etiam pro retrahenda parte praedii censui non supposita, quoniam cum mihi in facto pro indubitato supponatur hanc partem praedii insimul cum altera parte censui supposita fuisse venditam, et ita ei connexam esse, ut difficilis, et damnosa sit separatio, intrat de plano regula apud censualistas communiter recepta, quod quando venditur res cen-
10. sualis una cum aliis bonis, quae sint partes, vel membra ad invicem cum re censuali, vel etiam ita ei adjaceant, ut dura, et damnosa reddatur illorum separatio, tunc potest dominus census, immo tenetur, restituto emptori justo pretio, retrahere etiam alia bona insimul vendita, ut videre est apud *Cenc. de cens. quaest.* 66. *n.* 110. *Magon. decis. flor.* 29. *per tot.* ubi etiam, quod in restitutione dicti justi pretii ve-
11. nit nedum summa ab emptore exbursata, sed venit etiam pretium melioramentorum necessariorum, et utilium, saltem ante motam litem factorum, quae dicuntur pars pretii, ut latius videre est apud *Cenc. loco supra citato n.* 81. *ad* 100.

ARGUMENTUM.

Emptor inveniens rem emptam non liberam veluti quia sit emphyteutica, vel fideicommisso subiecta, vel alteri hypothecata, etc. quibus remediis uti possit contra venditorem tam ante, quam post solutionem pretii late hic disputatur cum aliis, de quibus in summario.

SUMMARIUM.

1. *Emptor inveniens rem emptam non liberam potest agere contra venditorem ad hoc, ut eam liberet si pretium solutum sit.*
2. *Si vero pretium non est solutum, potest illud retinere, donec res liberetur.*
3. *Et hoc procedit etiam si super re lis non fuerit mota, dummodo ostendatur rem esse alteri hypothecatam.*
4. *Rei liberatio fit, vel satisfaciendo creditoribus, vel praestando idoneam cautionem, vel pretium deponendo penes mercatorem ad utilitatem venditoris, vel penes S. Montem Pietatis ad effectum illud rei investiendi.*
5. *Quando onus est omnino clarum non tenetur emptor ad solutionem pretii etiam data per venditorem cautione.*
6. *Emptor ad effectum rem liberandi potest solvere creditori venditoris, etiam nulla allata molestia dummodo creditum sit certum.*
7. *Emptor inveniens rem non liberam agere potest actione quanti minoris contra venditorem.*
8. *Et haec actio est aestimanda arbitrio judicis facta aestimatione per peritos.*
9. *Et e contra si aliqua commodi-*

tas detegatur, quae adesset de tempore contractus, sed esset venditori ignota, potest venditor agere contra emptorem.

10. *Si emptor doceat rem esse fideicommisso puro, vel conditionali subiectam, vel etiam hypotheca generali affectam, potest etiam agere directe, vel indirecte ad rescissionem contractus.*

11. *Et hoc procedit etiam si res sit tradita, et etiam si non sit promissum in specie rem esse liberam.*

12. *Venditor conveniri potest pro re non libera, etiam supposita in eo ignorantia oneris, licet in hoc casu ad interesse extrinsecum non teneatur.*

13. *Stante scientia praecisa emptoris rem non esse liberam non potest agere contra venditorem, nisi expresse, et in eo casu precise sibi caveat de evictione, si molestiae moveantur ab aliquo tertio.*

14. *Quidquid sit moverentur a venditore.*

15. *Scientia tamen in emptore debet esse specifica, et praecisa, alias non officit emptori quin agere possit contra venditorem, nisi onera essent omnino evidentia.*

16. *Quando res detegitur pro parte tantummodo non libera, locus est rescissioni contractus solum pro ea parte, quod tamen quommodo procedat explicatur.*

17. *Ubi constat de insubsistentia jurium agentis, et molestias ab emptore collusive fuisse suscitatas, emptor debet solvere pretium una cum fructibus etiam absque cautione.*

18. *Quoties emptor rem, et pretium penes se retinet, tenetur ad fructus recompensativos.*

19. *Et isti fructus debentur etiam si conventum sit, quod emptor non teneatur pretium solvere donec a venditore caveatur de evictione, etc.*

CONSULT. XIV.

Quoniam post celebratum contractum emptionis, et venditionis passim contingit, quod emptores res emptas non liberas inveniant, sed emphyteuticas, vel fideicommissarias, vel alienas, vel alteri hypothecatas, aliisque similibus oneribus affectas, propterea non ab re censui aliqua hic adducere circa actiones, et remedia, quae in hujusmodi casibus competunt emptoribus. Dico igitur, quod emptor rem emptam non liberam inveniens
1. plura habet remedia. Et primo si pretium solutum est, agere, et procedere potest contra venditorem ad hoc, ut rem venditam liberet, ut edocet *Gratian. discept. for. cap.* 175. *n.* 20., *et seq. Cyriac. contr.* 372. *n.* 51., *et* 60. *Mangil. de evict. quaest.* 23. *n.* 15. *et seq.* Si vero pretium adhuc non sit
2. solutum, potest excipiendo illud retinere donec res vendita liberetur, ut docte de more dixit egregius vir *Alex. Tartagna Civis meus in cons.* 15. *n.* 3. *lib.* 5. *Posth. resol.* 145. *n.* 11. ubi quod praedicta procedunt etiam ante litem motam.

dummodo ostendatur rem esse
3. alteri hypothecatam, vel alio onere affectam addo *Rot. post Zach. de oblig. Cam. decis.* 77. *n.* 3., *et seq.*

Haec autem liberatio pluribus modis fieri potest, videlicet, vel satisfaciendo creditoribus, vel idoneam cautionem praestando, nisi venditor notorie dives esset, vel pretium deponendo penes mercatorem ad utilitatem
4. venditoris, et ad emptoris cautionem, vel penes montem pietatis ad effectum illud reinvestiendi, ut pluries fuit decisum *per Sac. Rot. Rom.* vel etiam aliter onera removendo, ea tamen in proposito adhibita ponderatione, quod ubi hypotheca, vel aliud onus est omnino
5. clarum, non est in tali casu cogendus emptor ad solutionem pretii etiam data per venditorem idonea cautione, ut videre est penes *Mangil. de evict. quaest.* 23. *n.* 51. *quod totidem fere verbis firmasse videtur Rota in decis.* 81. *n.* 17. *usque ad finem part.* 17. *rec.*, *et decis.* 265. *n.* 2. *circa finem Reverendiss. Roxas*, ubi quod emptor etiam ratione imminentis evictionis solutionem pretii retardare non potest, sed cautioni acquiescere, per quam sequestra etiam a jure permissa revocantur, dummodo non fuerint concessa in executionem sententiae, vel mandati de solvendo, vel nisi credita essent omnino clara, et liquida.

Dico secundo, quod emptor in proposito casu ad effectum se reddendi securum, et rem emptam liberandi, potest solvere
6. creditoribus anterioribus venditoris, etiam venditore non interpellato, et etiam si nulla sit allata molestia, dummodo tamen debitum sit liquidum, et certum, ut latissime probatur in consult. 29., et concludere videtur *Urceol. de transact. quaest.* 42. *n.* 32. *usque ad finem*, ubi quod emptor etiam ante litem motam potest transigere, et se componere cum creditore ostendente de suo bono jure, vel per instrumentum, vel rem judicatam, vel aliis similibus modis, cum aliis scitu dignis ibidem viden.

Dico tertio, quod emptor inveniens rem emptam non liberam agere potest contra venditorem
7. actione quanti minoris, ad hoc scilicet, ut venditor faciat diminutionem pretii juxta minorem aestimationem ad tradita per *Mangil. de evict. quaest.* 24. *n.* 1., *et seq. Surd. decis.* 165. *n.* 5., Et licet in plures acies divisi sint jurisconsulti circa aestimationem faciendam, dum alii volunt detrahi sextam partem pretii conventi, alii quartam, et alii dimidiam, tamen
8. mihi probabilius videtur, quod in hac facti specie totum relinquendum sit prudentis judicantis arbitrio omnibus secundum ejus prudentiam consideratis considerandis, et facta aestimatione per Peritos, ut voluit quoque *Purpurat. cons.* 356. *n.* 4. *lib.* 1.

An autem ea, quae firmata fuerunt de actione quanti minoris favore emptoris sibi quoque arrogent locum favore venditoris, ita, et taliter, quod si aliqua commoditas detegatur favore fundi, quae de tempore celebrati contractus adesset, venditore tamen tunc de ea scientiam non habente, possit venditor agere contra emptorem ad hoc, ut pretium augeat, si qualitas sit talis, quod per eam fundus afficiatur majoris aestimationis; verior, ac magis
9. tuta sententia mihi videtur affirmativa, quoniam licet verissimum sit, quod venditor rei propriae praesumatur informatissimus, tamen ubi de qualitate reperta rei veram ignorantiam habebat, aequitas non patitur quod ipse sit deterioris conditionis emptori, cum emptor, et venditor ad invicem relationem habeant, et quidquid dicitur de uno regulariter verificatur etiam in altero, ut in terminis ponderat *Cagnol. in l.* 2. *n.* 172. *de rescienden. vend.*, *et Mangil. de evict. quaest.* 24. *n.* 28.

Dico ultimo, quod emptor inveniens rem emptam non liberam, si clare doceat eam non esse liberam, sed fideicommisso puro, vel conditionali subiectam, vel hypotheca etiam generali affectam, potest, si ita ei magis placuerit, rejecta cautione etiam idonea, aliisque neglectis remediis agere directe ad rescissio-
10. nem contractus, vel indirecte, petendo scilicet restitutionem pretii loco damnorum, et interesse, ut doctissime de more edocet *Altograd. cons.* 10. *n.* 25., *et seq. lib.* 1. *late Urceol. de transact. quaest.* 42. *n.* 22., *et seq.* ubi quod haec procedunt etiam si res sit tradita, et possessio subsequuta, et quamvis non fuerit promissum in specie rem esse liberam, prout aliqui desiderare videntur, quoniam vendens censetur rem vendere cum pacto, quod sit libera, et propria, et sane quoties onus est tale, quod verisimiliter emptorem ab emendo retrahere potuisset, haec sententia rationi, et aequitati congrua mihi videtur.

Est tamen circa haec advertendum, quod licet hactenus deducta verissima sint, et recte procedant sive venditor sciret, sive ignoraret rem venditam li-
12. beram non esse, cum ignorantia venditoris eum dumtaxat operari possit effectum, ne scilicet teneatur ad interesse extrinsecum, ut docent communiter D. D., et signanter videre est penes *Urceol. consult. for.* 53. *n.* 10., *et docet etiam egregius vir D. Palma nepos in suis allegat. part.* 1. *alleg.* 9. *n.* 21. *et part.* 4. *alleg.* 330. *n.* 27. Tamen multi sunt casus in quibus non procedunt.

Et primo non procedunt quoties pro parte venditoris ostenditur emptorem scientiam oneris, cui res subjicitur habuisse, sicque
13. mala fide ad emendum acces-

sisse, tunc enim nisi appareat
emptorem expresse, et specia-
liter in eo casu sibi de evictio-
ne consuluisse, communi ore re-
spondent D. D., quod agere non
potest, nec pro rei liberatione,
nec actione quanti minoris, nec
pro rescissione contractus, ita,
et taliter, quod nec minus suf-
ficiat promissio de evictione ge-
neraliter *ad Textum in l. si fun-
dum sciens C. de evict. Rot. de-
cis.* 397. *n.* 13. *part.* 9. *tom.*
2. *rec. D. Palma nepos alleg.*
330. *n.* 5. *part.* 4. *ubi multos
dat concordantes, et conferunt
etiam tradita per Cyriac. contr.*
233. *per tot.* ubi hanc no-
stram limitationem admittere
videtur, licet acriter sustineat
14. eam non procedere, ubi em-
ptor molestias reciperet a ven-
ditore, eo super innixus fun-
damento, quod respectu illius,
qui vendidit emptor dicitur in
bona fide; in omnem tamen
casum illud est certum, quod
ubi non agitur de oneribus om-
nino evidentibus, scientia de-
15. bet probari in emptore prae-
cisa, et specifica, alias ei non
officit quin agere possit, vel ut
res liberetur, vel actione quan-
ti minoris, ut sustinet *D. Pal-
ma loco supra citato n.* 21., *et*
29. *part.* 4. *Rot. decis.* 142. *n.*
8. *part.* 19.

Secundo non procedunt, vel sal-
tem declarantur, loquendo de
iis, quae diximus circa resciss-
ionem contractus quando onus,
seu obligatio caderet tantum-
modo super parte rei emptae
ab aliis partibus commode di-
16. visibili, et sine qua verisimi-
liter judicis arbitrio, emptor
fuisset alias partes empturus, in
hujusmodi enim themate com-
munior sententia est, quod em-
ptor agere non possit ad rescis-
sionem totius contractus, ut do-
cte de more dixit *Em. de Luc.
de empt. et vend. disc.* 17.

Tertio non procedunt quando ven-
ditor incontinenti est promptus
docere de insubsistentia jurium
agentis, vel agere praetendentis,
tunc enim recipiuntur probatio-
nes venditoris, et constito de
dictorum jurium insubsistentia
rejiciuntur cavillationes empto-
17. ris, et contra eum relaxatur
mandatum tam pro sorte, quam
pro fructibus ut post *Em. De
Luc. de empt., et vend. disc.* 11.
n. 5. *docte dixit D. Ansald. de
commerc., et mercat. disc.* 58. *n.*
23. ubi quod quando constat
judicis arbitrio molestias col-
lusive per emptorem fuisse su-
scitatas, sine ulla praestatione
cautionis relaxandum est man-
datum tam pro sorte, quam
pro fructibus, quia alias in
emptoris arbitrio esset vendi-
torem deludere. Neque in his
casibus cuiquam mirum esse
debet, quod contra emptorem
relaxetur mandatum nedum pro
sorte, sed etiam pro fructi-
bus, quoniam quoties post
rem fructiferam receptam em-
ptor pretium penes se retinet,
18. omnis etiam suadet ratio, ut
teneatur ad fructus recompen-
sativos, ne contra aequitatem

sequatur absurdum, quod unus ex contrahentibus gaudeat re, et pretio, ut bene ponderat *Andreol. contr.* 21. *n.* 1., et faciunt in fortioribus terminis late tradita per *D. Palm. nep. alleg.* 328. *per tot. part.* 4. ubi ait, quod dicti fructus debentur etiam si expresse conven-
19. tum sit, quod emptor non teneatur pretium solvere donec idonee a venditore de evictione caveatur, immo etiam si esset initum pactum, quod venditor redderet bene cautum, et securum emptorem tam pro sorte, quam pro fructibus solvendis pro re empta de tempore in tempus maturandis, nec aliter, nec alio modo, ut apud auctorem citatum videre est ubi dat concordan.

ARGUMENTUM.

Late, et diligenter examinatur materia fructuum recompensativorum, qui ex aequitate *l. curabit C. de act. empt.* debentur in contractu emptionis, et venditionis, quoties res, et pretium remanet penes unum ex contrahentibus.

SUMMARIUM.

1. *Quoties emptor rem fructiferam, et pretium penes se retinet, debet solvere venditori fructus recompensativos ad ratam pretii non soluti.*
2. *Emptor non excusatur a dictis fructibus sub praetextu, quod deposuerit pretium, si depositum non sit integrum, vel non liberum, etc.*
3. *Fructus recompensativi debentur etiam in venditione animalium, et aliorum mobilium reddentium fructum.*
4. *Fructus recompensativi debentur quando res est apta producere fructus in actu primo, etsi facto debitoris percepti non sint, et dantur exempla.*
5. *Dispositio l. curabit procedit tam in emptore, quam in venditore.*
6. *Fructus recompensativi debentur etiam si venditor ex pretio nihil fuisset lucraturus.*
7. *Emptor, qui retinet pretium ob imminentem evictionem, vel aliam similem causam, tenetur ad fructus recompensativos.*
8. *In hoc tamen casu multum refert advertere, an emptor agat contra venditorem, ut res liberetur, vel actione quanti minoris.*
9. *In venditione de tanta rata, et parte certi fundi, quae ex. gr. ascendat ad scuta centum, fructus debentur a venditore, si ante factam declarationem ei solutum sit pretium.*
10. *In promissione de vendendo, et emendo debentur fructus recompensativi.*
11. *Dispositio l. curabit procedit solum quando fructus ex re fuerunt percepti.*
12. *Dummodo tamen culpa possessoris absit.*
13. *Empta re sterili pro solo oblectamento, si emptor pretium non solvit tenetur ad fructus recompensativos, ut hic declaratur.*

14. *Emptor, cui fuit concessa dilatio ad solvendum non tenetur ad fructus recompensativos pro tempore dilationis.*

15. *Limita tamen quando dilatione non obstante fructus fuerunt conventi.*

16. *Et permissa est hujusmodi conventio non obstante dilatione, dummodo taxata quantitas non excedat fructus, qui ex re percipiuntur.*

17. *Conventio de solvendis praedictis fructibus potest probari ex libris, et conjecturis, quamvis ex instrumento non appareat.*

18. *Facta obligatione solvendi pretium venditori ad omne ejus placitum, et petitionem, fructus non debentur.*

19. *Quando fructus a partibus non fuerunt taxati judex illos taxare debet habito respectu ad illos, quos emptor percepit, non vero quos percipere poterat, ejus tamen dolo secluso.*

20. *Et si non constat de quantitate fructuum ab emptore perceptorum, tunc debent taxari in stabilibus ad rationem quatuor pro centenario.*

21 *Vel juxta morem, et consuetudinem regionis.*

22. *Quando vero fructus praedicti fuerunt a partibus taxati, tunc debentur juxta taxationem praedictam, etiam si sit minor, vel aequivalens fructibus, qui ex re percipiuntur.*

23. *Secus vero si taxatio excedat fructus, quia in eo in quo excedit non sustinetur.*

24. *Est tamen standum taxationi, donec probetur fructus non esse perceptos usque ad quantitatem taxatam.*

25. *Fructus praedicti excessive soluti vel imputantur in sortem, vel possunt repeti.*

26. *Fructus recompensativi peti, et exigi possunt etiam recepta sorte, sive sint conventi, sive non, et reiciuntur contrarium sentientes.*

CONSULT. XV.

Quia in fine praecedentis consultationis, et alibi etiam nonnulla circa fructus recompensativos breviter tetigimus, ideo ibi sumpta occasione quaeritur modo pro dictae materiae plena cognitione quando nam in contractu emptionis, et venditionis dicti fructus recompensativi debeantur, et usque ad quam quantitatem taxari debeant. Et quia quaesitum duo continet capita, propterea primum capiendo dico, quod quotiescumque emptor rem emptam fructiferam possidet, et totum pretium, seu partem penes sé
1. retinet, debet solvere venditori fructus recompensativos ad ratam pretii non soluti ex aequitate *l. curabit. C. de act. empt.*, quae in eo fundata est ne interim emptor habeat rem, et pretium cum venditoris jacturà, ut bene ponderat *Corn. cons.* 145. *n.* 14. *lib.* 2. *Surd. cons.* 101. *n.* 15. *Mantic. de tacit., et ambig. lib.* 4. *tit.* 24. *n.* 6., *et* 7. *Scacc. de commer.* §. 1. *quaest.* 7. *part.* 2. *ampl.* 8.

n. 173. *Leotard. de usuris quaest.*
31. *n.* 9. *Rot. part.* 9. *decis.* 462.
n. 7. ubi quod non potest em-
2. ptor a dictis fructibus excusa-
ri sub praetextu, quod depo-
suerit pretium quando illud non
fuit integrum, vel non liberum,
et purum, ita ut posset vendi-
tor ad libitum illud exigere
decis. 366. *n.* 3., *et seq. part.*
10. *rec. decis.* 189. *part.* 16.
rec. ubi quod praedicta habent
3. locum etiam in animalibus red-
dentibus fructum, et etiam in
aliis rebus mobilibus fructife-
ris, *et decis.* 275. *eadem part.*
16. ubi quod fructus debeutur
eo ipso, quod res empta, et
4. vendita est apta in actu primo
ad producendum fructus, quam-
vis dicti fructus facto debitoris
percepti non sint, et exempli-
ficat in taberna, negotio, apo-
theca, etc. quibus denique ad-
do, quod dispositio dictae le-
gis procedit nedum contra em-
5. ptorem, sed etiam contra ven-
ditorem quoties iste rem, et
pretium penes se retinet, cum
in utroque militet eadem ratio,
et ex juribus supra congestis
videre est.

Hinc quia ratio praecipua, ob
quam dicti fructus recompen-
sativi debentur residet in re-
tentione pretii, et rei fructife-
rae, infertur primo, quod si
emptor rem emptam, illiusque
pretium penes se retineat, te-
6. netur ad fructus recompensa-
tivos erga venditorem, etiam
si venditor ex pretio statim si-
bi soluto nihil fuisset lucratu-
rus, ut ponderat *Covar. var.
resol. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 2. *vers.
secundo deducitur.*

Infertur secundo, quod si emptor
post habitam rem, pretium pe-
nes se retineat sub praetextu,
quod in limine contractus im-
mineat evictio, vel quia ex par-
te venditoris aliquid in contra-
ctu implendum promissum fu-
7. isset, quod adimpletum non
fuerit, hoc tamen non obstan-
te tenetur ad fructus recom-
pensativos ob allegatas rationes,
ut docte dixit *Add. ad Gregor.
decis.* 297. *Andreol. contr.* 21.
n. 1. *Sabell. var. resol. cap.* 84.
n. 18. *cum aliis in fine praece-
dentis consult. allegat.* ubi alia
circa hanc illationem fuerunt
dicta; quibus tamen addere lu-
bet, quod in illis casibus in
quibus emptor pretium conven-
tum penes se retinet ob rem
non liberam repertam, non sem-
per eodem modo tenetur ad
fructus recompensativos, ut sub-
tilissime materiam examinando
edocet *D. Palma nepos alleg.*
330. *cum ibi congest. part.* 4.
ubi ait, quod si emptor eligat
8. agere contra venditorem ad hoc,
ut rem venditam liberet, fru-
ctus debentur juxta quantita-
tem pretii conventi, si vero a-
gat actione quanti minoris, et
tunc cum ex dispositione juris
pretium illico ad mensuram o-
neris reperti sit diminutum, et
pro hac parte diminuta non
extet, ideo pro dicta parte non
debentur fructus recompensa-
tivi.

Tertio infertur de venditione facta de tanta rata, et parte certi, et specificati fundi, quae ascendat ex. gr. ad scuta mille, in qua si ante factam declarationem emptor solvat venditori totum dictum pretium,
9. vel etiam partem, tenetur venditor ad fructus recompensativos, quoniam ad hunc effectum non attenditur, an dominium, possessio, ac rei periculum in emptorem translata sint, sed solum an venditor retinuerit, et gavisus fuerit re, et pretio, ut docet *Paris. cons.* 60. *n.* 4. *vers. istis tamen non obstantibus, et n.* 23., *et seq. vol. prim. D. Palma nepos part.* 3. *alleg.* 212. *n.* 14. 15., *et* 16.

Infertur quarto de promissione de vendendo, et emendo, in qua
10. si eveniat, quod venditor post pretium receptum rem emptori non tradat, vel quod emptor post rem habitam pretium quoque penes se retineat tenetur ob allegatas rationes ad fructus recompensativos, ut dixit *Magon. decis. Lucen.* 17. *n.* 35.

Infertur quinto de venditione rei, quae sterilis est, et ad solum oblectamentum ordinatae, circa quam etsi primo aspectu videatur concludendum fructus recompensativos non deberi ex irrefragabili juris propositione,
11. quod dispositio *l. curabit* procedit solum quando fructus per emptorem fuerunt percepti, de qua *Beltram. ad Ludovis. decis.* 297. *n.* 11. *Gratian. discept. for. cap.* 241. *n.* 50., *et cap.* 939. *n.* 24., *et* 26. *egregie Rota decis.* 453. *per tot. part.* 4. *tom.* 2. *rec. Urceol. consult. for. cap.* 15. *n.* 46. *ad* 49. *rursus Rota decis.* 200. *n.* 5. *part.* 12. *rec. Sperell. decis.* 118. *n.* 66., *et seq.*
12. ubi hoc intelligit dummodò absit culpa emptoris ut dixit etiam *Sabell. in suis resol. cap.* 84. *n.* 26. Attamen contrarium censeo statuendum, et ea ratione moveor, quoniam quoties agitur de venditione rei suapte natura sterilis, et ad solum oblectamentum ordinatae videtur, quod suum fructum reddat eo ipso, quod affert emptori commoditatem, et oblectamen-
13. tum praedictum, et propterea ratione hujusmodi oblectamenti, et commoditatis teneri debet emptor ad fructus recompensativos donec pretium solvit ad rationem quanti res potuisset locari, ut post *Gabr. cons.* 74. *n.* 6. *docte dixit. Sperell. decis.* 118. *n.* 70., *et seq. ubi alios ad societatem refert*, subdens, tamen hoc esse intelligendum procedere ubi ex tacito, vel expresso partium consensu colligi potest rem fuisse emptam, et venditam pro solo oblectamentò.

Demum pro hujus primi puncti pleniori notitia, ac corollario sub silentio non omittendum censeo, quod licet hactenus dicta verissima sint, adest tamen pro ementibus cautela ad effectum effugiendi solutionem fructuum recompensativorum, et est, quod dum ad emendum

accedunt, faciant sibi concede-
re dilationem ad solvendum pre-
tium conventum, quoniam di-
14. latione pendente, certum est
fructus praedictos non deberi,
cum censeantur per venditorem
remissi, nisi ulterius in conven-
tionem deductum appareat, ut
15. dilatione pendente fructus re-
compensativi debeantur, ut pon-
derat *Mangil. de evict. quæst.* 148.
n. 28. *Rot. decis.* 13. *n.* 10.,
et seq. part. 5. *tom.* 1. *rec. Ur-
ceol. consult. for. cap.* 5. *n.* 107.
Andreol. contr. 74. ubi quod
data dilatione ad solvendum pre-
tium, fructus possunt a parti-
16. bus a principio taxari, dum-
modo taxata quantitas non ex-
cedat fructus, qui ex re ven-
dita percipiuntur *Rot. decis.* 131.
part. 15. *rec.* ubi quod conven-
tio praedicta est compatibilis
cum dilatione data ad solven-
dum, et quod probari potest
17. etiam ex libris, et conjectu-
ris, et quamvis ex instrumento
non appareat, et iis, quae di-
ximus de dilatione, ut ea pen-
dente non debeantur fructus
recompensativi, conferunt e-
tiam tradita per *Gratian. di-
scept. for. cap.* 726. *n.* 5. *Rot.
decis.* 471. *n.* 4. *part.* 1. *rec.* ubi
habetur, quod facta promissio-
ne per emptorem venditori de
18. solvendo pretio convento ad
omne ejus beneplacitum, et pe-
titionem fructus praedicti non
debentur, ex quo dicta verba
important dilationem.

His autem positis circa primum
difficultatis caput, modo tran-
situm faciendo ad secundum,
videlicet usque ad quam quan-
titatem fructus recompensativi
debeantur, respondeo, quod to-
tum hujus puncti momentum ex
eo pendet utrum fructus prae-
dicti fuerint a principio a par-
tibus taxati, vel non, quando-
quidem si in hoc secundo ca-
su versamur, videlicet ubi fru-
ctus a partibus non fuerunt ta-
xati, et tunc unanimiter faten-
tur D. D. quod est recurren-
dum ad judicem, qui dictos
fructus taxare debet habito re-
spectu ad illos, quos empto-
19. rem percepisse probabitur non
vero ad eos, quos percipere
poterat (secluso tamen semper
dolo ejusdem emptoris) ita ut
taxatio commensuretur ad fru-
ctus perceptos, ut edocet *Rot.
decis.* 196. *n.* 32. *part.* 12, *rec.*,
et decis. 2. *n.* 17. *part.* 15. *rec.*,
et quatenus a partibus nulla
detur probatio circa quantita-
tem fructuum ad manus empto-
ris perventorum, judex in ta-
li themate illos taxare debet
20. ad rationem quatuor pro cen-
tenario, ut rejecta opinione
antiquorum, qui in stabilibus
illos taxabant ad rationem quin-
que pro centenario docte dixit
Rota in Fanen. fructuum 8. *Maii.*
1679. *§. attamen Paulutio Ascu-
lana dotis* 6. *Martii* 1684. *§.
quo vero ad primum Romana
Cambiorum* 7. *Maii* 1688. *§. ne-
que secunda, Romana, seu Al-
banen. vinearum* 28. *Martii* 1689.
*§. fin. Emerix. Decano Bononien.
praedii lunae* 20. *Februarii* 1690.

Ursino, vel juxta morem, et
21. consuetudinem regionis ut fir-
mavit *Gratian. discept. for. cap.* 864. *n.* 18. *Magon. decis. Lucen.* 17. *n.* 36. si vero in hypothe-
si primi casus disputatio oria-
tur, nimirum quando fructus
fuerunt a principio a partibus
taxati, et tunc verior, et com-
munior sententia est, quod di-
22. cti fructus debeantur juxta
taxationem conventam etiam si
sit minor, vel aequivalens fru-
ctibus, ut animadvertit *Rot. divers. decis.* 71. *n.* 5. secus
vero si taxatio excedat fructus,
quia tunc in eo, in quo ex-
23. cedit non sustinetur, et exces-
sive solutum repeti potest, ut
sustinet *Andreol. contr.* 74. *n.* 4., *et per tot.* ubi tamen, quod
donec per emptorem probetur
fructus non fuisse collectos ad
24. summam taxatam standum
est taxationi *Rot. post Salgad. Labyr. Cred. decis.* 159. ubi
quod fructus, ut supra exces-
sive soluti, vel imputantur in
25. sortem, vel possunt repeti,
quod totidem verbis dixit *Rot. coram Ottobon. decis.* 2. *n.* 2., *et seq. addo Urceol. consult. for. cap.* 15. *n.* 49. ubi ultra prae-
dicta alia etiam circa hanc ma-
teriam ponit, et praecipue,
quod fructus recompensativi de-
bentur, et exigi possunt etiam
recepta sorte principali, sive
26. sint a partibus conventi, sive
non, quoniam utroque casu pe-
ti possunt jure actionis, et ea-
demmet actione, qua sors prin-
cipalis, quidquid dixerint ali-
qui, qui voluerunt fructus praedictos peti posse recepta sorte principali, solummodo quando fuerunt conventi, vel a statuto concessi sunt, putantes his dumtaxat casibus deberi jure actionis, quos refert, et merito reicit *Urceol. supra citat.*

ARGUMENTUM

Agitur hic de actione quanti minoris, de qua etiam aliqua dicta fuerunt in consult. XIV., nec non late tractatur materia actionis redhibitoriae pro animalibus morbosis, aliisque mobilibus defectuosis repertis emptori competentis.

SUMMARIUM

1. *Emptor inveniens rem emptam mobilem vitiosam potest agere contra venditorem actione redhibitoria, et quanti minoris.*
2. *Pro mobilibus animatis datur actio redhibitoria directa.*
3. *Si vero sunt inanimata datur actio redhibitoria utilis.*
4. *Actio redhibitoria, et quanti minoris alternative in eodem libello cumulari potest.*
5. *Quinimo si emptor solam actionem quanti minoris intentavit potest Judex si ei justum videbitur venditorem redhibitoria condemnare.*
6. *Contra venditorem procedi potest etiam si ignoraverit vitium in re repertum, et sive ignorantia justa, sive injusta sit.*
7. *Venditor dicens nolle teneri de*

occultis, sed vendere ex. gr. equum pro bulso, spallato, lunatico etc. non liberatur.

8. *Et hoc idem dicitur de aliis similibus protestationibus, veluti dum venditur res talis qualis est.*

9. *Secus vero dum venditor specifice manifestat vitium rei vel protestatur nolle teneri de tali vitio.*

10. *Redhibitoria habet locum etiam si ex. gr. animal quod redhiberi praetendebatur consumptum sit super stallatico, vel mortuum.*

11. *Rursus habet locum nedum pro re vitiosa, sed etiam pro omnibus aliis insimul emptis, quod tamen quomodo procedat declaratur.*

12. *Emptor, qui redhibitoriam intentat, recuperare etiam debet omnes expensas occasione contractus factas, etiam si alias ad eum spectassent.*

13. *Et datur exemplum expensae factae pro solvendis gabellis.*

14. *Hoc tamen non procedit in expensis voluptuariis, ut sunt expensae Proxenetarum.*

15. *Intentata redhibitoria per emptorem, non resolvuntur hypothecae per eum medio tempore contractae.*

16. *Primum requisitum ad effectum agendi contra venditorem supra adductis actionibus est, quod venditio, seu alius contractus onerosus praecesserit.*

17. *Secundum est, quod morbus sit gravis, et considerabilis.*

18. *Quando morbus est curatu difficilis dicitur gravis etiam si non esset continuus.*

19. *Tertium requisitum est, quod morbus adesset ante contractum, vel de tempore celebrati contractus, et de hoc emptor det concludentem probationem.*

20. *Venditor excipiens animal, ex. gr. venditum effectum esse morbosum ex culpa emptoris ob immoderatum laborem concludenter hoc probare debet, et praecise ostendere laborem fuisse talem, ut animal in illum morbum incidere deberet.*

21. *In dubio semper est judicandum, quod sit locus redhibitioni.*

22. *Quartum est requisitum, quod morbus de tempore contractus esset latens, vel saltem aequivocus, secus si esset omnino clarus, ac omnibus manifestus.*

23. *Signum tamen debet esse tale, ut per se omnino clare manifestet vitium.*

24. *Limita tamen, ut locus sit redhibitoriae etiam si morbus esset patens, quando inter partes conventum est de tali morbo, et qualitate.*

25. *Limita secundo quando emptor est minor, mulier, vel idiota.*

26. *Limita tertio in hypothesi, quod venditor haberet scientiam morbi praedicti, quod tamen an sit verum declaratur.*

27. *Tempus ad redhibendum est sex mensium, si redhibitoria intentatur propter morbum.*

28. *Si vero in vim pacti displicentiae terminus est sexaginta dierum.*

29. *In actione quanti minoris praetoria tempus ad eam intentandam est unius anni, civilis vero est perpetua.*

30. *Praedicta tempora incipiunt so-*

lum currere a die morbi reperti.
31. *Datur cautela venditori ad hoc, ut recipiendo animal ei ab emptore conductum, sibi non praejudicet.*

CONSULT. XVI.

Adductis supra in consultatione decimaquarta omnibus, et singulis remediis ementibus a jure concessis semper, quod rem emptam non liberam iuveniant, modo descendendo ad actiones emptoribus competentes quando res emptas mobiles reperiunt vitiosas, dico, quod pro plena hujus rei notitia plures firmandae sunt conclusiones. Et primo oportet sciro quod emptor, inveniens rem emptam mobilem vitiosam, si omnia infra notanda requisita concurrant, duas habet actiones, unam scilicet redhibitoriam vocatam, qua mediante potest ad libitum rem emptam restituere, et pretium solutum repetere; al-
1. teram vero quanti minoris, cujus vigore agere potest ad diminutionem pretii, et ad consecutionem illius, quod ipse minus dedisset si vitium, et defectum rei non ignorasset, ut aliis cumulatis docte docet *Cyriac. contr.* 54. *n.* 10. *et contr.* 55. *n.* 57., *et* 58. *Capon. contr. for.* 37. *n.* 5., *et seq.* Et licet me non lateat nonnullos in eam ivisse sententiam, quod praedicta sibi vindicent locum dumtaxat in servis mancipiis, et animalibus morbosis (maxime de redhibitoria loquendo) verior tamen sententia est, quod generaliter procedant in quibuscumque mobilibus, ea dumtaxat adhibita distinctione, quod
2. si illa sunt animata, datur actio redhibitoria directa, ut de his extat *Textus juncta glos. in l. tamen §. non solum ff. de aedilit. aedict. et dixit etiam Surd. decis.* 146. *Ciarlin. contr.* 113. *per tot.* Si vero sunt inanimata, tunc competit actio redhi-
3. bitoria utilis, ut docte firmavit *Capon. contr. for.* 37. *n.* 13. *Rot. post Zach. quaest. medic. legal. decis.* 20. *n.* 1. *Trentacinq. var. resol. lib.* 3. *tit. de empt. et vend. resolut.* 11. *n.* 1. *ibi*: habet etiam locum saltem utiliter in libris vitiosis, et aliis rebus vitiosis vitiis latentibus, ut possint redhiberi, vel agi quanti minoris, et hoc etiam exemplificat in mercatore vendente pannos sericos apparenter bonos, qui tenetur pretium restituere, et pannos recipere.

Dico secundo quod emptor, inveniens rem emptam vitiosam, adeo habet facultatem a jure agendi actione redhibitoria, vel
4. quanti minoris, quod etiam libentissime consentiunt D. D. utramque in eodem libello alternative cumulari posse, quinimmo si emptor solam actionem quanti minoris intentasset, quod nihilominus Judex, si ei
5. justum videbitur, possit venditorem redhibitoria condemnare, cum actio quanti minoris pos-

sit in se continere redhibitoriam, dixit *Capon. de contr.* 37. *n.* 5., *et seq. Bonacos. de aequis quaest.* 294.

Dico tertio quod, ad effectum actiones supra adductas intentandi, non officit in aliquo emptori, quod venditor ignoraverit vitium in re empta repertum, quoties enim emptor remanet deceptus, non interest ad d. effectum an hoc processerit ex i-
6. gnorantia, vel calliditate venditoris, ut in puncto dixit *Surd. decis.* 146. *n.* 5. ubi ait hoc verum esse sive venditoris ignorantia justa sit, sive injusta, et cum eo pertranseunt *Borgnin. Cavalc. decis.* 53. *n.* 12. *Ciarlin. contr.* 113. *n.* 6. *et conferunt tradita in consult.* 14. *n.* 12. Scientia enim venditoris ad alios effectus est considerabilis, nimirum quantum ad hoc, ut venditor teneatur etiam ad interesse extrinsecum, et quod teneatur specifice manifestare emptori omnia vitia, et qualitates rei, ex nota juris conclusione, quod venditor sciens vere, aut praesumptive, qua-
7. litates, et vitia rei, debet eas clare, et nominatim manifestare, non vero sub involucro verborum, veluti quia dixerit nolle teneri de occultis, sed vendere ex. gr. equum pro bulso, spallato, lunatico, vel ut dicitur, per un sacco d' ossa, *Ciarlin. contr.* 89. *n.* 15. *et* 113. *n.* 6. *Capon. contr.* 37. *n.* 16. ubi
8. quod hoc procedit etiam si res vendatur talis, qualis est, quod vero venditor, qui specifice manifestavit vitia rei emptori, vel protestatus fuit nolle teneri de
9. tali vitio remaneat liberatus etiam si scivisset dictum vitium adesse pulchre dixit praestantissimus vir *Alex. Imolensis cons.* 14. *n.* 5. *vol.* 5., *et Surd. allegata decis.* 146. *n.* 9.

Dico quarto, quod superius firmata de actione redhibitoria adeo sibi vendicant locum, ut recte procedant, etiam si animal super quo redhibitoria cadere debet non existeret, ut quia positum esset super stallatico cum
10. solitis protestationibus, et ibi consumptum esset ab expensis cibariorum, vel quia mortuum esset, in his enim casibus cum nulla culpa attribui possit emptori, ideo locus esse debet redhibitioni per *Text. in l. aediles. §. primo*, *et l. si hominem ff. de aedilit. aedict. Capon. contr. for.* 37. *n.* 4., et insuper locum habent tum pro re empta reperta morbosa, tum etiam pro omnibus aliis insimul emptis etiam si pretium appareret dis-
11. tributum in singula capita rerum venditarum, dummodo non nisi omnia corpora quis empturus vel venditurus fuisset, et separatio commode, et sine magno incommodo fieri non possit Judicis arbitrio, ut optime dixit *Gratian. discept. for. cap.* 947. *n.* 26. *quem sequitur Mangil. de evict. quaest.* 25. *n.* 39. 40., *et* 41. *Ciarlin. contr.* 89. *n.* 19. *lib. prim. Rot. post Zach. quaest. medic. legal. decis.* 20.

n. 6. nec non etiam pro omnibus expensis necessariis occasione contractus emptionis, et
12. venditionis factis, quas emptor recuperare debet, etiam si alias ad eum spectassent, ut late docet *Cyriac. contr.* 63. *n.* 7. ubi multa ad propositum *Capon. contr.* 37. *n.* 10., *et seq.* ubi hoc exemplificat in
13. gabellis, et aliis expensis necessariis, quas emptor recuperat, etiam si venditor ignorasset morbum, subdens tamen hoc non procedere quoad expensas Proxenetarum tanquam voluptuarias, et pro majori com-
14. moditate contrahentium factas, et pro hac sententia alios dat concordantes, cum quibus ego quoque libentissime pertranseo, quidquid circa hoc dixerit Cyriac. loco supra citato.

Dico quinto, quod emptor inveniens rem emptam vitiosam, si eligat agere actione redhibitoria, et ea intentata a Judice exaudiatur, hypothecae, ac obligationes medio tempore per
15. ipsum contractae non resolvuntur, redhibitio enim cum sit actus voluntarius, ideo non debet praejudicare creditoribus, ut docte firmavit *Cyriac. contr. for.* 55. *n.* 62. *Merl. de pignor. lib.* 5. *tit.* 1. *quaest.* 20.

Denique pro complemento hujus consultationis accedendo ad requisita, quae pluries diximus necessaria esse ad effectum agendi contra venditorem supradictis actionibus, lectorem circa hoc monitum volo, quod hujusmodi requisita plura esse debent.

Et primum, quod hic adducitur
16. in eo consistit, quod venditio, seu alius contractus onerosus praecesserit ut ſponderat *Surd. decis.* 146. *n.* 4., *et ibi Hodier. n.* 9. *ubi alii concordantes habentur.* Secundum requisitum est, quod morbus, propter quem agitur sit gravis,
17. et considerabilis, levissima enim quaedam vitia, ac modici defectus apud Juris Consultos non habentur in consideratione ex regula, quod de modicis non est curandum, ut in terminis dixit. *Ciarlin. lib. primo cap.* 89. *n.* 2. *Zach. quaest. medic. legal. lib.* 2. *tit.* 3. *quaest.* 4. *n.* 21. 23., *et* 24. ubi etiam ait, quod morbus dicitur gra-
18. vis, qui est curatu difficilis, sive postea sit continuus, sive intermittens, *et quaest.* 1. *per tot., et signanter n.* 14. Tertium est requisitum, quod pro par-
19. te emptoris probetur, quod morbus adesset ante contractum, vel de tempore celebrati contractus, ea ratione, quia defectus, seu morbi supervenire possunt etiam post venditionem, et de istis venditor non tenetur *ut in seq. consult. clare probatur, et docet Ciarlin. d. contr.* 89. *n.* 7. *Rota in rec. decis.* 456. *n.* 7., *et* 8. *part.* 14., et licet hac probatione facta quandoque venditores opponant morbum ex post supervenisse, et ob culpam emptoris ob immoderatum laborem,

hujusmodi tamen exceptiones nihil ad eorum intentionem conferre possunt, nisi de eis detur concludens probatio, et
20. quoad laborem doceatur eum fuisse talem, ut necessario animal in illum morbum incidere deberet *Rot. Bonon. coram Gyps. decis.* 22. *n.* 8., *et* 9.
21. maxime, quod in dubio semper est judicandum, quod sit locus redhibitioni *Rot. supra n.* 14. *Bonacos. de aequis quaest.* 17. Quartum requisitum in eo consistit, quod morbus, propter quem emptor agere intendit esset latens, vel saltem aequivocus de tempore celebrati contractus, alias si fuisset omnino
22 clarus, evidens, ac omnibus manifestus, cessaret redhibitoria, quia emptor deberet sibi imputare si non obstante defectu, ac vitio, quod patens omnibus erat, ad emendum accessit *Ciarlin. contr.* 113. *n.* 89. *Surd. decis.* 146. *n.* 19. 20., *et*
23. 21. ubi quod signum debet esse tale, ut per se omnino clare manifestet vitium. Quae tamen limitantur tripliciter, et primo quando expresse inter partes esset conventum de tali qualitate, et morbo, quoniam
24. tunc etiam si morbus esset omnino clarus, et evidens, ita quod scientia infallibilis de illo in emptore praesumeretur, adhuc tamen locus esset redhibitoriae, ut ponderat *Cyriac. contr.* 55. *n.* 61. *Antonell. de temp. legal. lib.* 3. *cap.* 20. *n.* 6.
25. Secundo quando emptor esset minor, mulier, vel idiota, ut animadvertit *Borgnin. Cavalc. decis.* 53. *n.* 12. *in fine*, *ubi utitur auctoritate Bonacos. de aequis quaest.* 85. Tertio ad sensum nonnullorum limitantur in hypothesi, quod venditor scientiam haberet vitii in re vendita reperti, emptor autem illud ignoraverit; in hujusmodi enim casu quia dolus venditoris in non patefaciendo qualitates rei, quas emptor non vidit licet patentes essent,
26. praeponderat culpae ejusdem emptoris, ideo locus esse debet redhibitoriae, ut dixit *Ciarlin. alleg. contr.* 113. *n.* 12. quod tamen, ut verum fatear, mihi non probatur, quoniam non est vera propositio, quod venditor in hoc casu dicatur in dolo, ex quo tacuerit qualitates, et onera rei nisi fortasse res vendita sit, ut dicitur, da galantuomo, cum taciturnitas procedere possit ex eo, quod ipse crediderit emptorem vidisse, quae omnibus patebant, ut ponderat *Surd. dec.* 146. *n.* 10. *in fin.* Quintum denique requisitum est, quod instantia fiat infra tempus a jure praefixum, quod in redhibitoria
27. est sex mensium, si ea intentatur propter morbum repertum per *Text. in l. cum proponas C. de aedilit. aedict. Capon. contr.* 37. *n.* 15., *et* 18. *Ciarlin. cont.* 113. *n.* 5. Si vero non propter morbum, sed
28. in vim pacti displicentiae, terminus est sexaginta dierum

ad sensum *Menoch. de arbitr. lib.* 1. *quaest.* 22. *n.* 12. *et dicetur etiam in seq. consult.* In actione vero quanti minoris praetoria, tempus ad eam inten-
29. tandam est unius anni, et dixi in actione quanti minoris praetoria, quoniam civilis est perpetua, ut consulere est *Cyriac. contr.* 54. *n.* 20., *et seq. Antonell. de tempor. legal. lib.* 2. *cap.* 31. *n.* 5., *et seq.* ubi e-
30. tiam, quod hujusmodi tempora incipiunt tantum currere a die morbi reperti, ut dixit etiam *Mascard. de probat. concl.* 615. *in fine, et Rota post Zach. quaest. medic. legal. decis.* 20. *n.* 9. *omnino vidend.*

Post haec scripta vidi *Caballin. de evict. tit. de aedil. act. libell. cap.* 2. *n.* 55. ubi dat pro venditore cautelam, et est, quod si ei conducatur animal ab em-
31. ptore ad effectum illud restituendi, venditor pro cautius agendo, et ad evitandas disputationes animal recipere non debet, sed illud reconducere ad emptorem, et quatenus iste animal recipere recuset, poterit in tali casu ligari ad ejus januam, vel ad judicem duci, vel etiam recipi cum protestatione, ne pereat, et non ex alia causa, alias enim illud recipiendo videretur sibi praejudicare.

ARGUMENTUM.

Sequitur materia praecedentis consultationis multa adducendo circa probationem vitiorum ad effectum redhibendi, et resolvitur etiam an redhibitoria locum habeat nedum pro vitiis corporis, sed etiam pro vitiis animi tantum.

SUMMARIUM.

1. *Redhibitoriae non est locus, nisi per emptorem probetur rem emptam fuisse vitiosam de tempore contractus, vel paullo ante.*
2. *Post perfectam venditionem, damnum, et periculum rei venditae, sicut et etiam commodum spectat ad emptorem.*
3. *Sufficeret tamen, quod vitium probaretur incontinenti, vel paullo post venditionem.*
4. *Dummodo ageretur de vitio, quod brevi tempore non generatur, secus si esset de illis, quae momento temporis possunt supervenire.*
5. *Vitium autem in proposito dicitur incontinenti probatum, quando de eo constat intra triduum post venditionem.*
6. *Vitia debent esse gravia, ut sit locus redhibitoriae.*
7. *Pro vitiis animi tantum non datur redhibitoria.*
8. *Vitium recalcitrandi est animi tantum.*
9. *Pro vitiis animi tantum locus est redhibitoriae quando sunt intolerabilia, vel venditor illa sciebat.*
10. *Secundo: quando in contractu est appositum pactum displicentiae, propter quod res potest restitui intra sexaginta dies, nisi*

aliud tempus conventum sit, eo ipso quod non placet.

11. *Tertio: quando expresse, et specifice promissum est tale vitium abesse.*

12. *Et ultimo quando animal ex vitio animi in morbum frequenter labitur.*

CONSULT. XVII.

Seu votum decisivum in causa Caesenaten. redhibitionis 5. septembris 1698.

In causa coram me vertente inter nobilem dominum Hippolytum de Verzaliis actorem ex una, et Silvestrum de Rubolis reum conventum partibus ex altera, censui locum non esse redhibitioni vaccarum per dictum D. de Verzaliis intentatae duplici superinnixus fundamento; primo scilicet, quia vitium recalcitrandi, et cornupetendi, propter quod informantes pro domino Verzalia redhibendas esse putabant, non fuit probatum, prout jura ad effectum praedictum desiderant; secundo quia non visum fuit tale, ut ex se locum dare posset redhibitioni.

Etenim quantum attinet ad primum resolutionis fundamentum, res redditur plana ex revolutione processus testium super praedicto vitio, seu vitiis pro parte D. Verzaliae examinatorum, qui cum ingenue fateantur nescire vaccas fuisse defectuosas ante contractum, nec de tempore celebrati contractus, merito dici potest D. Verzaliam defecisse in salutari suo, si vera, prout verissima est propositio, quod redhibitoriae non est locus nisi per emptorem probetur rem
1. emptam fuisse vitiosam de tempore contractus, vel paullo ante, ut patet *ex l. si quod priorem* 3. *C. de aedil. aedict. Rot. rec. decis.* 456. *n.* 7., *et* 8. *part.* 14., *et novissime dixit D. Bertachin. in suo voto decisivo infra registrando n.* 1. *ubi alios dat concordantes*, qui omnes ea evidenti ratione moventur, quia vitia supervenire possunt etiam post venditionem, et de istis venditor non tenetur ex regula quod, post perfectam ven-
2. ditionem, damnum, et periculum rei venditae, sicut et etiam commodum spectat ad emptorem *l. necessario l. id quod ff. de commod., et peric. rei vend.*

In nihilum penitus refragante quod, ad faciendum locum redhibitoriae actioni, satis etiam sit probare vitium incontinenti, vel paullo post venditionem,
3. cum tunc ob brevitatem temporis praesumatur quoque extitisse de tempore venditionis, ut ponderat *Mascard. de probat. concl.* 92. *vol.* 1. Nam placuit responsio declarationem procedere tantummodo quando vitium est de illis, quae brevi tempore non generantur, utpote si post triduum animal emptum moriatur, et cor, vel jecur, vel aliud membrum marcidum inveniatur, tunc enim

ob brevitatem temporis prae-
sumitur morbum extitisse de
4. tempore contractus, secus ve-
ro quando vitium est de illis,
quae momento temporis pos-
sunt supervenire, prout de vi-
tio recalcitrandi, et cornupe-
tendi experientia edocet, et
hanc distinctionem subtilissime
examinando approbat *Ciarlin.*
contr. for. lib. primo cap. 89.
n. 8., *et* 9. *quem sequitur etiam*
D. Bertachin. in voto infra re-
gistran.; ubi etiam auctoritate
Ciarlin. Antonel. de temp. legal.
aliorumque, ait quod in pro-
posito breve tempus dicitur
5. duorum, vel trium dierum,
quod mirabiliter confert quo-
que ad casum nostrum, in quo
praedicta vitia non fuerunt pro-
bata, nisi post octo dies a die
venditionis.

Quo vero ad secundum resolutio-
nis fundamentum exuberasset
equidem pro illius comproba-
tione reflectere non ex omni-
bus vitiis fieri locum redhibi-
6. toriae actioni, sed dumtaxat
ex gravibus, levissima enim
quaedam vitia, ac leviusculi
morbi penes juris consultos in
consideratione non habentur,
nam nimium esset incommo-
dum si quodlibet vitium fran-
geret contractum, ut habetur
in l. prima §. sed sciendum, *et*
l. Pomponius ff. de aedilit. ae-
dict. Verum punctum accura-
tius examinando, praemissa di-
stinctione quod vitia alia sunt
animi tantum, alia corporis
tantum, et alia animi, et cor-
poris, quodque pro vitiis ani-
7. mi tantum non datur redhibi-
toria, ut docte ponderat *Zach.*
quaest. medic. legal. lib. 2. *tit.*
3. *quaest.* 1. *n.* 11. *ad* 13. ubi
de praedictis omnibus vitiis po-
nit exempla *Surd. decis.* 146.
n. 11. ponderatum fuit nos es-
se in casu primi membri di-
8. stinctionis, nimirum in vitiis
animi tantum, prout de vitio
recalcitrandi dixit supra cita-
tus *Zach. n.* 12. in illis verbis:
idcirco neque avarus, neque
timidus, neque iracundus, ne-
que malencolicus, neque si
calcitro equus sit, aut pavidus
redhiberi possunt, eo quod
haec sunt vitia animi, non ve-
ro corporis.

Nequaquam relevante quod con-
trariam sententiam in terminis
praecisis vitii recalcitrandi se-
quutus fuerit *Mascard. de pro-*
bat. concl. 615. *n.* 2. *vol.* 2.
quoniam, ut patet ex lectura,
ejus opinio non applicatur in
casu nostro ob duplicem ratio-
nem, primo scilicet, quia in
ejus hypothesi agebatur de vi-
tio recalcitrandi intolerabili,
quo posito, verisimilius videtur
quod redhibitoria locum sibi
vendicare debeat, cum tunc
9. vitium animi eumdem pariat
effectum, ac quodlibet vitium
corporis: secundo non applica-
tur, quia ibi supponitur quod
venditor scientiam haberet vi-
tii animalis venditi, ob quam
scientiam venditorem teneri e-
tiam si agatur de vitio animi
tantum, nos quoque fatemur,

et dixit *Surd. decis.* 146. *n.* 11. *ubi etiam sub n. seq.* multas adducit conjecturas, ex quibus hujusmodi scientia arguitur.

Cauti igitur esse debent emptores in his contractibus celebrandis, et si cupiunt venditorem teneri etiam de vitiis animi tantum, vel apponant in
10. contractu pactum displicentiae, vigore cujus potest emptor rem restituere intra terminum sexaginta dierum, nisi aliud tempus inter partes appareat conventum, eo ipso, quod non placet etiam si nullo vitio esset affecta ut docet *Ciarlin. contr. for. cap.* 113. *n.* 8. *cum ibi congest.;* vel faciant
11. sibi expresse, et specifice promittere talia vitia abesse *ad Text. in l. ob quae vitia §. et videmur, vers. animi autem vitium juncta glos. ff. de aedilit. aedict.* vel probent vitium esse intolerabile, adeo ut reddat animal notabiliter minus utile ad usum, ad quem emitur, vel venditorem de eo scientiam habuisse, ut supra docuimus, vel demum ostendant, quod a-
12. nimal ex illo vitio in morbum frequenter labatur, quia tunc intrat redhibitoria non praecise propter vitium, sed ob effectum ex vitio subsequentem, ut animadvertit *Zach. quaest. medic. legal. lib.* 2. *tit.* 3. *quaest.* 3. *n.* 20. ubi ponit exemplum de homine, qui propter irae vehementiam in febrim, aut alium morbum frequenter incurrat.

ARGUMENTUM.

Sequitur materia praecedentis consultationis.

SUMMARIUM.

1. *Ut sit locus redhibitoriae emptor debet concludenter probare, quod morbus adesset de tempore contractus.*
2. *Testis singularis pro dicto effectu non sufficit, maxime quando inter testem, et eum, contra quem deponit, adest aliqua amaritudo.*
3. *Testis deponens de certa die per verba, ni fallor, non concludit.*
4. *In materia difficilis probationis standum est etiam testibus singularibus, et non omni exceptione majoribus, prout talis videtur quando agitur de probando vitio, ob quod redhibitoria intentatur.*
5. *Sed quod materia praedicta non dicatur difficilis probationis deciditur hic.*
6. *Quando animal intra breve tempus post contractum apparet morbosum, praesumitur quod etiam tale esset de tempore contractus.*
7. *Breve tempus ad effectum praedictum dicitur duorum, vel trium dierum.*
8. *Ubi tamen morbus est talis, ut incontinenti supervenire potest, morbus praecise est probandus de tempore contractus.*
9. *In materia morborum judicio Periti deferendum est.*
10. *Testes plures ad perpetuam rei memoriam examinati, licet non sint formiter repetiti, faciunt ve-*

hemens adminiculum ratione numeri si sumus in personis nobilis qualitatis.

11. *Declaratur Statutum Bononiae disponens, quod morbus existens in animali vendito non elapso mense post contractum, praesumatur adfuisse etiam de tempore venditionis.*

CONSULTATIO XVIII.

Seu Votum D. Josephi Bertachini Auditor. General. Bononiae in praeceden. consult. allegat.

Die 16. Maii currentis anni 1697. Illustrissima D. Camilla Moranda de Ghirardellis emit, mediante ejus auriga, duos equos pro usu sui currus ab Illustrissimo D. Joanne Gabrielle de Guidottis pretio librarum 450. Post aliquos dies ab hoc contractu elapsos repertum fuit per emptricem unum ex dictis equis claudicare, unde ipsa postquam acriter redarguisset aurigam ob non adhibitas debitas diligentias in emptione equorum coram me intentavit die 5. Junii actionem redhibitoriam supponendo defectum equi fuisse antiquum, vel saltem de tempore venditionis, et ideo praetendebat posse resilire a contractu.

Pro recognoscenda qualitate morbi istius equi fuerunt successive electi duo Periti, qui cum fuerint discordes, deventum fuit ad electionem tertii, qui retulit dictum equum non laborare aliquo morbo antiquo, sed tantum recenti vulnere, quod brevi temporis spatio sanari poterat, unde ego censui non esse locum resolutioni contractus.

De jure autem comuni non est locus redhibitoriae, nisi con-
1. cludenter probaretur per emptricem, quod morbus adesset de tempore contractus, cum certum sit venditorem non teneri de vitio, seu morbo supervento post venditionem *l. si quod Priorem* 3. *C. de aedil. aedict. Petr. Gregor. Tholosan. Synlagm. jur. part.* 3. *lib.* 25. *cap.* 21. *num.* 15. *Cabal. de aedil. action. cap.* 2. *de redhib. numer.* 5. *Adden. ad decis.* 22. *Gyps. vers. proposita decisio. Ciarlin. contr.* 89. *n.* 7. *Card. de Luca de empt. disc.* 8. *num.* 6. *Rot. coram Millino decis.* 180. *num.* 8.

Ad probandum autem, quod de tempore venditionis equus morbo laboraret plures testes fuerunt formiter examinati, quorum primus deposuit vidisse equum claudicare ante vendi-
2. tionem, et iste in suo dicto est singularis, et propterea nihil probat, praesertim quia paullo ante examen fuerit dimissus cum aliqua amaritudine per dictum Dominum Gabriellem a suo famulatu, et ideo stante hac mala affectione eidem testi deponenti contra eumdem Dominum Gabriellem, nulla fides est adhibenda *Rot. decis.* 131. *numero primo parte* 13 *recent.* Secundus testis est auri-

ga, qui emit supradictos equos pro sua domina, cujus dictum non percutit tempus venditionis, quae fuit facta die Jovis 16. Maii, sed deponit dubitative de die Dominica subsequenti ibi: *Se non fallo la Domenica seguente*, et propterea
3. nec minus concludit de die Dominica, uti de teste deponenti per verba ni fallor respondit *Rot. decis.* 9. *num.* 7. *part.* 2. *divers.* tum quia iste testis est ille, qui emit equos, et deponit ad sui exonerationem, et ideo apparet ex tot multiplicatis exceptionibus, nullam fidem eidem esse praestandam.

Nec relevat, quod in materia difficilis probationis sit standum etiam depositionibus testium singularium, et quamvis non sint
4. omni exceptione majores, uti relictis generalibus in puncto similis venditionis animalium adest votum decisivum Calderoni *impres. post cons. Ramon. tom.* 4. *decis.* 94. Quoniam non videtur admittendum, quod materia, de qua agitur, sit difficilis probationis, dum contractus non fuerit factus in sylvis, sed in populosa civitate,
5. pluribus praesentibus, tempore diurno, praesertim quia tractatur de equo multis noto, uti in fortioribus terminis faciunt tradita per *Rot. in Toletana haereditatis* 16. *Maii* 1687. *coram R. P. D. Ursino §. quo vero, in Viterbien. Dotis* 5. *Julii* 1688. *coram R. P. D. Caprara §. quia visum fuit in Melevitana depraedationis prima Julii* 1693. *coram R. P. D. Molines §. minus obstat*, Sed dato etiam, quod supradictus auriga mereretur fidem, attamen ejus depositio non percutit tempus contractus, nec determinate tempus subsequens dum dubitative ipse testis deposuit de die Dominica ibi: *se non fallo*.

Caeteri autem testes deponunt, vel post decem dies, vel post mensem elapsum a die factae venditionis, et ideo omnes simul juncti non probant, quod equus morbo laboraret tempore contractus, sicut esset necessarium juxta Doctores supra allegatos, ut emptrix posset a contractu resilire.

Minus obstat, quod animal praesumatur morbosum, etiam de tempore contractus, si post celebrationem istius intra breve
6. temporis spatium appareat idem animal aliquo morbo laborare *Abbat. in cap. injustum numer.* 5. *de rerum. permutat. Bald. in leg. prima num.* 20. *C. de aedil. action. Ciarlin. controv.* 89. *n.* 8., *et* 9. *Antonel. de temp. legal. cap.* 20. *numer.* 13. *lib.* 3. *Rot. Bonon. apud. Gyps. decis.* 22. *num.* 4.

Quia de jure in terminis, de quibus agitur tempus breve di-
7. citur duorum, vel trium dierum, uti bene explicatur per *Bald. in dicta leg. prima sub num.* 20. *Antonel. de temp. legal. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 13., et ideo cum omnes testes deponant extra tempus trium

dierum a die factae venditionis cessat omnis difficultas, nec potest esse locus redhibitoriae.

Ultra quod versamur in casu vulneris, quod incontinenti effici poterat, et non morbi, qui paullatim producatur, unde in ista hypothesi non est arguendum de praesenti ad praeteritum, etiam si inter utrumque brevissimum temporis spatium intercederet, sed debet probari, quod vulnus adesset praecise de tempore contractus *Bal. in leg. prima, sub nu.* 20. *C. de aedil. action. Ciarlin. controv.* 89. *a num.* 7. *usque ad* 10. *Antonel. de temp. legal. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 16.

Quod autem morbus equi, de quo agitur consistat in solo vulnere facto vulgo *con un forcone*, dubitari nequit, cum hoc
9. asseratur a Perito, cujus judicio in hac materia morborum animalium praecipue deferendum esse tradunt *Rot. Bonon. apud Gyps. decis.* 22. *num.* 2. *Surd. decis.* 146. *num.* 21. cum aliis in *decis.* 94. *num.* 21. *post tom.* 4. *cons. Ramon.*

Accedente praesertim examine sex testium ad perpetuam rei memoriam deponentium equum nullo morbo laborare de tempore immediate ante contractum, qui licet non fuerint formiter repetiti, tamen ratio-
10. ne numeri, et nobilis qualitatis personarum concedendum est, quod saltem, in hac dubietate faciant vehemens adminiculum *Rot. decis.* 198. *nu.* 8. *part.* 14. *recent.*

Et demum non obstat Statutum Bononiae *lib.* 4. *de Proxen.* disponens, quod morbus existens in animali vendito non elapso mense post contractum praesumatur adfuisse etiam de tem-
11. pore venditionis, quia Statutum loquitur de morbis diversis ab isto, de quo agitur, et uti correctorium non est extendendum ad casus non expressos *Rot. decis.* 20. *numer.* 8. *part* 14., et in puncto hujus Rubricae Statuti Bononiae firmatur per *Monterentium in ejus glos. versicul. limitata referas;* qui concludit casus non expressos in dicta Rubrica remanere sub dispositione juris comunis.

Et ita, etc.

ARGUMENTUM.

Breviter hic examinatur materia emptionis pro persona nominanda, et clare omnia, quae in disputationem frequentius veniunt resolvuntur.

SUMMARIUM.

1. *Contractus emptionis pro persona nominanda est de jure permissus.*
2. *Dominium rei emptae pro persona nominanda ante factam nominationem totum dicitur emptori irrevocabiliter quaesitum.*
3. *Et hoc procedit etiam si emptio sit facta de pecunia aliena.*
4. *Emptio pro persona nominanda dicitur conditionalis.*

5. *In conditionibus voluntariis non admittitur retrotractio in praejudicium tertii, cui fuit medio tempore jus quaesitum.*
6. *In emptione pro persona nominanda sequuta nominatione, dominium, et possessio rei illico transit in nominatum resoluto jure nominantis.*
7. *Et unica tantum debetur gabella.*
8. *Facta per emptorem nominatione retrotrahitur ad tempus celebrati contractus.*
9. *Et jus nominantis ita resolvitur, ac si possessio, et dominium penes ipsum nunquam extitisset.*
10. *Et ideo nullum jus dicitur quaesitum creditoribus.*
11. *Emptor dum nominat tenetur restituere omnes fructus perceptos.*
12. *Nominans non potest aliud onus nominato imponere praeter contenta in Instrumento venditionis nisi de consensu nominati.*
13. *Nominans non tenetur de evictione, quia ipse habetur pro simplici mediatore, et nominatus assumit vires primi emptoris.*
14. *Conditio pro persona nominanda non est voluntaria, sed necessaria.*
15. *Et ideo emptor cogi potest ad nominationem faciendam.*
16. *Et contraria procedunt quando constat ementem habuisse animum sibimet acquirendi.*
17. *Nominatio debet fieri intra terminum unius anni.*
18. *Alias emptor videtur sibi acquirere, ac si a principio pro se solo contraxisset.*
19. *Nominatio fieri debet ab emptore, et si fiat ab haerede dicitur novus contractus.*
20. *Nominatus ratam habere debet nominationem, vel expresse, vel tacite vivo emptore, alias si hoc fieret post mortem emptoris non acquireretur possessio ex stipulatione emptoris, sed ex novo contractu.*
21. *Non est tamen necessarium ut nominans nominationem notificet venditori.*

CONSULT. XIX.

Quamvis vera, et ab omnibus accepta sit propositio, quod contractus emptionis pro per-
1. sona nominanda est de jure permissus, ut docet *Decius cons.* 543. *n.* 2. *ad fin. Ceph. cons.* 325. *n.* 13. *lib.* 3. tamen in dubium revocari potest, an emptor ante factam nominationem, rem emptam possit alteri vendere, vel hypothecare, an vero illa ita acquiratur personae nominandae, ut sequuta nominatione, nominatus illam liberam habere debeat ab omni hypotheca, et onere medio tempore imposito.

Et quantum attinet ad hanc inspectionem, ut veritatem ingenue fatear, prima facie mihi respondendum videbatur pro validitate obligationum, et contractuum super re empta gestorum ante sequutam nominationem etiam ad praeiudicium personae deinde nominatae, iis praecipue ductus rationibus, quod dominium rei emptae pro
2. persona nominanda ante factam nominationem, totum de jure

dicitur emptori irrevocabiliter quaesitum, ut ponderat *Marta vot.* 127. *n.* 1. *ad* 3. ubi hoc etiam dicit procedere in hypothesi, quod emptio esset facta
3. de pecunia aliena, et personarum nominandarum, quia pecunia non facit quin emptor sibi quaerat dominium, et *Vot.* 132. *n.* 1. 2., *et per tot.* quodque emptio pro persona nomi-
4. nanda dicitur conditionalis, videlicet si emptor nominaverit, prout indicat illud gerundium nominanda *Riminald. Jun. cons.* 163. *n.* 1. *lib.* 2. *Cenc. de cens. quaest* 67. *n.* 11. et in conditionibus voluntariis, qualis est ista, non admittitur retrotra-
5. ctio in praejudicium tertii, cui medio tempore fuit quaesitum jus, si postea purificentur *Mangil. de evict. quaest.* 36. *n.* 7., *et seq.*

Verum articulo accuratius inspecto, supradictis non obstantibus contrariam amplexus fui, et censeo amplectendam sententiam, quoniam verior, ac magis recepta est propositio, quod in emptione pro persona nomi-
6. nanda, sequuta nominatione, dominium, et possessio rei illico transferantur in nominatum, resoluto penitus jure, quod acquisiverat nominans; ita ut nec momento quidem temporis dici possit dominium permansisse penes emptorem, ut docet *Surd. decis.* 182. *circa finem*, ubi quod propterea uni-
7. ca debetur gabella, quem sequitur *Add. ad Gratian. decis.* 135. *n.* 1. subdens, quod nominatio fit pro executione primi contractus *Cephal. cons.* 325. *n.* 15. *vol.* 3. ubi quod facta
8. per emptorem nominatione retrotrahitur ad tempus celebrati contractus *Gratian. discept. for. cap.* 547. *n.* 32. *Rot. decis.* 80. *n.* 25. *part.* 10. *rec.*, *et decis.* 494. *n.* 3. *part.* 13. ubi quod facta nominatione jus
9. nominantis resolvitur, ac si possessio, et dominum penes ipsum nunquam extitisset *Egregius Vir D. Palma nepos part.* 3. *alleg.* 279. *n.* 2. ubi quod
10. emptio facta pro persona nominanda nullum jus tribuit creditoribus *Capon. discept.* 76. *n.* 30. *lib.* 2. ubi quod talis emptor dum nominat, deinde tenetur restituere omnes fructus
11. perceptos, quia facta nominatione acquiritur dominium nominato tanquam domino a principio emptionis, et cum hac sententia pertransit etiam *Salgad. Labyr. Cred. part.* 2. *cap.* 13. *n.* 40. quibus omnibus accedunt etiam tradita per *Rot. decis.* 163. *n.* 18. *part.* 19. *rec.*, *et decis.* 556. *n.* 3., *et* 9. *part.* 18. *tom.* 2. ubi quod nominans non potest aliud onus, vel obligationem nominato impone-
12. re praeter contenta in Instrumento venditionis, nisi ipse nominatus consentiat, quoniam nominatione sequuta, nominatus assumit vires primi emptoris aeque, ac si pro eo expresse a principio fuisset emptum, et nominans habetur pro simpli-

13. ci mediatore, subdens etiam ex his rationibus nominantem non teneri de evictione.

Nihil faciente motivo, quod emptio, et venditio pro persona nominanda sit conditionalis voluntaria, videlicet si emptor nominaverit, quodque in conditionibus voluntariis non detur retrotractio in praeiudicium tertii, cui fuit medio tempore jus quaesitum, si postea purificentur; quoniam respondetur conditionem praedictam in hoc nostro themate non esse voluntariam, sed necessariam, ex quo
14. supponimus a principio celebratum fuisse contractum cum onere nominandi personam, ut docte ponderat *Gregor. decis.* 227 quod ut clarius liqueat con-
15. fert etiam advertere in proposito casu emptorem posse compelli ad nominationem faciendam, quod non esset a jure permissum, si conditio esset voluntaria, ut clamat *Cenc. de cens. quaest.* 67. *n.* 11. *ad* 16. *ubi concordan.*

Tandemque nullum obicem praestare possunt auctoritates ex adverso congestae, nam tunc demum procedere possent ubi ex verbis instrumenti appareret
16. ementem habuisse animum sibi metipsi acquirendi, et non personae nominandae, ut animadvertit *Mantic. de tacit.*, *et Ambig. convent. lib.* 4. *tit.* 22. *n.* 10. Solum enim in proposito illud considerandum existimo, scilicet an omnia requisita concurrant, quae ad sensum de hac materia scribentium sunt necessaria ad effectum, ut nominatione sequuta, nominatio dicatur idem contractus cum primo, sicque fieri possit retrotractio in praejudicium tertii, et unica debeatur gabella: quorum primum est, quod nominatio fiat legitimo tempore,
17. et hoc secundum veriorem sententiam est unius anni, ut habetur apud *Add. ad Gratian. dec. March.* 135. *n.* 5. *Rot. decis.* 380. *n.* 3. *part.* 17. *rec. Surd. decis.* 226. *n.* 5. 9., *et seq.*, *et dec.* 325. *n.* 1., *et seq.* ubi tamen *ex Dec. cons.* 543. *aliisque;* hoc intelligendum esse concludit, nisi ex conjectur: et praesumpt. appareat quaenam esset persona nominanda, et pro ea re vera ementem acquisivisse, quia tunc nominatio post annum haberetur pro legitimo tempore facta, ex superius dictis de nominatione facienda legitimo tempore, addo etiam *Salgad. loc sup. cit. n.* 48. ubi quod est notandum,
18. an nominatio fiat tempore habili, quia si fieret extra tempus legitimum, emptor videretur sibi acquisivisse, ac si a principio pro se solo contraxisset. Secundo requiritur, quod
19. nominatio fiat emptore vivente, alias si eo mortuo fieret ab haeredibus, diceretur novus contractus, ut dixit *Surd. allegata decis.* 226. *n.* 2., *et* 3. Tertio requiritur, quod vivo emptore nominatus ratam habeat, et acceptet nominationem, vel

expresse, vel tacite, faciendo scilicet aliquem actum in executionem contractus, et si hoc
20. fieret solum post mortem emptoris, nominatus non acquireret possessionem ex stipulatione facta ab emptore, sed ex novo contractu, et consequenter non posset fieri retrotractio acquisitionis ad initium contractus *Cenc. de cens. d. quaest.* 67. *n.* 17. 18. *et* 19. ubi etiam alia ad propositum habentur, et signanter, quod non est neces-
21. sarium, quod emptor nominans nominationem notificet venditori.

ARGUMENTUM.

Adducuntur substantialia emptionis, et venditionis, ex quibus scilicet contractus ponitur in esse perfecto, et quaeritur etiam, an substantialia praedicta conferri possint in arbitrium partium; item aliqua adducuntur de venditione facta, ut dicitur - con li patti, che li contraenti saranno d' accordo -, cum aliis de quibus in summario.

SUMMARIUM.

1. *Substantialia emptionis, et venditionis sunt consensus, res certa, et certum pretium, et his positis contractus dicitur perfectus.*
2. *Perfecto contractu non potest ab eo recedi absque novo consensu partium, etiamsi dominium non sit translatum.*
3. *Scriptura non est de substantia venditionis, et probari potest per testes, et alia genera probationum.*
4. *Scriptura in venditione dicitur de substantia quando constat contrahentes voluisse eam confici pro substantia contractus.*
5. *Veluti si fuit actum de conficiendo instrumento, subdendo quod contractus aliter non valeat.*
6. *Contractus emptionis, et venditionis inter absentes contrahi potest, per nuncium, et per litteras, et surdus emere potest.*
7. *Verba - con li patti, che li contraenti saranno d' accordo -, respiciunt accidentalia contractus.*
8. *Pacta non possunt reservari in arbitrium contrahentium.*
9. *Hoc tamen procedit quod substantialia contractus, secus quoad accidentalia.*
10. *Ideo neque pretium, neque res, seu ejus pars integralis committi potest in arbitrium contrahentium, non sic vero quoad qualitates, accidentia, vel conditiones.*
11. *Stantibus dictis verbis, con li patti, etc. sunt apponenda illa pacta, quae de jure, et consuetudine solent apponi.*
12. *Et circa hoc arbitrium boni viri debet operari.*

CONSULT. XX.

Optima, et in jure subsistens est propositio firmata per Dominum meum Valentinum egregium juris consultum ad ostendendam firmitatem, et perfectionem contractus emptionis,

et venditionis celebrati inter D. Franciscum Falaschium, et D. Joannem Andream de Paduanis, ita ut amplius non sit locus poenitentiae, et cum ea ego quoque nunc requisitus libentissime pertranseo, quia cum mihi pro indubitato supponatur, quod in venditione praedicta omnia substantialia venditionis accesserint, videlicet partium consensus, res certa, et certum
1. pretium, inde censeo tuto captam esse resolutionem pro perfectione d. contractus, si vera prout verissima est conclusio, quod ex dictis tribus contractus venditionis dicitur positus in esse perfecto, ut ponderat *Rot. rec. decis.* 37. *n.* 2. *part.* 4. *tom.* 2., *et part.* 12. *decis.* 139. *Urceol. consult. for. cap.* 5. *n.* 19., *et seq.* ubi quod contractus perficitur re, pretio, et consensu, et quod ubi est per-
2. fectus, non potest ab illo recedi absque novo contrahentium consensu, esto etiam, quod dominium non esset translatum, cum multis aliis ad propositum.

Neque his fundamentis officere mihi videtur, quod super contractu praedicto nulla inter partes fuerit confecta scriptura, quoniam hanc non esse de substantia venditionis, quae ex allegatis tribus requisitis solum perficitur, et probari potest per
3. testes, et alia genera probationum clamant omnes D, D., et pro omnibus videnda est *Rot. coram Bich. decis.* 664. *n.* 1.

Et quamvis me non lateat hanc propositionem communiter limitari quoties appareat partes voluisse contrahere in scriptis, limitatio tamen in hac nostra hypothesi non applicatur, et tunc demum procedere posset quando ulterius constaret scripturam fuisse volitam non ad probationem, sed pro substantia contractus, ut dixit *Rot. coram Bich. decis.* 638. *n.* 4., *et seq. ubi multa ad propositum, et in rec. decis.* 37. *n.* 8. *part.* 4. *tom.* 2. ubi quod si fuit actum de conficiendo instrumen-
5. to, ex hoc tamen contractus non dicitur imperfectus, nisi fuerit dictum, quod contractus aliter non valeat, et iis quae diximus supra de scriptura, quae non est de substantia venditionis addi meretur *Genua de script. privat. lib.* 3. *quaest.* 6. ubi quod contractus emptionis, et venditionis est juris gentium, et ideo solo consensu peragitur, et inter absentes contrahi po-
6. test et per nuncium, et per litteras, et subdit etiam quod in eo non est opus sermone, et ideo quod surdus emere potest.

Rursus nullius ponderis censeo reputandam ponderationem, quod hic agatur de venditione, ut dicitur, - *con li patti che li contraenti saranno d' accordo* -, quoniam licet prima facie haec verba perfectionem contractus excludere videantur, contrarium tamen est verius cum dicta verba *con li patti*, *etc.* re-

spiciant accidentalia, non au-
7. tem substantialia contractus, et ideo illius perfectionem non impediunt, ut docte in puncto firmavit *Rot. dec.* 307. *n.* 1. *et seq. part.* 4. *tom.* 2. *rec.* quod autem dicta verba respiciant accidentalia, non autem substantialia venditionis, praeter auctoritatem Rotae allegatae, ea etiam ratione suadetur, quod cum in contractu omnia substantialia accessisse supponatur, quae ut dictum fuit consistunt in re, consensu, et pretio, sane praefata verba aliter interpraetari non possunt, nisi ut tangant, seu respiciant accidentalia contractus.

Tertio non obstat, quod pacta
8. non possint reservari in arbitrium contrahentium *ex Altograd. adduct. in cons.* 11. *n.* 13., *et seq.*, ideoque contractum saltem ex hoc capite invalidum, et imperfectum censendum esse, adeo quod locus sit poenitentiae donec praedicta pacta apponantur, quia obiectum penitus eliminatur, animadvertendo praedictam propositionem optimo jure procedere quoad substantialia contractus, quae in arbitrium partium conferri non possunt, et si conferantur, contractus est nullius momenti antequam adimpleatur id, quod in arbitrium partium fuit collatum,
9. non vero post; secus vero quoad accidentalia contractus, ut optime dixit *Rot. decis.* 37. *n.* 6. *part.* 4. *tom.* 2. *rec.* ubi habentur concordan. quinimmo hoc etiam clarescit *ex doctrina Altograd. exadverso allegati sub n.* 6., *et seq.* ubi quod neque pretium, neque res, seu ejus pars integralis possunt committi in arbitrium contrahentium,
10. secus vero ubi committitur aliqua qualitas, accidens, vel conditio ex. gr. *si res placuerit, vel displicuerit intra certam diem*, quod enim res placeat, vel displiceat respicit qualitatem rei, non autem substantiam, sunt verba Auctoris: et ex his constantissime, ac pro veritate censeo capiendam esse resolutionem pro perfectione contractus, et in illo ea esse apponenda pacta, quae de ju-
11. re, et consuetudine solent apponi *ut pulchre firmavit Rot. allegata decis.* 307. *n.* 2., *et* 3. *part.*
12. 4. *tom.* 2. ubi etiam quod circa hoc arbitrium boni viri debet operari.

ARGUMENTUM.

Quaeritur an emptor, qui in causam pretii cum venditore conventi in se accollavit debita venditoris, possit ab eo violentari ad illa extinguenda, et an evicta emptori re empta, adhuc accollatio duret, maxime ubi non agitur de simplici accollatione, sed intercesserit delegatio.

SUMMARIUM.

1. *Accollatio succedit loco solutionis.*

2. *Post accollationem debitum fit penitus proprium accollantis.*
3. *Emptor, qui in causam pretii in se accollavit debita venditoris, non potest cogi ab eodem venditore ad illorum extinctionem.*
4. *Emptor non tenetur solvere debita venditoris in causam pretii accollata, quando bona empta penes ipsum non remanent.*
5. *Et hoc est verum etiam si intercessisset delegatio.*

CONSULT. XXI.

Cum inter certos amicos acerrime disputaretur, an quidam emptor, qui in causam pretii accollaverat in se nonnulla debita venditoris, post hujusmodi accollationem posset ab eodem venditore violentari ad dicta debita extinguendum, breviter pro veritate requisitus respondebam, quod cum hujusmodi facultas non esset venditori reservata, ac inter partes conventa, nequaquam emptorem compellendum esse ad dictam extinctionem faciendam, quoniam cum certa sit juris con-
1. clusio, quod accollatio succedit loco solutionis pretii *ut dixit Rot. in una Romana Census* 23. *Februarii* 1671. §. *praeterea Emerix. Narnien. Salviani* 19. *Januarii* 1674. §. *rursus Priolo*, quodque, post accollationem,
2. debitum fit adeo proprium accollantis, ut habeatur, ac si ipse illud primo contraxisset, ut apud omnes est in confessis; ex his tuta lance inferebam emptorem post accollationem ul-
3. terius a venditore molestandum non esse, ut in terminis tenuit *Rot. coram Thomat. decis.* 112. *n.* 13. *Ludovis. dec.* 386. *et ibi add. ubi plures habentur concordantes*, tanto magis, quod in praedicto casu emptor non levem etiam timorem habebat, quod bona empta evincerentur a creditoribus anterioribus, et sic solvendo probabiliter rem, et pretium amittendi, ad quod absurdum removendum optima mihi videbatur via, ut emptor non cogeretur ad extinctionem debitorum venditoris in causam pretii accollatorum, quoniam dictis debitis non extinctis certum est, quod si rei evictio sequatur, emptor ad eorum solutionem amplius non tenetur,
4. cum eatenus accollatio, occasione rei emptae facta, suum operetur effectum, quatenus dicta res penes emptorem remaneat, sive agatur de simplici accollatione *ut dixit Rot. decis.* 246. *n.* 2. *part.* 17. *rec.* sive etiam occasione acquisitionis rei emptae intercessisset delegatio, quemadmodum enim evicta ab emptore re empta sine ejus facto, et culpa, accollatio debitorum venditoris, occasione dictae emptionis facta corruit, tanquam correspectiva ad bona empta, ita videtur idem deter-
5. minandum esse in terminis inductae delegationis, quoties res empta non permanet penes emptorem, ex regula incontrovertibili, quod omnis promissio

cessat cessante causa debendi, ut in puncto ponderat *Rot. dec.* 428. *n.* 4. *part. prima rec.*

Neque ab hac sententia me retrahere poterat oblatio cautionis, quam ad removendum omnem scrupulum imminentis evictionis venditor promptus erat praestare, quoniam pro eliminatione hujus objecti, respondebatur vim principaliter non residere in metu imminentis evictionis, qui solum in consideratione habebatur ex abundanti, sed bene in eo, quod dictum fuit de accollatione debitorum facta per emptorem in causam pretii, quae cum succedat loco solutionis dicti pretii, ideo emptor non est cogendus a venditore ad debita accollata extinguendum ex juribus supra congestis.

ARGUMENTUM.

Vendens rem cum protestatione, quod non vult teneri de evictione nisi pro dato, et facto proprio, et quod eam vendit talem qualem, etc. an sequuta evictione ex facto alieno teneatur saltem ad pretii restitutionem, et quid si res vendita fuerit, ut dicitur -- *per un sacco d' ossa.*

SUMMARIUM.

1. *Venditor, qui promisit evictionem pro dato, et facto suo tantum, non tenetur si evictio sequatur ex facto extranei.*
2. *Vendens rem* talem qualem *ad nihilum tenetur.*
3. *Emptor, cui fuit res evicta non potest agere contra venditorem, si ei litem non denunciavit.*
4. *Pactum quod venditor non teneatur de evictione nisi pro dato, et facto suo, eum eximit a restitutione pretii ubi est conceptum pro certa, et determinata causa, et persona in individuo expressa.*
5. *Secus si generale sit, quia tunc non liberat a restitutione pretii.*
6. *Vendens rem* talem qualem, *etc. adhuc tenetur ad pretii restitutionem, si res emptori evincatur, si agitur non de jure dubio, sed de re certa.*
7. *Limita primo si venditor sub ea lege vendidit, ut in certo casu non teneatur ad pretii restitutionem, vel etiam si dixerit in eo casu ad nihilum teneri.*
8. *Limita secundo quando emptor de tempore contractus sciebat rem esse alienam.*
9. *In praejudicialibus scientia est plene, et concludenter probanda.*
10. *Emptor praesumitur qualitatum rei ignarus.*
11. *Secus autem dicendum est de venditore.*
12. *Et ideo venditor debet clare, et nominatim certiorare emptorem, non vero confuse.*
13. *Si dicta certioratio omittatur culpa emptoris in non perquirendo qualitates rei, non habetur in consideratione.*
14. *Culpa venditoris in non patefaciendo onera, praefertur culpae emptoris in ea non perquirendo.*

15. *Vendens rem, ut dicitur* per un sacco d' ossa *adhuc tenetur ad pretii restitutionem re emptori evicta.*

16. *Denuntiatio litis non est necessaria quando constat de justitia evictionis.*

17. *In dicto casu emptor nec minus tenetur a sententia appellare.*

18. *Immo potest cum evincente transigere etiam inscio venditore, et deinde omnia damna ab eodem venditore recuperare.*

CONSULT. XXII.

Vendita quadam domo a Domino Fulvio de Dainesiis Domino Francisco Lucatello pro summa librarum 4. m. ea tamen sub lege, quod Dainesius non teneretur de evictione nisi pro dato, et facto proprio, quodque eam tradebat *talem qualem*, etc. et non aliter, nec alio modo; illinc ad modicum tempus dedit casus, quod motae fuerunt molestiae pro parte D. Andreae a Valle, qui in vim. *L. fit. C. de aedict. div. Adr. toll.* instabat pro mandato immissivo ad dictam domum, cum quo lite diu per emptorem agitata, ac omni adhibito conatu pro excludenda intentione adversarii agentis, quia tamen dictus D. Andreas rite, et recte docuit de omnibus extremis necessariis, mandatum petitum obtinuit, et successive consumavit. Quapropter volens Lucatellus emptor agere contra Dainesium venditorem
saltem ad pretii restitutionem,
dubitatum fuit an ei competeret talis actio, nec ne: et Domini Advocati pro venditore
scribentes licet constantissime
negative responderent, eo primo superinnixi fundamento,
quod quando venditor evictionem promittit pro dato, et facto suo tantum, non tenetur
1. si evictio sequatur ex facto extranei, ea ratione, quia cum
obligatio in tali casu sit restricta ad factum proprium promittentis, non dicitur commissa
stipulatio, si sequatur evictio ex
facto alterius *Rot. decis.* 155.
n. 6. *part.* 7. *rec.* Secundo quia
venditor protestatus fuerat vendere domum *talem qualem etc.*,
et non aliter, nec alio modo,
in vim cujus protestationis venditor regulariter tutus est a
praestatione cujuscumque evi-
2. ctionis, et ad nihilum tenetur,
per ea quae habentur penes
Ottobon. decis. 142. *n.* 3. ubi
quod tunc censetur venditus
dubius eventus, seu jus, quod
venditor habet in re. Tertio
denique ex eo, quod emptor
non denunciaverat venditori litem sibi esse motam, uti requi-
3. rebatur, et onus emptori incumbebat probandi hanc intimationem venditori, vel ejus
haeredibus fuisse executam *cap.
fin. de empt., et vend. Mangil.
de evict. quaest.* 4. *n.* 1. *Cerr.
decis.* 311. *n.* 1., *et decis.* 345.
n. 1.

His tamen minime obstantibus, ego contrariam tanquam verio-

rem amplectebar sententiam, et quoad fundamenta exadverso deducta dicebam nullius prorsus esse roburis.

Quantum enim attinet ad primum, videlicet ad pactum inevictionis solum pro dato, et facto venditoris, ea mihi videbatur
4. occurrere responsio, quod cum hocce pactum non esset conceptum pro certa, et determinata causa, et persona in individuo expressa, uti est casus *Glos. in l. qui libertatis* 69. *in princ. ff. de evict. Mangil. de evict. quaest.* 11. *n.* 29. neutiquam vires suas extendere poterat ad eximendum vendito-
5. rem, re emptori evicta, etiam a pretii restitutione, ut probat *Text. rotundus in l. emptorem §. qui autem ff. de act. empt.* in illis verbis. *Idem esse dicendum etsi aperte in venditione comprehendatur nihil evictionis nomine praestitum iri pretium quidem deberi re evicta, utilitatem non deberi, neque enim bonae fidei contractus hanc patitur conventionem, ut emptor rem amitteret, et pretium venditor retineret*, et hanc sententiam sustinet etiam *Gratian. discept. for. cap.* 566. *n.* 3, *Fontanella de pact. nuptial. claus.* 5. *glos.* 8. *part.* 14. *n.* 94., *et seq. Mangil. de evict. quaest.* 11. *n.* 33., *et* 35. *Rot. decis.* 469. *n.* 11. *part.* 9. *rec. tom.* 2. *Buratt. decis.* 399. *n.* 4. *Urceol. consult. for. cap.* 2. *n.* 43., *et seq.*

Quatenus vero pertinet ad secundum, respondebam clausulam *talem qualem*, *etc.* pariter inefficacem esse ad excludendam pretii restitutionem, re emptori evicta, animadvertendo, quod
6. in venditionibus rei, juris, aut actionis certae (ad differentiam venditionis juris dubii seu quod quis habet in re *de qua Urceol. supra n.* 56., *et seq.*) duobus solum casibus venditor effugere potest restitutionem pretii; primo scilicet quando ipse venditor sub ea lege vendidit, quod certo, et determinato casu non
7. teneatur ad pretii restitutionem, vel quod eodem casu ad nihilum teneatur pro evictione, ut ponderat allegatus *Urceol. cap.* 2. *n.* 48, *et* 49. ubi quod si alias dicta conventio non esset restricta ad certum casum, sed esset generaliter concepta non operaretur; secundo juxta dispositionem *Text. in l. si fundum sciens C. de evict.*, *et ad sensum Rot. decis.* 155. *n.* 8. *part.* 7. *rec.*, *et decis.* 124. *n.* 8. *part.* 14. *rec.* quando em-
8. ptor de tempore contractus sciebat rem esse alienam, vel alteri hypothecatam, etc., *et conferunt tradita in consult.* 14. ubi etiam haec propositio declaratur, et etiam videndus est *Rub. in annot. ad decis.* 10. *n.* 1., *et* 2. *part.* 3. *rec.* Verum tam dicta circa primum, quam circa secundum casum hic non applicabantur, quoniam quoad primum, sola lectura instrumenti venditionis satisfaciebat, et quoad secundum dicebatur scientiam non fuisse exadverso pro-

batam uti requirebatur, ex no-
9. ta regula, quod in praejudi-
cialibus scientia est semper ple-
ne, et concludenter probanda,
ut ponderat *Add. ad. decis.* 542.
part. 4. *tom.* 3. *rec. n.* 98., *et*
in terminis videnda est allegatio
doctissimi D. Palma Nepot. 330.
n. 21. *part.* 4. *cum ibi congest.*
Et quamquam propter dicta ver-
ba *talem qualem*, *etc.* videre-
tur aliqua inducta scientia in
emptorem de oneribus, et qua-
litatibus rei emptae saltem quan-
tum ad hoc, ut in ipsum empto-
rem translatum esset onus di-
ligentias adhibendi pro plenius
inquirendis qualitatibus ejusdem
rei, omnis tamen difficultas fa-
cili negotio tollebatur, ani-
madvertendo, quod scientia ex
dictis clausulis, et protesta-
tionibus resultans, si qua ta-
men resultat, non potest esse
nisi generica, et praesumpta,
quae secundum communem Do-
ctorum calculum non sufficit
in emente sub bona fide rem
non liberam, cum talis prae-
sumptio tollatur per hanc a-
liam, quod emptor, qui rem
10. nunquam possedit praesumi-
tur qualitatum rei ignarus, ut
ponderat *Surd. decis.* 265. *n.* 5.,
et 6., *et conferunt tradita in*
consult. 14. *n.* 15. quodque e
11. contra vendens rem aliquam
cum ex diurna possessione prae-
sumatur illius onera, et con-
ditiones scire, ut docet *Surd.*
in. alleg. decis. 265, ideo ipsi
praecise incumbit onus clare,
12. nominatim, et in specie cer-
tiorandi emptorem, non vero
sub involucro verborum, et con-
fuse, *ut clamat Add. ad decis.*
10. *part.* 3. *rec. omnino viden.*
Surd. decis. 146. *n.* 8., *et* 9.
Ciarlin. contr. 89. *n.* 14., *et* 15.
Rot. decis. 461. *n.* 18. *part.*
9. *rec.* quod adeo verum est,
ut si dicta certioratio omitta-
13. tur, culpa emptoris in non
perquirendo qualitates, et o-
nera rei, non habetur in con-
sideratione, *ut late docet Pau-*
lus Rub. in annot. ad decis. 10.
part. 3. *rec. docte Altograd. cons.*
10. *n.* 29., *et seq. lib.* 1., *et*
egregie D. Palma Nepos alleg.
329. *n.* 13. *part.* 4. ubi quod
14. culpa venditoris in non pate-
faciendo onera praefertur cul-
pae emptoris in ea non perqui-
rendo, ex quibus inferebam i-
dem quoque dicendum esse in
hypothesi, quod res vendita
15. esset, ut dicitur - *per un sac-*
co d' ossa - cum hujusmodi ver-
ba nimis generalia, et obscu-
ra sint.
Denique accedendo ad ultimum
fundamentum, quod pro exclu-
denda intentione emptoris a-
gentis adducebatur, et super
quod exadverso magna vis fie-
bat, breviter respondebam il-
lud pariter nullius prorsus ro-
buris, et efficaciae in proposi-
to esse, quoniam licet passim
apud Juristas legatur proposi-
tio, quod ad effectum agendi
de evictione contra venditorem
necessaria est litis, et mole-
stiarum denunciatio, contrarium
tamen (aliis omissis limitatio-

nibus, et respons.) est verius semper quod constet, prout in hoc nostro themate constabat, de justitia evictionis, tunc enim certum est, quod omissio
16. interpellationis non habetur in consideratione, cum cesset ratio finalis, ob quam hujusmodi interpellatio est introducta, quae est ut venditor se defendere possit contra evincentem, ut docet *Urceol. decis. flor.* 29. *n.* 9. *Rot. rec. decis.* 390. *n.* 3. *part.* 5. *tom.* 1. *decis.* 387. *n.* 12. *part.* 17., *et decis.* 162. *part.* 8. *rec.* ubi etiam, quod emptor, cui res fuit per sententiam evicta, non tenetur nec
17. minus a tali sententia appellare quando constat de justitia evictionis, aut super hoc ipse potest, ac promptus est probationes necessarias facere, *et conferunt etiam late tradita per Urceol. de transact. quaest.* 42. *n.* 32. *et seq.* ubi quod emptor transigere potest cum evin-
18. cente etiam inscio venditore, et deinde omnia damna tali occasione passa ab eodem venditore recuperare.

ARGUMENTUM.

Emptor, qui pro certo pretio rem emit, et in illius solutionem assumit in se onus satisfaciendi omnibus creditoribus venditoris per clausulas amplissimas, an satisfaciendo creditoribus usque ad summam pretii conventi, statim ab obligatione praedicta remaneat liberatus.

SUMMARIUM.

1. *Sententiae injustae non computantur in numero, nec faciunt rem judicatam, etsi conformes sint.*
2. *Etiam stante Statuto de duabus conformibus, quia intelligi debet de justis.*
3. *Solutione ejus, quod debetur tollitur omnis obligatio.*
4. *Quando inter emptorem, et venditorem certa summa conventa est pro toto, et integro pretio, non est ad majorem summam solvendam cogendus emptor.*
5. *Etiam si emptor pro dictae summae solutione in se assumat onus solvendi omnia dubia venditoris per clausulas amplissimas.*
6. *Emptor, qui se obligavit solvere debita venditoris, liberatur, si pretium venditori solvit, si non intercessit delegatio.*
7. *Pretium in emptione, et venditione potest esse pro parte certum, et pro parte incertum.*
8. *Et ideo si modico pretio soluto emptor promittit solvere debita venditoris, contractus valet etiam si debita non sint expressa.*
9. *Haec tamen propositio non transit sine difficultate, et certo modo declaratur.*

CONSULT. XXIII.

Vendidit de anno 1693. sub die quarta Aprilis Illustriss. Dominus Comes Franciscus de Mascabronis praedium nuncupat. *Zenerigoli* Domino Julio Caesari de Claramontibus pro pretio in totum librarum 10. m., in

cujus pretii solutionem dictus Dominus de Claramontibus assumpsit in se onus solvendi Domino Severo de Landis libras 5. m., et insuper se obligavit solvere omnia, et quaecumque debita dicti Domini venditoris, ut latius videre est in Processu causae fol. 96. Successive in vim hujus obligationis, non obstante, quod Dominus emptor solvisset dictas libras. 5. m. Domino Laudo juxta pactum in instrumento conventum, residuum vero, quod erat aliarum librarum 5. m. alteri creditori venditoris exbursare fecisset, ut ex receputis, de quibus in Proc. fol. 70., praetendens Dominus venditor, quod ultra dictum pretium emptor teneretur etiam ad omnia debita, quibus de tempore venditionis reperiebatur gravatus, introduxit contra emptorem judicium, eumque per binas conformes condemnari obtinuit ad solvendum aliud debitum librarum 2. m. Verum ab his sententiis interposita appellatione, instatur hodie humiliter supplicando dominationem vestram illustrissimam pro commissione causae, attenta palpabili ac omnino clara dictarum sententiarum iniustitia, qua supposita, sententiae non com-
1. putantur in numero, nec possunt rem judicatam facere, quamvis conformes existant *ut tradunt. D. D. in l. 4. §. condemnatum ff. de re judicata Rot. coram Merl. decis.* 60. *n.* 7., *et decis.* 859. *n.* 1., *et* 2., *et coram Bich. decis.* 466. *n.* 1., *et in rec. decis.* 88. *n.* 5. *part.* 13. non obstante statuto de dua-
2. bus conformibus, quia illud intelligitur habere locum quatenus sententiae sint justae *Gratian. discept. for. cap.* 691. *n.* 27. *Rot. decis.* 88. *n.* 4. *part.* 13. *rec.*

Injustitia autem palpabilis desumitur ex eo, quia emptor supradicti praedii condemnatus fuit ad solvendum debitum, ad quod ipse nullo prorsus pacto tenebatur, cum reperiretur tantummodo debitor pro summa librarum 10. m. ut ex lectura instrumenti exadverso producti convincitur, et hanc fuisse solutam pars adversa ingenue fassa fuit, et clare constat ex processu; quibus positis intrant vulgata juris dicteria, quod so-
3. lutione ejus, quod debetur tollitur omnis obligatio, quodque actore non probante reus absolvitur, etc.

Et licet me non lateat exadverso mordicus obiici obligationem emptoris nequaquam esse restringendam ad summam librarum 10. m. conventam pro pretio rei, propter subsequentem generalem obligationem, et amplam promissionem solvendi omnia, et quaecumque debita venditoris; tamen pro eliminatione objecti animadvertere lubet, quod cum ex facto supra enarrato clare liqueat contrahentes sensisse totum, et integrum pretium venditionis praedictae esse debere librarum 10.

m. consequenter obligatio sol-
vendi omnia debita venditoris
4. intelligi debet intra praedictam
summam tantum, et non ul-
tra, alias enim si obligatio sol-
vendi omnia debita venditoris
ultra eam extenderetur, seque-
retur absurdum, quod pretium
totum, et integrum non posset
dici librarum 10. m. prout
partes vere senserunt, sed qui-
dem in summa longe majori,
*ut docte ponderat Rot. post Cenc.
de cens. decis.* 510. *n.* 6., *et de-
cis.*. 361. *n.* 2., *et* 4. *part.* 3.
rec. Quare dico, quod quoties-
cumque in emptione, et ven-
ditione certa, et determinata
summa a partibus statuitur pro
toto, et integro pretio, et em-
ptor deinde pro illius solutio-
ne, seu satisfactione in se as-
sumit onus solvendi omnia, et
quaecumque debita venditoris
5. etiam per clausulas amplissi-
mas, dico inquam, quod obli-
gatio omnino, penitusque ex-
tincta remanet eo ipso, quod
emptor summam conventam sol-
vit, non obstante quacumque
generalitate verborum, quoniam
verba quantumvis generalia,
sunt restringenda ad causam,
ob quam prolata fuerunt *ut di-
xit Rot. in allegata decis.* 361.
n. 4. *part.* 3. *rec. cum. ibi con-
gest.*, sive postea illam solvat
creditoribus, ut in proposito,
sive etiam venditori, quoniam
6. etiam hoc modo emptor re-
manet liberatus, *ut post Castr.
in l.* 1. *n.* 9. *C. de pact. inter
emptorem, et vend. firmavit Rot.
in decis.* 251. *n.* 16. *part.* 6.
rec. ubi quod emptor, qui pro
solutione pecuniae conventae
sibi accollavit debita venditoris,
si easdem pecunias venditori
solvit, corruit, et cessat omnis
accollatio, et ipse remanet li-
beratus, quicquid sit in dele-
gatione.

In nihilum prorsus refragante,
7. quod pretium in emptione, et
venditione possit esse pro par-
te certum, et pro parte incer-
tum *ut dixit Mantic. de tacit.,
et ambig. convent. lib.* 4. *tit.*
19. *n.* 45. *ad* 47. ubi quod i-
deo emptio, et venditio valet
si, modico pretio soluto, emptor
8. promittat solvere debita vendi-
toris; sive debita sint speciali-
ter expressa, sive non, et con-
sequenter quod emptor certum
pretium promittendo cum ob-
ligatione etiam solvendi om-
nia debita venditoris ad utram-
que obligationem implendam sit
compellendus. Quoniam prae-
ter quam quod haec proposi-
tio non transit sine difficulta-
te, et habet suos contradictores
quando debita accollata non
9. fuerunt specificata *ut videre
est penes eumdem Mantic. dicto
lib.* 4. *tit.* 19. *n.* 47. *in fine*,
breviter respondetur eam non
bene applicari in hac facti spe-
cie, praecipue quia auctor ci-
tatus loquitur in hypothesi,
quod intentio contrahentium
fuerit pro una parte pretii cer-
tam, et modicam summam pe-
cuniae concordare, pro alia ve-
ro parte debita venditoris em-

ptori accollare, quod secus est in praesenti casu, in quo clarissime liquet, quod contrahentes intellexerunt pro toto, et integro pretio summam librarum 10. m., et non ultra, ut supra fuit firmatum.

Post haec scripta vidi *decis.* 297. *part.* 15. *rec.*, quam sub silentio omittere nolui tanquam in hac materia magistralem, et ad praedictorum comprobationem.

ARGUMENTUM.

Multa hic adducuntur circa emptorem, et venditorem haereditatis, scilicet, an emptor teneatur erga creditores haereditatis ultra vires haereditarias: si inventarium non confecerit, an, et quando invitus possit conveniri a creditoribus praedictis; et an, haereditate in genere vendita, venditor teneatur de evictione, cum aliis de quibus in summario.

SUMMARIUM.

1. *Successor in haereditate per contractum, qualis est emptor haereditatis, non tenetur ultra vires haereditarias, ex quo inventarium non confecerit, quia ad illius confectionem non tenetur.*
2. *Et hoc tanto magis procedit, ubi venditor haereditatis eam adivit cum beneficio legis, et inventarii.*
3. *Emptor potest allegare omnes exceptiones competentes venditori.*
4. *Emptor haereditatis, qui non se obligavit solvere debita haereditaria, non potest a creditoribus invitus conveniri, sed isti agere debent contra venditorem, qui deinde recuperat ab emptore omne, quod solvit.*
5. *Limita in emente haereditatem a fisco.*
6. *Limita secundo ubi emptor in se suscepit onus solvendi debita.*
7. *Limita tertio in subsidium, videlicet quando venditor non est solvendo.*
8. *Limita ultimo ubi emptor suscepit judicium cum creditoribus, et litem contestatus est.*
9. *Haeres tamen vendens tenetur erga creditores non obstante pacto, quod emptor illis solvere debeat.*
10. *Et hoc casu creditores convenire possunt haeredem actione personali, et emptorem actione hypothecaria.*
11. *Vendens jus, quod habet in haereditate, non tenetur de evictione.*
12. *Vendita autem haereditate, venditor evictionem praestare debet, si evictio sequatur in tota, vel in quota.*
13. *Secus autem si aliqua solum membra singulariter evincantur.*
14. *Limita tamen quando emptor specificare fecit specifice omnia contenta in haereditate.*
15. *An jus accrescendi transeat in emptorem haereditatis allegantur materiam examinantes.*

CONSULT. XXIV.

Quoniam in venditionibus, quas faciunt haeredes de haereditatibus, plures ac variae suscitari solent difficultates, et signanter an emptor, qui haereditatem acquisivit, teneatur erga creditores haereditarios ultra vires haereditatis, si inventarium non confecerit; secundo an venditione haereditatis in genere facta, venditor teneatur de evictione, ac aliae similes; ideo non ab re censui has omnes quaestiones breviter hic ad trutinam revocare.

Primam igitur in ordine propositam nunc capiendo, lectorem circa eam monitum volo, quod licet frequens sit propositio in ore Curialium, quod facta venditione haereditatis in emptorem transeunt omnia jura activa, et passiva, ita ut habeatur loco haeredis, est tamen advertendum hujusmodi propositionem sibi vendicare locum tantummodo juxta vires haere-
1. ditarias, esto etiam quod emptor nullum confecerit inventarium, cum nimis sit notum in jure, quod successor in haereditate per contractum ad confectionem inventarii non tenetur, *ut aliis cumulatis sustinet Andreol. contr.* 124. *n.* 2., *et* 3., Et quamvis me non lateat haec tanto facilius sibi locum arrogare in hypothesi, quod haeres venditor haeredi-
2. tatem adivisset cum beneficio legis, et inventarii, quoniam cum emptor allegare valeat omnes exceptiones competentes
3. venditori auctori suo, *ut pluries in his consult. firmavimus*, *et patet ex Text. in l. emptori ff. de haered. vel act. vend.*, *et l. emptori C. de evict. Cyriac. contr. for.* 252. *n.* 40. *et seq. Rot. decis.* 299. *n.* 10., *et* 11. *part.* 7. *rec.* consequens est, quod si haeres venditor, tanquam inventario praedicto munitus, ultra vires haereditarias non tenebatur, ita nec emens haereditatem ab eodem haerede, ut de se patet, *et in terminis probat Gratian. discept. for. cap.* 532. *n.* 25., *et seq.* Attamen per haec non evenit, quin superius dicta tuta lance sibi vindicent locum in emente haereditatem ab haerede non beneficiato, talis enim emptor secundum veriorem sententiam duobus praecipue potitur privilegiis, altero scilicet ne teneatur ultra vires haereditarias, etsi inventarium non confececerit, ut probavimus, altero vero ne invitus conveniatur a
4. creditoribus haereditariis, sed isti actiones suas dirigere debent contra venditorem, qui postea recuperat omne, quod solvit ab emptore actione ex vendito, *ut bene ponderat Christin. decis. Belgic. vol.* 3. *decis.* 62. *n.* 1., *et seq.*, *et decis.* 63. *n.* 1., *et seq.* ubi tamen huic propositioni plures adducit li-
5. mitationes, et primo ait non procedere in emente haereditatem a fisco: secundo ubi em-

6. ptor in se suscepit onus sol-
vendi debita, quia tunc contra
eum agi potest hypothecaria :
tertio in subsidium, videlicet
7. quando venditor non est sol-
vendo ; et ultimo quando em-
ptor suscepit judicium cum cre-
8. ditoribus, et litem contestatus
est, quibus denique addi etiam
meretur, quod modo dicta de
emptore haereditatis, qui re-
gulariter invitus a creditoribus
haereditariis conveniri non po-
test, nullo pacto procedunt
favore haeredis vendentis, qui
semper tenetur erga creditores
haereditarios, etiam quatenus
9. emptori iniunctum esset onus
solvendi creditoribus praedictis,
nimis enim durum esset, quod
in facultate haeredis existeret
vendendo se eximere, et delu-
dere creditores *ut docte firma-
vit Christin. dicta decis.* 62. *vol.*
3. *n.* 7., *et* 8. ubi quod stan-
te obligatione emptoris solven-
di creditoribus, possunt isti
convenire haeredem vendentem
10. actione personali, et alterum
qui emit actione hypothecaria
Mantic. de tacit., *et ambig.
convent. lib.* 4. *tit.* 10. *n.* 20.
ubi quod haeres, qui aditam
haereditatem vendidit, adhuc
tenetur erga creditores.

His autem positis circa primum
punctum, modo descendendo ad
secundum, videlicet an vendi-
tione haereditatis in genere fa-
cta, venditor teneatur de evi-
ctione, nec ne, respondeo, quod
pro hujus dubii recta resolu-
tione duos opus est distingue-
re casus, et primus est quando
quis venditionem facit non hae-
reditatis, sed juris tantummodo,
quod habet in haereditate, et
in hujusmodi themate censeo
11. omni posthabita dubitatione
concludendum venditorem ne-
quaquam teneri de evictione,
cum censeatur venditus dubius
eventus, et sibi imputare de-
bet emptor, qui ad emendum
tali pacto accessit, *ut post Bald.
Castr. Dec. Berò, et alios quos
allegat. docte dixit Giovagnon.
lib.* 2. *respons.* 43. *n.* 4. *et* 26.,
*et in similibus terminis alibi fuit
firmatum in praecedent. consult.*;
alter vero casus adducitur,
quando e contra venditor ven-
ditionem facit non juris, quod
habet in haereditate, sed i-
psius haereditatis in genere,
et tunc distinctio, quae vide-
tur communiter amplexata est,
12. quod si haereditatis evictio
in toto, aut in quota sequatur,
quod tunc utique venditor e-
victionem praestare debeat, se-
cus vero si aliqua dumtaxat
haereditatis membra singulari-
ter evincantur : in hac enim
13. hypothesi venditorem non te-
neri, et ea exceptione se tue-
ri posse, quod scilicet bona
evicta non vendidit *colligitur
ex Textu in l.* 2. *ff. de haere-
dit. vel actio. vendit. Afflict. de-
cis.* 81. *n.* 3., *et seq.* ubi quod
vendita haereditate in genere,
non specificatis scilicet bonis,
venditor non tenetur de evictio-
ne rerum singularium, et pro-
pterea dat pro cautela empto-

14. ribus, ut faciant specifice specificare omnia contenta in haereditate, quo casu ait venditorem teneri de evictione *Cyriac. contr.* 17. *n.* 26. *Giovagnon. lib.* 2. *dicto respons.* 43. *n.* 21., *et seq.* ubi loquitur in terminis venditionis omnium bonorum in genere, quae vendens habet in aliquo loco, et *latissime Capyc. latr. consult.* 65. *n.* 34., *et seq.* ubi alia de hac materia habentur.

Denique si quis scire cuperet, an in emptorem haereditatis tran-
15. seat jus accrescendi, sive sit personale, sive reale, sed non haereditarium, vel reale, et haereditarium, videndus est *Bellon. qui in suo tractatu de jur. accresc. cap.* 7. *quaest.* 67. *per tot.* funditus materiam examinat.

ARGUMENTUM.

Quaeritur quid, et quantum in venditione rei ex. gr. domus, equi, fundi, etc. comprehendatur.

SUMMARIUM.

1. *Omnia, quae sunt affixa rei venditae per ferruminationem, vel applumbationem, vel ibi posita ut perpetuo maneant, veniunt in venditione.*
2. *Et sufficit unum, vel alterum, vel verisimilis intentio contrahentium.*
3. *Ex quantitate pretii arguitur quid et quantum in venditione comprehendatur.*
4. *Et ad hunc eumdem effectum est etiam considerandus tenor instrumenti.*
5. *Statuae affixae rei venditae, vel ibi positae, ut perpetuo maneant, veniunt in venditione ejusdem rei.*
6. *Vitriatae, quae in domo existunt, veniunt in venditione domus, et ad emptorem spectant.*
7. *Vendita domo censetur etiam vendita apotheca, quae est sub eodem muro, fundamento, tecto, etc.*
8. *Quae tamen propositio quomodo procedat declaratur.*
9. *Vendita domo veniunt etiam claves.*
10. *Item venit viridarium paratum pro domo.*
11. *Venditis ballis plenis lana, vel aliis mercibus non venit argentum, aurum, ac aliae res pretiosae in eis repertae.*
12. *Servitutes discontinuae, vel quasi continuae non veniunt in venditione, nisi stante clausula cum accessionibus, et introitibus solitis, vel pacto inito inter partes.*
13. *Secus autem est in servitutibus causam continuam habentibus, vel quando sumus in ultima voluntate.*
14. *Vendens vel alius vicinus debet praestare commoditatem itineris emptori.*
15. *Vendito fundo veniunt omnes accessiones, utilitates, fructus pendentes, pisces, si ibi sunt positi, ut multiplicentur, et maneant, pali exempti ex vinea animo iterum collocandi, columbi et animalia ibi posita, ut perpetuo maneant.*

16. *An autem veniant lapidicinae allegantur D. D.*

17. *Vendita equa, asina, etc. censetur etiam venditus pullus, quem mater adhuc lactat.*

18. *Item frenum, sella, ac alia ornamenta, si animal ea habebat dum fuit ostensum emptori.*

CONSULT. XXV.

Ut falcem ad radices earum difficultatum, quae in venditionibus rerum frequentius contingunt, et praecipue circa illud versantur, scilicet quid et quantum in venditione rei comprehendatur, praemittendum primo censeo pro regula generali, quod omnia, quae cohaerent, et sunt affixa rei venditae per ferruminationem, vel applumbationem, adeo ut amoveri non
1. possint sine earum, vel muri laesione, vel si non sunt affixa, ibi tamen sunt posita, ut perpetuo maneant, omniaque ea, quae contrahentes in contractum deducendi verisimiliter intentionem habuerunt, emptori praestari debent, ut bene ponderat *Mantic. de tacit., et ambig. convent. lib.* 4. *tit.* 15. *n.* 5. 17., *et* 21. *ubi concordan. Surd. decis.* 134. *n.* 13. 14. *et* 15. *Mangil. de evict. quaest.* 103. *n.* 36. ubi rejecta aliorum sententia ajunt, quod ad effectum, ut dici possit rem in venditione venire, non est de necesse, quod sit ad perpetuum usum rei principalis venditae destinata, et insimul sit
2. affixa, sed sufficit unum, vel alterum, vel ut fuit dictum verisimilis intentio contrahentium, quae faciliter noscitur ex quantitate pretii, ex quo arguitur,
3. et datur intelligi quid, et quantum in venditione comprehensum dicatur, *ut monet. Add. ad Gregor. decis.* 126. *n.* 11., nec non ex tenore instrumenti, ejusque narrativa, et proe-
4. mio, ex quo pariter conjici potest quaenam fuerit mens contrahentium, *ut edocet Rot. part.* 12. *rec. decis.* 125. *n.* 4. *et seq. Cenc. de cens. quaest.* 20. *n.* 6.

Hac regula pro irrefragabili posita, infertur primo, quod statuae omnes, quae sunt affixae, rei venditae, vel si non sunt affixae ibi tamen sunt positae
5. ut perpetuo maneant, veluti quia inserviant alicui fonti ad recolligendam aquam, vel ad alios similes usus, utique in venditione rei veniunt *ex juribus supra congestis, et docet Ricc. collect.* 212. ubi quod statuae, quae sunt in domo positae gratia usus veniunt, si sunt affixae, vel ibi positae ut perpetuo maneant.

Infertur secundo, quod vitriatae, quae in domo existunt, veniunt in venditione ejusdem domus, et ad emptorem pertinent, quoniam quicquid sit an vitriatae
6. vere, et proprie dicantur affixae domui nec ne, illud tamen est certum, quod ad perpetuum usum domus sunt destinatae, cum non amoveantur

nec aestate, nec hyeme, quod sufficit ex supra firmatis, *et tradit latissime in terminis Surd. decis.* 134. *per tot.*

Infertur tertio, quod vendita domo intelligitur etiam vendita apotheca, quae est sub eodem
7. tecto, muro, ac fundamento, et iisdem finibus continetur, dummodo tamen aliqua alia conjectura concurrat, ex qua verisimiliter dignosci possit talem fuisse mentem contrahentium, veluti quia aditus ad apothecam non habeatur nisi ex domo vendita, vel quia venditor solitus esset apotheca uti
8. una cum domo, *ut late animadvertit Mantic. de tacit, et ambig. convent. lib.* 4. *tit.* 15. *n.* 26., *et seq.* vel denique, quia pretium conventum, vel solutum corresponderet vero valori domus, et apothecae, quoniam, ut supra fuit dictum, ex quantitate pretii arguitur quid, et quantum in venditione comprehensum dicatur; caeterum de multis aliis, quae veniunt in venditione domus *videndus est Barbos. de appell. verb. signif. appell.* 82., *et latius Bertazzòl. de claus. claus.* 26. *glos.* 13. ubi signanter, quod veniunt
9. claves *Mantic. supra n.* 30. ubi de viridario, seu horto quod
10. venit si constat esse paratum pro domo, utpote quia ad illud non sit aditus nisi per domum.

Infertur quarto, quod si vendantur ballae plenae lana, vel aliae similes merces, et in eis argentum, aurum, vel aliae res pretiosae existant, tunc certum est, quod haec non veniunt sub venditione, et quod
11. emptor ea retinere non potest, cum verisimile non sit, quod venditor ea vendendi in animo habuerit, *ut latius videre est penes Sanfelic. decis.* 38.

Infertur quinto quod facta venditione fundi, ad quem non poterat, nec solebat haberi accessus, nisi per alterum fundum ipsius venditoris contiguum, censetur venditum etiam jus itineris, si venditio
12. facta sit cum solita clausula cum accessibus, et introitibus solitis, etc. alias si haec clausula deficeret, non posset emptor praetendere jura transitus, ex irrefragabili juris regula, quod servitutes discontinuae, vel quasi continuae non veniunt in venditione, nisi dicta clausula supposita, vel tali inita conventione inter partes; secus vero si servitutes causam continuam habeant, vel essemus in
13. ultimis voluntatibus, in quibus relicta proprietate censentur etiam relictae omnes servitutes, cum in his latior sit sumenda interpretatio ut ponderat *Ciarlin. contr.* 76. *per tot. lib.* 1. *Sabell. var. resol.* 14. *per tot.* ubi tamen, quod in omnem casum tenetur venditor, vel alius vicinus ei prae-
14. stare commoditatem itineris, concurrentibus, et adimpletis nonnullis adductis per eum.

Infertur sexto, quod vendito fun-

do ex. gr. praedio, vinea, etc.
veniunt omnes utilitates, ac-
cessiones, ac ea, sine quibus
re uti non possumus, fructus
pendentes, sive maturi, sive
immaturi sint, ut in sequenti
consult. latius dicetur; veniunt
pisces si ibi sunt positi, ut
multiplicentur, et in fundo
15. permaneant (secus, si animo
comedendi, vel alibi transferen-
di); veniunt pali exempti ex vi-
nea ea intentione, ut iterum
collocentur, secus siparati sint,
ut collocentur; item columbi,
et animalia in fundo posita,
ut ibi perpetuo maneant, de
quibus omnibus, ac aliis cu-
riosis consulere est *Bertazzol.
dicta claus.* 26. *glos.* 13., *et
multa de venditione fundi tradit
quoque Mantic. de tacit., et am-
big. lib.* 4. *tit.* 16. *per tot. Rot.
post* 2. *vol. Farinac. decis.* 359.
Castill. de usufruct. cap. 37. u-
16. bi an vendito fundo veniant
etiam lapidicinae, ac aliae si-
miles fodinae, etc.
Infertur ultimo, quod facta ven-
ditione equae, asinae, vel al-
terius similis animalis censetur
17. etiam venditus pullus, quem
mater adhuc lactat tanquam
quid accessorium, *ut in termi-
nis firmavit Mangil. de evict.
quaest.* 103. *n.* 29. *ubi etiam sub
n.* 32. ait, quod in venditione
venit quoque frenum, sella,
18. ac alia ornamenta, si animal
ea habebat, dum fuit ostensum
emptori, *quod videtur etiam de
mente Surd. decis.* 134. *n.* 5.,
et seq.

ARGUMENTUM.

Late hic disputatur, an, et quando fructus rei emptae ad emptorem, quando vero ad venditorem pertineant.

SUMMARIUM.

1. *Vendito fundo omnes fructus rei pendentes, sive maturi, sive immaturi sint ad emptorem pertinent.*
2. *Et hoc est verum etiam si fundus esset locatus, et venditor jam recepisset affictum, dummodo conductor fructus adhuc non perceperit.*
3. *Fructus ad venditorem spectant quando de tempore venditionis plene maturi erant, et venditor jam se paraverat, et manum apposuerat cum scientia emptoris ad recollectionem.*
4. *Si tamen ex magnitudine pretii, vel aliis conjecturis constaret mentem contrahentium fuisse diversam, contrarium esset dicendum.*
5. *Fructus, qui dietim percipiuntur sunt dividendi pro rata temporis inter emptorem, et venditorem, quod exemplificatur, et ampliatur.*
6. *Limita tamen quando inter partes aliud est conventum, licet ad hunc effectum requirantur verba clara.*
7. *In venditione cum pacto redimendi, est facienda divisio fructuum pro rata temporis inter emptorem, et venditorem redimentem.*

8. *Et idem est in fructibus fundi empti ad vitam in ultimo anno, quo decessit emptor.*
9. *Limita tamen, ut praedicta divisio fructuum in venditione cum pacto redimendi non sit facienda, ubi de tempore primae venditionis fructus erant pendentes, et certa dies erat stabilita.*
10. *Limita secundo ubi eodem tempore, quo facta fuit venditio cadit luendi terminus.*
11. *Limita tertio quando retrovenditio fieri debet pro pretio currenti declarando a peritis.*
12. *Fructus partis colonicae sub venditione non veniunt, nisi venditor sua manu, et expensis coleret fundum.*
13. *Et principalis conclusio procedit etiam, si emptor ignoret fundum per colonum coli.*
14. *Quando contractus est nullus, fructus sunt restituendi, vel imputantur in sortem.*
15. *Secus vero si contractus sit laesivus.*
16. *In venditione conditionali fructus, qui ante purificatam conditionem orti sunt, et a fundo separati, ad venditorem pertinent.*
17. *Fructus vero de tempore purificatae conditionis pendentes, et extantes lucro emptoris cedunt.*
18. *Omnes tamen fructus ad emptorem pertinent facta vera rei traditione, non vero per clausulam constituti.*
19. *In venditione conditionali periculum deteriorationis est emptoris.*
20. *Hoc tamen non obstante statuitur, quod fructus ante purificatam conditionem orti, et a fundo separati ad venditorem pertinent, si vera rei traditio facta non est.*

16

CONSULT. XXVI.

Firmata propositione in praecedenti consult., quod vendito
1. fundo omnes fructus pendentes sive maturi, sive immaturi sint ad emptorem pertinent *quam ponit Thesaur. decis.* 55. *n.* 1. *et* 2. *ubi alios dat concordan.* nunc eam altius, et accuratius repetendo, dicimus, quod licet in se verissima sit, et optimo jure procedat etiam in
2. hypothesi, quod fundus venditus esset locatus, et venditor, qui locavit, affictum recepisset, *ut docte ponderat Peregr. decis.* 83. *n.* 8. ubi eam adducit rationem, quia cum affictus debeantur ratione fructuum, quos percipit conductor, ideo si de tempore venditionis fructus a conductore non sunt recollecti ad emptorem spectare debet affictus, etsi solutus sit, quemadmodum ad eum spectarent fructus, si praedium non esset locatum; multi tamen sunt casus, in quibus non procedit. Et primo non procedit, ubi de tempore venditionis fructus plene maturi erant, ac statim re-
3. colligendi, et venditor jam se paraverat, manumque apposuerat cum scientia emptoris ad recollectionem, tunc enim verior sententia est, fructus ad venditorem spectare, *ut animad-*

vertit Thesaur. d. decis. 55. *n.* 6. *Sabell. var. resol. cap.* 13. *n.* 14. *et seq.* quod etiam ea ratione suadetur, quia in dicta hypothesi verisimile non est, quod contrahentes senserint fructus in venditione venire, nec dici potest emptorem fuisse motum ad emendum tali pretio ob fructus pendentes, quia jam sciebat venditorem manum apposuisse pro illis recolligendis; fateor quidem, quod si ex ma-
4. gnitudine pretii, aliisve conjecturis colligeretur, mentem contrahentium fuisse fructus sub venditione contineri, utique tunc crederem contrarium esse firmandum, *prout etiam concludere videtur Thesaur. loco supra citato in fine.*

Secundo non procedit in illis fructibus, qui singulis diebus percipiuntur, cujusmodi sunt pensiones domus, et alii similes, isti etenim cum solvantur pro illa commoditate, quae dietim recipitur, propterea regulam in his terminis communiter statuunt scribentes, quod est fa-
5. cienda divisio pro rata temporis inter emptorem, et venditorem, etiam si dies solutionis pensionis rei locatae, quae venditur, adhuc non venerit, cum enim pensio solvatur ratione fructuum, seu commoditatis, quae dietim recipitur, ut supra etiam diximus, ideo non est attendenda dies solutionis conventae, sicuti nec in consideratione habetur, an venditor, qui locavit pensiones omnes anticipate receperit, aut jam decursas exigere neglexerit, sed semper est facienda divisio pensionis pro rata temporis, ita ut de ea venditori concedatur rata decursa usque ad diem venditionis, residuum vero esse debet emptoris, *ut bene docet Peregr. decis.* 83. *n.* 9. *Franc. decis.* 79. *Pacion. de locat., et conduct. cap.* 36. *n.* 60., *et seq.* ubi quod hoc est verum,
6. nisi aliter sit inter partes conventum, subdens tamen, quod ad hujusmodi effectum requiruntur verba clara, alias censetur partes voluisse se conformare supradictae dispositioni juris communis, et propterea infert, quod clausula cedens, etc. non sufficit ad hoc, ut vendens censeatur cessisse actionem sibi competentem pro rata pensionis sibi debitae, secus vero si venditor dixisset emptorem debere consequi pensiones, quia ut ipse ait hoc deberet intelligi etiam de debitis ipsi venditori, ut latius apud eum videre est.

Tertio praedicta principalis conclusio non habet locum in venditione necessaria, qualis dicitur venditio, quae fit in vim pacti de retrovendendo, in tali enim themate si venditor ad redemptionem deveniat penden-
7. tibus fructibus, verior, aequior, ac magis recepta sententia est; quod eorumdem fructuum sit facienda divisio pro rata temporis inter emptorem, et venditorem, *ut ponderat Calvin. de*

aequit. lib. 2. *cap.* 163. *n.* 4., *et seq.* ubi quod idem juris est in fructibus fundi empti ad
8. vitam, qui in ultimo anno, quo decessit emptor dividuntur inter haeredes emptoris, et venditorem ad ratam temporis, quo vixerit emptor, *quod totidem verbis dixit quoque Gratian. discept. for. cap.* 471., *et Mangil. de evict. quaest.* 105. *n.* 12. *et seq.* et eam rationem reddit, quia scilicet emptor in vita dominus erat, et majus jus fovebat quam usufructuarius, *et in terminis venditionis cum pacto redimendi addi meretur etiam Thesaur. d. decis.* 56. *n.* 1. 2., *et* 3. ubi tamen hanc propositionem declarare videtur, ut non pro-
9. cedat ubi de tempore primae venditionis fructus erant pendentes, et certa dies erat stabilita pro facienda retrovenditione, ita ut illa dies esset expectanda, vel ubi eodem tempore, quo facta fuit venditio
10. cadat luendi terminus, his enim casibus sentire videtur, quod divisio fructuum pendentium modo supra notato nequaquam facienda sit, sed eosdem fructus ad venditorem redimentem spectare rursus addo *Gratian. decis.* 176. *per tot.* ubi aliam declarationem adducit, et ait dictam divisionem faciendam esse ubi retrovenditio fieri debet pro eodem pretio, se-
11. cus si pro alio pretio correnti declarando a peritis, quia tunc fructus aestimantur cum ipso fundo, et cedunt lucro redimentis, *ut dixit etiam Antonell. de temp. legal. lib.* 1. *cap.* 48. *n.* 8. *in fine.*

Quarto principalis conclusio non procedit in illis fructibus, qui sunt partis colonicae, hi enim cum ad colonum pertineant, non est dicendum sub venditione contineri, nisi fortasse venditor sua manu, et expensis
12. coleret fundum, quia tunc nulla extante conjectura in contrarium utique cederent lucro emptoris ob verisimilem contrahentium mentem illos in contractum deducendi *ut docet Thesaur. decis.* 55. *Sabell. var. resol. cap.* 13. *n.* 14. *Pereg. de fideic. art.* 49. *n.* 92. *Add. ad Gratian. decis.* 176. *n.* 4. *Antonell. de temp. legal. lib. prim. cap.* 48. *n.* 14. estque adeo vera propositio, quod fructus partis colonicae sub venditione non continentur, quod libentissime allegati DD. eam amplectuntur etiam in hypothesi, quod emptor igno-
13. raret fundum per colonum coli, nam etiam in hoc casu applicatur illa ratio, quod verisimile non est, venditorem sensisse fructus partis colonicae in venditione venire, sed solum in animo habuisse vendendi partem sibi tangentem.

Quinto non procedit ubi contractus nullitatis vitio laborat, in hoc enim themate verior sententia videtur emptorem fructus suos nequaquam facere, sed illos restituendos esse ven-
14. ditori, vel imputandos in sortem, *ut ponderat Sperell. decis.*

154. *n.* 64. *et seq. ubi concordan.* et est trita distinctio, quod, aut contractus rescinditur ob nullitatis vitium, et debent restitui fructus, aut ob
15. remedium legis secundae, et nequaquam restitui debent *per ea, quae diximus in consult. de venditione rei Ecclesiae, et minoris, et de laesione*, ubi quomodo praedicta sint intelligenda.

Denique limitatur, seu declaratur principalis conclusio, ut non procedat in venditione conditionali, in qua, quicquid aliqui dixerint, magis communiter statuitur, quod fructus
16. rei venditae orti, et a fundo separati ante perfectionem contractus per purificationem conditionis, ad venditorem pertineant, fructus vero de tempore purificatae conditionis pen-
17. dentes, et extantes ad commodum emptoris cedant, etiam si sati fuissent ante purificatam conditionem, ut docte de more docet *Altograd. cons.* 13. *n.* 10., *et seq. lib.* 1. ubi tamen optime subdit hanc declarationem esse intelligendam, dummodo ab initio ad veram rei traditionem deventum non sit, alias enim si dicta rei tradi-
18. tio facta fuisset, omnes fructus etiam orti ante purificatam conditionem ad emptorem pertinerent.

Et licet aliqui indistincte sentire videantur fructus omnes a venditore perceptos etiam ante purificatam conditionem ad emptorem spectare, ea ducti ratione, quod sicuti in hoc casu
19. periculum deteriorationis rei ad emptorem pertinet, *ut diximus in praecedentibus consult.*, ita quoque, et ejus commodum ad eumdem spectare debet; attamen a praedicta sententia non est recedendum, et respondetur obiectum exadverso propositum procedere in au-
20. gmentis intrinsecis, inseparabilibus, et extantibus de tempore purificatae conditionis, ut latissime contrariis respondendo ponderat, et ratiocinatur *Altograd. loco supra citato*, ubi retorquendo difficultatem contra adversarios, subdit, quod quemadmodum in casu proposito damnum, seu deterioratio contingens in re vendita pendente conditione ad emptorem non pertinet, nisi ea existat de tempore purificatae conditionis, ita quoque idem dicendum est de commodis, etc.

ARGUMENTUM.

Ventilatur, et resolvitur casus, an creditor emens ad hastam licitando a judice vendente ad instantiam creditorum bona debitoris sit tutus a jure offerendi, si tanquam tertius ad emptionem praedictam accesserit, cum insertione allegationis doctissimi viri domini Hieronymi Palmae Nepot: Lucensis, in qua multa habentur circa materiam juris offerendi.

SUMMARIUM.

Quando tertius emit sub hasta a judice vendente bona debitoris, tutus est a jure offerendi.

2. *Et idem juris est in creditore non uti creditore, sed tanquam tertio licitante.*
3. *Quod creditor ad licitandum accesserit, non uti creditor, sed tanquam tertius, et acquirendi causa dominii, colligitur ex eo, quod obtulerit longe magis quam importaret suum creditum.*
4. *Tertius licitator, qui emit sub hasta securus est a jure offerendi.*
5. *Si creditor accipit in solutum, vel emit a debitore, et postea alteri vendit est locus juri offerendi.*
6. *Creditor, qui tanquam tertius emit sub hasta non est obnoxius juri offerendi, ut dictum est.*
7. *Creditor tanquam tertius admitti potest ad licitandum, et offerendum in publica subhastatione.*
8. *Et non debet esse deterioris conditionis quolibet alio extraneo licitatore.*
9. *Adsunt tamen aliqui contrarium sentientes.*
10. *Explicantur decisiones in Bonon. praedii coram Bevilaqua.*
11. *Et decis. Rot. in Pisauren. juris offerendi luna prima decembris* 1670.
12. *Creditor emens videtur potius conservandi pignoris, quam acquirendi causa dominii emere.*
13. *Haec tamen praesumptio est juris tantum elidibilis per alias contrarias praesumptiones.*
14. *Quando creditor obtulit quantum capiebat suum creditum conjectura urgens est, quod non obtulerit uti tertius.*
15. *Et e contra quando obtulit longe magis, quam importaret suum creditum, praesumitur, quod non licitaverit uti creditor.*
16. *In mixto praevalere debet illa qualitas, de qua plus mixtum participat.*
17. *Creditor in subhastatione potest induere personam emptoris extranei.*
18. *Secundus creditor est exclusus a jure offerendi quando fuit citatus ad actum subhastationis, eidem fuit praesens, ac obtulit.*
19. *Vel quando fuit citatus, sed non comparuit, et non obtulit.*
20. *Quinimmo etiam si non fuerit citatus, sed fuerit praesens.*

CONSULT. XXVII.

Cum inter certos amicos controverteretur, an quidam creditor, qui sub hasta emerat licitando a judice vendente bona debitoris ad instantiam creditorum, obnoxius esset juri offerendi, dicebam pro veritate, et animo viam litibus amputandi, nequaquam praedictum creditorem obnoxium esse juri offerendi, quoniam cum ex processu clare liqueret creditorem praedictum ad dictam emptionem accessisse non uti creditorem, et animo conservandi pignoris, sed uti tertium, et ex-

traneam personam, hinc mihi videbatur omni posthabita dubitatione in dictam sententiam eundum, quemadmodum enim in jure est absolutum, quod ubi tertius sub hasta emit a
1. judice vendente bona debitoris ad instantiam creditorum, est tutus a jure offerendi, *ut edocet Duran. decis.* 445. *n.* 85, *et seq.* ita etiam eodem privilegio gaudere debere creditorem
2. non uti creditorem, sed uti tertium licitantem unusquisque fateri debet, ne alias sequatur absurdum, quod iste deterioris sit conditionis quolibet alio extraneo licitatore, ut in simili casu doctissime dixit egregius vir *Dominus Palma Nepos* cujus elegans motivum infra habebitur.

Quod autem creditor jam dictus ad licitandum accessisset, non uti creditor, et animo conservandi pignoris, sed tanquam tertius, et extraneus, et acquirendi causa dominii, ex eo maxime resultare mihi videbatur,
3. quia scilicet obtulerat longe magis, quam importaret suum modicum creditum, quam conjecturam validissimam esse constat ex sequenti allegatione, ad quam lectorem remitto, cum in ea accuratissime ponderentur omnia, quae huic nostro casui decisionem imponunt.

Allegatio D. Palmae Nepot.

Initium Sapientiae Timor Domini.

In articulo juris offerendi, qui nunc excitatus est, et controvertitur, confuse admodum loquuntur doctores, quia unum casum sub alio confundunt.

Quod tertius licitator qui emit sub hasta publica a judice vendente ad instantiam creditorum bona debitoris, sit securus a jure offerendi, videtur commu-
4. nis sensus doctorum, ut late probat decisio *Durani* 445. *n.* 85. 86., *et n.* 87., et firmatur lato calamo per *Scoppa ad Gratian. decis.* 66. *n.* 33. 34. 35. 36. 375., *et seq.*

Quod vero e contra quando creditor accipit in solutum, vel
5. emit a debitore, et postea alteri vendit, quod sit locus juri offerendi firmat post alios *Post. de Subhastat. Inspect.* 66. *num.* 26. *Rota decis.* 186. *num.* 7. *p.* 13.

Casus autem noster est de creditore, qui tamquam tertius emit sub hasta licitando a judice vendente bona debitoris ad
6. instantiam creditorum, quem ad partes disputat. *Felicianus de Censib. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 13. afferendo hinc inde rationes, et fundamenta, et pro negativa concludit, et ultra per eum pro hac sententia allegatos, videri meretur. *Postius de Subhastat. Inspect.* 66. *num.* 27. *Rota decis.* 445. *num.* 86. *coram Durano*, *Eminentiss. de Luca de Empt.*, *et Vendit. Discurs.* 31. *num.* 7., *et de Debito, et Cred. Discurs.* 165. *num.* 4.

Et pro hac sententia ea videtur urgere efficacissima ratio, quod
7. cum creditor tamquam tertius

admitti possit ad licitandum, et offerendum in publica subhastatione, *Post. de Subhastation. Inspect.* 32. *n.* 8. cum aliis ab eodem allegatis; non videtur aequum, ut ipse creditor debeat esse deterioris con-
8. ditionis quolibet alio extraneo licitatore, ut bene ad propositum ponderat *Eminentiss. de Luca de Empt. et Vendit. Discurs.* 31. *n.* 6.

Verum quia optime scio non deesse plurimos, qui hujusmodi
9. sententiam impugnant, quorum aliquos refert. *Post. dicta Inspect.* 66. *num.* 27.

Priusquam rationes hujus contrariae sententiae examinentur, operae pretium est animadvertere, decisiones in Bononien. *Praedii coram Bevilaqua in Recent. decis.* 186. *et decis.* 289. *par.* 13. nostrae facti speciei minime adaptari; in illo ete-
10. nim casu ad instantiam DD. de Scappis, praedium, de quo erat quaestio fuerat adjudicatum Dominico Porta, et ab eo postea venditum ipsis DD. de Scappis, et ideo in prima decisione dicitur non intrare jus offerendi, quia emptor causam habebat a Dominico Porta, cui a DD. de Scappis fuerat jure creditoris anterioris venditum praedium, ut videre est in *decis.* 186. *n.* 10. *part.* 13. in illis verbis.

„ *Cumque in casu isto Abbas Camillus causam habeat a Dominico, cui a Scappio jure creditoris fuit venditum praedium, et sic versemur in primo membro distinctionis, utique non competebat Comitissae jus offerendi ex praecitatis.*

In subsequenti vero decisione 289 primae revocatoria, cum in facto probatum fuisset dictum Dominicum Porta emisse praedium, de quo agebatur, non pro se ipso, sed pro D. Abbate Scappio uno ex DD. Scappis creditoribus, ad quorum instantiam fuerat facta deliberatio praedii, praevia conventione, et sic in dicta venditione nudum nomen habuisse; ideo fuit resolutum pro revocatione primae decisionis, et pro competentia juris offerendi stante hujusmodi simulatione, nullibi tamen in dicta decisione firmatur creditorem ementem ut tertium licitatorem sub hasta a judice, obnoxium esse juri offerendi; quin immo supponit istud tunc competere, quando vel emptio, vel datio in solutum fit ab ipso debitore, ut in verbis illis sub num 4. ibi.

„ *Secus quando anterior creditor emit ab ipso debitore, vel in solutum ab ipso recipit; tali enim casu ab ipso emente potius causa conservandi jus suum quam acquirendi rei dominium irrevocabiliter, licet per jus offerendi rem evincere.*

11. Decisio pariter ejusdem Sacrae Rotae in *Pisauren. juris offerendi lunae primae decembris* 1670. *in Recent. part.* 16. *decis.* 364. nihil commune habet cum casu nostro, cum ibi age-

retur de datione in solutum facta per judicem creditori, quae extra omne dubium admittit jus offerendi.

Exclusis igitur objectatis decisionibus tamquam praecisum punctum articuli controversi, nullo modo tangentibus, remanet nunc examinanda ratio, ex qua moventur sectatores contrariae sententiae, quae in eo praeci-
12. se consistit, quod creditor emens videatur potius conservandi pignoris, quam acquirendi dominii causa emere, juxta praesumptionem. *Textus in l. cum secundus §. fin., et l. sequenti ff. de distract. Pignor: Felician. de Censib. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 13. *versic. secundo quia, Rot. decis.* 76. *n.* 21. *post Post. de Subhastat.*

Hujusmodi praesumptio, quicquid aliqui dixerint, et signanter *Francus in sua decis.* 69. *num.* 4., *et* 5. est praesumptio juris tantum elidibilis per alias contrarias praesumptiones, ex quibus appareat, quem non conservandi pignoris gratia, sed
13. uti tertium ad licitationem accessisse, ut reprobato *Francho in dicta decis.* 69. *docet Menoch. de Praesumption. Praesumpt.* 121. *num.* 7. *versic. sed crediderim, et admittit. Rota decis.* 76. *num.* 21., *et num.* 22. *post Post. de Subhastat., et coram Bichio decis.* 191. *num.* 2., *et n.* 18.

Quod vero in casu nostro non animo conservandi pignoris, sed acquirendi dominii obtulerit creditor, constat nedum ex eo quod ipse creditor non possidebat cujus contrarium erat in casibus decisionum objectatarum; sed eo fortius quia cum ille esset creditor librarum trium millium, obtulit summam librarum 16500. et pro tali summa fuerunt ipsi deliberata bona; unde si conjectura ur-
14. gens quod non uti tertius obtulerit, et licitaverit, est quando creditor obtulit in licitatione, quantum capiebat suum creditum, ut per *Rotam post Post. de Subhastat. decis.* 76. *n.* 23. *Bichius decis.* 95. *nu.* 19. a contrario sensu validissima insurgit praesumptio, quod non licitaverit uti creditor, dum obtulit summam majorem quinquies, et ultra, quam esset su-
15. um creditum, et ideo non datur convenientia quantitatum, super qua fundatur contraria conjectura, ut notat *Menoch. de Praesumpt. dicto lib.* 3. *Praesumpt.* 121. *num.* 12.

Et ideo cum in dicto super pluri non possit ullo modo considerari uti creditor, sed solum uti tertius, et extraneus licitator, qui absque controversia non subiacet juri offerendi; ideo etiam si respectu illius parvae summae librarum trium millium posset considerari uti creditor; attamen cum agatur de unica oblatione, et licitatione, et subhastatione, et praeponderent librae 13500. oblatae, ultra quantitatem, ad quam proprium creditum ascendebat,

quarum respectu non potest considerari nisi uti extraneus, unde etiam si talis oblatio per
16. impossibile consideranda esset uti quid mixtum, scilicet partim confirmandi pignoris gratia facta, et sic uti creditore, et partim facta uti ab extraneo; attamen in tali mixto praevalere deberet illa qualitas, de qua plus mixtum participat. *Menoch. consil.* 648. *n.* 9. *Gratian. discep. Forens. cap.* 569. *num.* 4. *Eminentiss. de Luca de Legat. discurs.* 23. *n.* 8. ubi quod mixtum assumit qualitatem illius simplicis, de quo magis participat.

Nec in dubium revocari potest quin creditor non possit in li-
17. citatione, et subhastatione diversam omnino, personam emptoris extranei induere, et assumere, ut (reprobata *Franchi decisione* 69.) *probat Menoch. de Praesumption. lib.* 3. *Praesump.* 121. cum aliis cumulatis per doctissimum *Arias de Mesa var. resolut. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 27.

Et quamvis ex hac facti circumstantia videatur clara, et evidens voluntas creditoris in casu nostro offerendi, et licitandi uti extranei, et ideo non intrare jus offerendi; adhuc tamen ex alio fundamento videtur secundus creditor ab hujusmodi jure offerendi omnino exclusus, quia scilicet ipse fuit citatus ad actum subhastatio-
18. nis, et eidem praesens fuit, ac obtulit, in quibus terminis ipsi amplius non competere jus offerendi videtur probrare *Textus in l. si eo tempore Cod. de remission. Pignor. Mantica decis.* 126. *n.* 1. 2., *et num.* 3. ubi firmat, non competere jus offerendi, quando creditor citatus ad videndum fieri subha-
19. stationem non comparuit, et non obtulit. *Thesaur. decis.* 157. *num.* 11. contra quem quamvis insurgat *Morot. de jure offerendi n.* 40., patrem tamen nervose defendit. *Thesaurus filius in Addit. ad dictam decis.* 157. ubi secundum praefatam limitationem ait a Senatu fuisse judicatum *Niger. de judic. Pig. vendit. cap.* 30. *num.* 94. *et* 95. ubi indistincte ait limitationem procedere sive creditor fuerit citatus, sive etiam non citatus, fuerit praesens. *Donat. Antonius de Marinis resolution. quotid. cap.* 219. *num.* 8. *vol.* 1. *Sanfelic. decis.* 118. *n.* 10. *Merlin. de Pignor.*, *et Hypothec. lib.* 4. *tit.* 2. *quaest.* 47. *num.* 10. ubi equiparat, vel fuisse citatum creditorem, vel fuisse praesentem. *Ricc. in Addit. ad decis. Franchi* 69. *versic. non procedit tamen, Scoppa ad Gratian. decis.* 66. *num.* 42., *et* 43. et hujusmodi limitationem quando creditor fuit ad subhastationem citatus, admittere videtur *Rota decis.* 108. *n.* 6. *post Post. de Subhastation. repetita apud Bichium decis.* 95. *num.* 5. licet in eo casu agatur de sola praesentia, alleget in contrarium autoritatem Morotti, quae ut paullo

proxime demonstravimus est communiter reprobata.

Ex quibus pro exclusione juris offerendi in casu praesenti concludendum videtur.

Et ita, etc. salvo tamen semper, etc.

Hyeronimus Palma Nepos. J. U. D. et Patritius Lucensis.

ARGUMENTUM.

Agitur in hac consultatione de Procuratore ad emendum, vel vendendum constituto, et multa scitu digna circa hanc materiam exponuntur.

SUMMARIUM.

1. *Procurator ad emendum si emit nomine proprio interim rei dominium sibi acquirit, et fructus facit suos.*
2. *Potest tamen cogi ad rem tradendam actione personali.*
3. *Liberum est Procuratori mandatum suscipere, vel non, sed post illud susceptum executioni mandandum est, ita ut non liberetur praestando interesse.*
4. *Procurator emens nomine domini, vel simpliciter, ei rem tradere debet una cum fructibus, etiam si hoc fecerit cum pecuniis propriis.*
5. *Procurator ad emendam rem, si in ea ipse habet aliquam portionem, eam mandanti dare debet.*
6. *Procurator si post emptionem rem alteri carius vendat, potest mandans praetendere totum pretium.*
7. *Si tamen Procurator habeat mandatum ad emendum pro certo pretio, et ipse minus impendat, illud, quod remanet cedit ejus commodo.*
8. *Procuratori ad vendendum fieri potest pretii solutio.*
9. *Quinimo procurator praedictus potest etiam habere fidem de pretio, cum declarationibus tamen, quae hic adducuntur.*
10. *Procurator cum solo mandato ad vendendum potest pacisci etiam super accessorio ad venditionem, et adducitur exemplum.*
11. *Procurator non dicitur inclusus in facultate sibi concessa de vendendo, nisi essent duo Procuratores in solidum, et unus alteri venderet, et quid dicendum de tutore administratore, etc.*
12. *Procuratore ad vendendum constituto cum solemnitatibus loci, non est necessarium, quod procurator in actu venditionis iterum adhibeat solemnitates.*

CONSULT. XXVIII.

Quoniam frequenter occurrere solet, ut emere, aut vendere volentes per se ipsos non accedant ad explendum actus praedictos, vel ob defectum voluntatis, vel propter aliquam justam, et rationabilem causam, sed ad dictos effectus constituant, mittantque procuratorem, propterea non ab re censui hic aliqua adnectere de procuratore ad emendum, seu vendendum constituto.

Dico igitur primo, quod procurator ad emendum constitutus, si emat nomine proprio, quinimmo etiam de pecuniis pro-
1. priis, licet interim rei dominium sibi acquirat, et faciat fructus suos, ut docent *Surd. Leotard.*, *ac alii infra* citandi, tamen contra eum agere potest mandans actione personali ad hoc, ut mandatum expleat,
2. et rem emptam tradat ei, refuso pretio soluto, si constat de mandato, ut fuit dictum in consult. 1. n. 21., et nunc ea quoque suadetur ratione, quia alias nimis durum videretur, quod in procuratoris arbitrio esset post susceptum mandatum, nomine proprio emendo, et rem penes se retinendo venditorem deludere, essetque contra prima juris principia statuentia liberum quidem procuratori esse mandatum suscipe-
3. re, vel recusare, sed post susceptum, cogi posse ad eum executioni mandandum, quod adeo verum est, ut libentissime admittunt D. D. procuratorem nec minus liberari praestando interesse quoties rem emptam tradere potest, ea solidissima ducti ratione, quia cum interesse, ad quod tenetur procurator, qui mandatum non exequutus fuit, succedat loco rei, frustra praestaretur id, quod loco rei principalis succedit, quando res ipsa praestari potest, et pro horum omnium comprobatione videnda sunt docte de more adducta per *Surd. decis.* 304. *n.* 4., *et per tot. Marin. resol.* 293. *n.* 5. *par.* 1. *Leotard. de usur. quaest.* 33. *n.* 24., *et seq.*

Dico secundo, quod procurator emens nomine domini, vel simpliciter (quo casu censetur pariter emisse pro domino) mandanti tenetur rem emptam tra-
4. dere una cum omnibus fructibus perceptis, esto etiam quod procurator de propriis pecuniis solvisset, alias fructus essent imputandi in sortem, ut ponderat *Leotard. de usur. d. quaest.* 33. *n.* 24., *et seq.* ubi eam adducit rationem, quia pecunia, quae sterilis est, non potest producere fructum, nisi ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, probatis requisitis necessariis (quicquid sit ubi procurator expresse pro se acquisivit, quia tunc fructus restituere non debet ut fuit dictum supra) et mirabiliter conferunt tradita per *Rot. Bonon. coram doctissimo Viro D. Jo. Paulo Borello Cive meo, impress. post consult. Urceol.* 29. *n.* 44. *ubi alias concordantes habentur.*

Dico tertio, quod procurator constitutus ad emendum ex. gr. domum, in qua ipse habeat ali-
5. quam portionem, si mandatum acceptat tenetur etiam eam mandanti dare pro pretio judicis arbitrio declarando, si aliorum partes emit, ut optime ponderat *Menoch. de arbitr. jud. cas.* 143. *n.* 4. *Gratian. discept. for. cap.* 207. *n.* 31., *et*

cap. 160. *n.* 4. *Surd. decis.* 304. *n.* 10. ubi eam adducit rationem, quia procurator acceptando mandatum, videtur etiam consentire, quod in sua portione fundus efficiatur mandantis.

Dico quarto, quod procurator ad emendum si post expletam emptionem nomine mandantis, rem emptam alteri carius venderet,
6. posset mandans, si ita ei magis placeret, praetendere, ac consequi totum pretium a procuratore receptum, ea ratione, quod sicuti deterioratio rei, si esset sequuta, in hoc casu spectaret ad mandantem, ita, et commodum, ac utilitas eum pariter sequi debet, ut docet *Duran. decis.* 16. *n.* 2., *et* 3. *par.* 1. cum ibi congestis. Lucrum enim tunc demum dici posset ad procuratorem spectare, quoties appareret ei concessum fuisse mandatum ad emendum pro certo pretio ex. gr. pro centum, et ipse minus impendisset, nam tunc illud,
7. quod remaneret utique crederem cedere debere commodo procuratoris, ut docte firmavit *Rot. rec. decis.* 157. *n.* 21. *par.* 12. ubi quod secus esset si pretium non fuisset in mandato taxatum, et pro praedicta propositione ea mihi videtur urgere efficacissima ratio, quod cum procurator, cui in mandato taxatum fuerat pretium, posset illud integre venditori solvere, ideo si minus impendat, totum cedere debet ipsius commodo, tanquam fructus propriae industriae, quod etiam videtur de mente mandantis eo ipso, quod certum pretium in mandato taxavit.

Dico quinto quod, procuratore ad vendendum constituto, ei re-
8. cte fieri potest pretii solutio, et emptor ei solvendo remanet liberatus, ut dixit *Gargier. decis. for. Mercat. Bonon. decis.* 48. *per tot. tom.* 1. *lib.* 3. quinimo quod dictus procurator possit etiam habere fidem de pretio, si in mandato ei concessa sit facultas apponendi pacta, et conditiones sibi bene visas, et faciendi quicquid si-
9. bi placuerit firmavit *Rota post Merl. de pignor. decis.* 117. *n.* 5. quicquid sit si esset constitutus procurator ad vendendum praesente pecunia, vel pro certo limitato pretio, ut distinguendo dixit Rot. supra allegat., vel ubi quis esset constitutus procurator ad vendendum rem Ecclesiae, minoris, et similium, in quibus casibus certum est fidem de pretio neutiquam haberi posse, et si secus fiat dominium in emptorem non transferri ut ponderat *Altograd. lib.* 1. *cons. n.* 54., *et seq.*, et conferunt tradita in *consult.* 2. *§. fin.* immo quod in hoc casu etiam contra procuratorem procedi possit late scripsit *Sanelic. decis.* 178. ubi loquitur in casu in quo emptor certi frumenti erat decoctus.

Dico sexto, quod procurator cum solo mandato ad vendendum ul-

tra contractum venditionis, po-
10. test etiam pacisci super accessorio ad venditionem, et hujus propositionis ea adducitur ratio, quia mandata semper censentur concessa ad ea, quae veniunt consecutive, et dependenter ut edocet *Rot. decis.* 461. *n.* 11., *et seq. par.* 14. *rec. cum ibi congestis*, ubi ait quod propterea procurator potest obligare dominum ad recipiendum aquas fundi venditi altioris, et cohaerentis aliis bonis domini mandantis. An autem Procurator ad vendendum ultra facultates praedictas, possit etiam sibimetipsi vendere, sicque an ipse dici possit inclusus in facultate sibi concessa de vendendo, hanc quaestionem examinat *De Marin. resol.* 293. *n.* 1., *et* 2. *part. prim.*, et dubium negative resolvit, etiam quatenus procurator emisset per
11. interpositam personam, subdens tamen quod si duo procuratores in solidum essent constituti ad vendendum, unus alteri vendere posset, et generaliter, quod procurator, tutor, administrator, executor testamentarius, et similes, prohibeantur emere rem aliquam ejus, cujus bona administrant, est regula *in l. si in emptione §. fin.*, *et l. non licet ff. de contrahen. empt. et ponderat Salgad. Laby. cred. par. prim. cap.* 13. *§.* 2. *n.* 1., *et seq.* ubi quomodo haec regula generalis procedat.

Denique pro complemento hujus consultationis, superius adductis addi meretur alter casus, quem examinat *Rot. post Merl. de pignor. decis.* 117. *n.* 2., *et* 3. utpote in praxi frequentissimus, et est quod si ab aliqua persona, quae contrahere non possit nisi cum certis solemnitatibus, constituatur procurator ad vendendum, serva-
12. tis in hoc actu solemnitatibus necessariis in loco stipulati mandati, non est necessarium, quod iterum procurator in actu venditionis adhibeat solemnitates, etiam si venditio fieret in alio loco.

ARGUMENTUM.

Emptor solvens pretium rei emptae creditoribus anterioribus venditoris, etiam sponte, an sit tutus a posterioribus, etiam non reportata cessione jurium, et quid si solutio esset facta partim anterioribus, et partim posterioribus creditoribus, vel ipsi venditori, qui deinde creditoribus solveret, et an emptor in hoc casu obnoxius sit juri offerendi, cum aliis circa hanc materiam, de quibus in summario.

SUMMARIUM.

1. *Emptor solvens pretium conventum creditoribus anterioribus venditoris, vel eadem debita in se accollans, est tutus a posterioribus.*
2. *Et hoc etiam procedit favore*

domini census ementis fundum censitum.

3. *Et rursus procedit etiam nulla reportata jurium cessione.*

4. *Cessio enim praedicta est necessaria ad effectum agendi, non vero ad effectum excipiendi, et retinendi.*

5. *Venditore expresse non contradicente, emptor potest sponte solvere creditoribus, et creditores debent solutionem recipere.*

6. *Creditores in actu solutionis cedere debent jura talia qualia.*

7. *Alias locus esset deposito, quo facto, et creditoribus notificato, cessio praedicta haberetur pro facta.*

8. *Emptor solvens creditoribus, quos ipse credebat anteriores, non est tutus, si re vera tales non sint, sed anteriores hypothecarii detegantur.*

9. *Et idem juris est, quando solutio est facta partim anterioribus, et partim posterioribus, in hoc enim casu anteriores praetendere possunt immissionem pro indiviso insimul cum emptore.*

10. *Ubi tamen res est individua, locus non est praedictae immissioni.*

11. *Emptor si reportavit cessionem jurium a creditoribus anterioribus potest se opponere dictae immissioni.*

12. *Emptor solvens posterioribus non est tutus, etiam si emerit sub hasta.*

13. *Limita tamen ubi omnes creditores certi fuerunt citati, incerti vero generaliter, et per proclama.*

14. *Vel ubi emptor ante emptionem publicare fecit proclama, quod quicumque vult contradicere venditioni illius fundi debeat infra certum tempus comparere, etc.*

15. *Emptor solvens pretium venditori libere, non est tutus quamvis venditor dictum pretium exbursaret creditoribus anterioribus.*

16. *Unde datur pro cautela emptoribus, ut pretium solvant, vel creditoribus venditoris, vel etiam ipsi venditori, sed ei precise in limine contractus iniuncto onere, ut dictum pretium solvere debeat creditoribus anterioribus.*

17. *Debet tamen in hoc ultimo casu constare quod eadem pecunia venditori soluta, pervenerit ad creditores anteriores.*

18. *Secundus vel alius creditor potest praetendere praelationem contra emptorem, qui solvit creditori anteriori.*

19. *Dummodo tamen emptori praedicto refundatur pretium solutum, nec non omne augmentum a natura, vel ab homine proveniens.*

20. *Venditor cum pacto redimendi si vult redimere, debet ipse quoque offerre omne incrementum praedictum.*

CONSUL. XXIX.

Licet tuta, et optima sit cautela, quam D. D. communiter tradunt, ad hoc ut ementes res hypothecis involutas possint illas pacifice retinere adversus creditores posteriores debitoris

veudentis, ut scilicet pretium
conventum ejus creditoribus
1. anterioribus solvant, vel ea-
dem debita anteriora per ac-
collationem in se suscipiant per
Text. in l. si potiores 3. *et ibi
glos. in verbo successisti C. de
his qui in prim. loc. success. Ro-
tae in Imolen. Salviani decis.*
576. *n.* 7., *et* 8. *par.* 5. *tom.*
2. *rec. Mantic. decis.* 69. *n.* 1.
et 3. *Urceol. consult. for. cap.*
4. *n.* 38., *et* 40. ubi ait quod
etiam dominus census emens
2. fundum censitum acquirit su-
per eo jura ad effectum exci-
piendi, et retinendi *Merl. de
pignor. lib.* 4. *tit.* 2. *quaest.* 44.
n. 8., *et seq. et quaest.* 190. *n.*
3., *et seq. Mangil. de evict.
quaest.* 47. *n.* 18. *Arias de Me-
sa var. resol. lib.* 1. *cap.* 17.
n. 8. Et hoc certum sit recte
3. procedere posthabita penitus di-
stinctione, an a creditoribus re-
portata fuerit jurium cessio,
nec ne, ut ponderat *Calvin. de
aequit. lib.* 3. *cap.* 220. *n.* 4.
ad 8. *Thesaur. quaest. for. lib.* 2.
quaest. 30. *n.* 2. *Merl. de pign.
lib.* 4. *quaest.* 44. *n.* 15., cum
talis cessio solum sit necessa-
ria ad effectum agendi actione
hypothecaria, non vero ad hoc
ut emptor possidens retinere
possit contra posteriores cre-
ditores ut edocet *Merl. de pi-
gnor. d. lib.* 4. *tit.* 2. *quaest.* 76.
n. 19. *Calvin. supra n.* 9. *A-
mat. part. prim. resel.* 7. *n.* 47.
Rot. rec. decis. 324. *n.* 20. *par.*
9. *tom.* 2. et etiam quatenus
in instrumento nullum legere-
tur pactum inter emptorem,
et venditorem de solvendo cre-
ditoribus anterioribus, quia ven-
ditore expresse non contradi-
cente, emptor potest sponte
5. solvere, et creditores tenentur
solutionem recipere, tanquam
ipsis non praejudicialem, ut
dixit *Urceol. consult. for. cap.*
4. *n.* 6. quinimo verisimilius
sit, quod in tali casu credito-
res in actu solutionis cedere
6. debeant jura talia qualia, dum-
modo contra se ipsos non re-
torqueantur, ut dixit *Gratian.
discept. for. cap.* 686. *n.* 10.
Merl. de pign. lib. 4. *quaest.* 61.
n. 4. *et quaest.* 48. *n.* 8., *et* 10.
ubi quod alias locus esset de-
posito, quo facto, et credito-
7. ri notificato, cessio jurium ipso
jure pro facta haberetur ad
favorem emptoris cum subin-
gressu ex fictione juris in ju-
ribus creditorum.

Licet inquam haec omnia in se
verissima sint, et optimo jure
procedant, sciendum tamen est,
quod multi sunt casus, in qui-
bus locum non habent.

Et primus casus est, quando pre-
tium ab emptore debitum so-
lutum fuit creditoribus, quos
ipse credebat anteriores esse,
sed re vera tales non erant,
emptor enim rei pluribus hy-
pothecatae, et ex pretio di-
mittens certos creditores, non
est securus ab anterioribus hy-
8. pothecariis, sed hypothecaria
actione conveniri potest, cum
eorum jus non remanserit e-
xtinctum per solutionem fa-

ctam posterioribus, ut ponderat *Sabell. var. resol. cap.* 19. *n.* 3. *Olea de cess. ju. tit.* 4. *quaest.* 2. *n.* 19., et idem prorsus juris est quoties apparet solutionem fuisse factam partim anterioribus, et partim posterioribus creditoribus, nam
9. tunc pariter certum est emptorem posse conveniri ab anterioribus pro rata posterioribus soluta, et anteriores praetendere posse immissionem pro indiviso insimul cum emptore pro dicta rata si res est talis, quae penes plures personas stare possit ut optime dixit *Rota decis.* 30. *n.* 39. *part.* 10., *et decis.* 318. *n.* 27., *et* 28. *part.* 6. *rec. Merl. de pignor. lib.* 4. *quaest.* 44. *n.* 16., *et seq.*, *et lib.* 5. *quaest.* 77. *n.* 37. secus vero si res sit individua, et talis, quae non possit stare penes plures personas, quia tunc
10. locus non esset praedictae immissioni, sed creditor secundus deberet primo satisfacere, et rem totam acquirere ad sensum etiam *Merl. de pignor. d. quaest.* 44. *n.* 25. vel ubi emptor in actu solutionis anterioribus creditoribus sibi praecavisset ab eis reportando cessionem jurium, in hujusmodi e-
11. nim hypothesi pro meo judicio videtur, quod emptor recedendo a contractu (quod ei permittitur, quando invenit rem emptam non liberam ut fuit dictum in consult. 14.) possit induere personam dictorum creditorum, et potius praetendere rem subhastari, et sibi satisfieri, quam praedictam immissionem pati, quemadmodum hoc facere possent creditores, ut de se patet.

Et quamvis quantum ad id, quod superius diximus de solutione facta creditoribus, ut securum emptorem non reddat, si anteriores detegantur, aliqui contrarium sentire videantur, ubi agitur de emptione ad publicam hastam, ea ducti ratione, quod hujusmodi emptores sub fide publica fraudari non debent; nullatenus tamen etiam in hac hypothesi verior videtur sententia, quod emptor solvens
12. creditoribus posterioribus venditoris nequaquam remaneat liberatus, quoniam etiam in hoc casu urget illa efficacissima animadversio, quod per solutionem factam posterioribus jura anteriorum non remanserunt extincta, et adversariorum sententia tunc procedere posset semper quod appareret omnes creditores certos specialiter fuisse citatos, incertos vero generaliter, et per proclama, quo-
13. niam tunc utique pro meo judicio applicaretur ex adverso adducta ratio, et creditores deberent sibi imputare, si legitime citati non accessissent ad jura sua deducendum, ut docte animadvertit *Olea supra citat. d. tit.* 4. *quaest.* 2. *n.* 27., *et seq.* ubi contrariis respondet, et conferunt tradita per *Sabell. var. resol. cap.* 19. *n.* 19., *et seq.* ubi emptoribus dat

pro cautela, ut emant ad ha-
stam, et faciant, ut per judi-
cem publicetur proclama, quod
quicumque vult contradicere
venditioni illius fundi, et super
14. eo aliquid praetendere, de-
beat infra certum tempus com-
parere, et jura sua deducere,
alias amplius non audietur; tunc
enim ait emptorem tutum es-
se, etiam si ex post detegantur
creditores anteriores, qui non
interfuerint subhastationi.

Secundo declarantur praedicta,
ut nòn procedant quoties appa-
reat pretium inter partes con-
ventum nequaquam per empto-
rem solutum fuisse creditoribus
venditoris, sed in manibus e-
jusdem venditoris libere, et
absque pacto, ut illud erogari
deberet in satisfactionem cre-
ditorum anteriorum fuisse ex-
bursatum, tunc enim commu-
ni ore respondent D. D. quod
15. quamvis venditor dictum pre-
tium solveret creditoribus an-
terioribus, inde tamen non pos-
set emptor praetendere reten-
tionem adversus alios vendito-
ris creditores, ea evidenti su-
perinnixi ratione, quia emptor
tradendo libere pecuniam ven-
ditori, in eum transfert illius
dominium, idcirco quamvis po-
stea venditor, ex eadem pecu-
nia satisfaciat creditoribus, hu-
jusmodi tamen solutio in nihi-
lo suffragatur emptori, cum
venditor in tali casu dicatur
solvere de propria pecunia, ut
docte docet *Rota post Merl. de
pign. decis.* 93. *n.* 12., *et in
rec. decis.* 324. *n.* 22. *part.* 9.
tom. 2., *et par.* 14. *decis.* 259.
n. 5., *et* 6. Unde rebus ita se
habentibus cauti omnino, ac
solertes esse debent emptores,
dum ad emendum res hypothe-
cis involutas accedunt, solven-
do scilicet pretium conven-
tum, vel creditoribus anteriori-
16. bus venditoris, vel etiam ven-
ditori, sed ei praecise iniuncto
onere, (et quidem in ipso li-
mine contractus, et antequam
pecuniae dominium transeat in
venditorem, ut in simili dixi-
mus in consult. 2. n. 4.) ut pre-
tium solvere debeat creditoribus
anterioribus ad effectum in eo-
rum locum subintrandi, quia
etiam in hac ultima hypothesi
procul dubio erunt tuti dum-
modo de facto dictum pretium
in individuo ad anteriores cre-
ditores pervenerit ut ponderat
Thesaur. quaest. for. 30. *n.* 5.
usque ad finem lib. 2. *Anton.
Fab. in Cod. lib.* 8. *tit.* 9. *defi-
nit.* 3. *in fine*, et in terminis
census extincti per venditorem,
non voluntarie, sed coacte, in
vim scilicet pacti inter empto-
rem, et venditorem, quod ex
pretio soluto extinguatur cen-
sus super re vendita impositus,
ad effectum illam retinendi con-
tra posteriores, quod in tali
casu extinctio suffragetur em-
ptori ad effectum retinendi su-
stinet *Urceol. consult. for. cap.*
4. *n.* 38., *et* 40. in quo loco
17. alia etiam circa hanc mate-
riam adducit, et signanter, quo-
admodum probandi identita-

tem pecuniae, et an sit necessarium, quod creditores habeant scientiam pacti praedicti initi inter emptorem, et venditorem.

Tertio denique superius adducta limitantur, ut locum non habeant semper, quod secundus, vel alius venditoris creditor velit, ac petat per jus offerendi
18. praeferri, in hujusmodi enim themate concludunt de hac materia scribentes, quod emptor, qui ex privato contractu acquisivit, nequaquam tutus sit quamvis pretium solutum fuerit creditoribus anterioribus, ut post multos qui adduci possent dixit *Sabell. var. resol. cap.* 19. *n.* 2, et hoc ea quoque pro meo judicio comprobari potest ratione, quia cum emptor praedictus a secundo, vel alio creditore pulsatus, nequeat se defendere nisi ex eo, quod satisfecerit primo creditori, sicque quodammodo primi creditoris personam repraesentando, seu induendo, propterea sicuti primus creditor non esset tutus a jure offerendi, ita, nec emptor securus esse debet. Veritas quidem est, quod ad effectum, ut in proposito contra emptorem procedi, ac obtineri possit, illud omnimode est necessarium, ut scilicet secundus, vel alius creditor, qui per jus offerendi praeferri intendit emptori praedicto offerat, ac refundat totum, et integrum pretium creditoribus anterioribus solutum, nec non etiam valorem cujuscum-
19. que augmenti, quod cursu temporis a natura, vel ab homine processerit, et hoc ea ratione probatur, quia cum emptor praedictus post emptionem, et solutionem pretii creditori anteriori fiat dominus, licet revocabiliter per jus offerendi, hinc omnis suadet aequitas, quod ratione sui dominii pretium solutum, et etiam omne augmentum praedictum consequatur, ut docte animadvertit *Urceol. consult. for. cap.* 24. *n.* 12., *et seq. Mastrill. decis.* 201. *n.* 17., *et* 18. ubi hoc
20. etiam exemplificat in vendente cum pacto redimendi, qui si redimere cupit, debet offerre omne incrementum a natura, vel ab homine proveniens.

ARGUMENTUM.

Emptor quando debeat esse solicitus de versione pecuniae in causam, ob quam facta fuit venditio, resolvitur in hac consultatione.

SUMMARIUM.

1. *Emens ab ecclesia, vel minore vendente ob causam necessariam, debet esse solicitus de versione pecuniae.*
2. *Secus vero si venditio processit ex causa utili, et contractus est validus.*
3. *Quando agitur de praejudicio tertii, emptor debet esse solicitus de versione pecuniae.*
4. *Et adducitur exemplum.*

5. *Ubi venditio non est facta ab ecclesia, vel minore ob causam necessariam, si tamen onus est iniunctum emptori pro forma, et conditione, emptor debet esse solicitus de versione pecuniae.*
6. *Secus vero si onus iniunctum sit per viam modi.*
7. *Quod tamen an semper procedat declarat Urceol. hic adduct.*
8. *Venditione simpliciter facta, aut etiam cum onere, iniuncto tamen per viam modi, emptor non debet esse solicitus de versione praedicta.*
9. *Emens ab executoribus, qui habent facultatem vendendi pro solvendis legatis, tutus est, si eis exbursavit pretium.*
10. *Quando contractus est nullus, versio pecuniae est probanda ab emptore, ubi vero est validus negativa versionis debet exadverso probari, et quid si initum sit pactum, quod pecunia debeat erogari in certam causam, et non in aliam.*

CONSULT. XXX.

Ad removendas disputationes, quae frequenter oriri solent post celebratum contractum emptionis, et venditionis, ex eo quod pretium inter partes conventum non fuerit conversum in causam in instrumento venditionis expressam, subnectitur propterea hic quaesitum, an, et quando emptor debeat esse solicitus, ut pretium convertatur in causam, ob quam facta fuit venditio, et e contra quando emptor praedictus, pretium libere venditori relaxando, remaneat liberatus, et quia quaesitum ob diversitatem casuum, qui contingere possunt, unica responsione recte definiri non potest, ideo pro clara dubii propositi resolutione, plures firmandae sunt propositiones, ac distinguendi casus.

Primus igitur casus, qui hic adducitur, est quando venditio fit ab ecclesia, vel minore vendente ob causam necessariam, veluti pro extinguendis censibus, aliisve debitis, et in hoc themate, quamvis me non lateat non deesse D. D. ex una parte affirmantes, aliosque ex altera acriter negantes, verior tamen pro meo judicio est af-
1. firmativa sententia, videlicet, quod emptor utique solicitus esse debeat de versione pecuniae in causam expressam, adeo ut si hujusmodi versio non sequatur, emptor nequaquam remaneat liberatus, nec praetendere possit regressum contra minorem, vel ecclesiam, nisi in subsidium, et quatenus facta sit locupletior, ut animadvertit *Magon. decis. flor.* 69. *n.* 13. *Gratian. discept. for. cap.* 45. *n.* 1. 34., *et seq. Add. ad Ludovis. decis.* 511. *in fine Rota post Cenc. de cens. decis.* 8. *n.* 11., *et decis.* 287. *n.* 4., *et* 5. *et in rec. decis.* 497. *n.* 16. *part.* 4. *tom.* 2.; *et decis.* 382. *part.* 15., *et prius decis.* 104. *n.* 5. *eadem part.* 15., et cum hac sententia tanquam veriori per-

transeunt etiam *Sperell. decis.* 154. *n.* 98., *et Merl. decis.* 219. *n.* 13. ubi aliis relatis hanc nostram cum adversariorum sententia conciliando asserunt, et constantissime sustinent, quod ubi contractus cum ecclesia, vel minore processit ex causa necessaria, tunc qui cum illis contraxit debet esse solicitus de versione pecuniarum, quando
2. vero processit ex causa mere utili, et in tali casu ipsi quoque cum adversariis fatentur emptorem nequaquam solicitum esse debere de versione praedicta, dummodo tamen contractus validus, ac subsistens sit, alias enim si contractus esset nullus, emptor, qui non ostenderet versionem pecuniae in utilitatem minoris vendentis non esset tutus, quantumvis venditio fuisset facta ex causa tantum utili ex juribus supra congestis.

Secundus casus contingit quoties contractus emptionis est initus cum persona, de cujus interesse tantum non agitur, sed respicit, ac tangit commodum, ac beneficium etiam aliorum, utpote si quis venderet pro extinguendis debitis, vel pro alia re simili, quae respiceret commodum, ac interesse ejus filiorum, vel alterius tertiae personae, et tunc pariter communi ore respondent D. D.,
3. quod utique emptor debet esse solicitus de versione pecuniae, ea ratione ducti, quia alias via fraudibus aperiretur, ut edocet *Urceol. de transact. quaest.* 100. *n.* 43. *et decis. flor.* 14. *n.* 23. *Rot. decis.* 36. *n.* 14. *part.* 17. *rec.*, *et decis.* 465. *n.* 22. *part.* 9. *tom.* 2. *rec.* ubi
4. loquitur in terminis venditionis bonorum fideicomissariorum.

Tertius casus est quando contractus venditionis celebratus apparet cum onere investiendi, deponendi, et pretium in certam, et expressam causam erogandi, et non agitur de venditione rei minoris, vel ecclesiae ex causa necessaria, nec versio pecuniae respicit commodum alicujus tertiae personae, sed tantumodo contrahentium, ut aliis exemplis omissis, saepe evenit in mulieribus, quae venditionibus ab eorum viris factis consentiunt, et promittunt emptorem, et bona empta occasione suarum dotium non molestare, dummodo tamen certa pars pretii investiatur, vel aliud quid simile fiat pro cautione dictarum dotium, et in hujusmodi themate receptissima est apud Juristas distinctio, quod aut onus investiendi, vel deponendi iniunctum fuit pro
5. forma, et conditione ipsi emptori, et sic a parte antea, et tunc emptor utique debet esse solicitus de versione pecuniae, quoniam quoties aliquid inductum est pro forma, et conditione, tunc necessaria est illius effectuatio, alias ea non servata actus corruit, et non tenet; aut vero onus praedictum fuit iniunctum per viam

6. modi, et a parte postea, et in
hac hypothesi emptor non de-
bet esse solicitus, ut docte a-
nimadvertit *D. Card.*, *de Luc. de*
fideic. disc. 165. *Andreol. contr.*
240. *n.* 55., *et seq. Merl. de-*
cis. 459. *n.* 18., *et* 19. *Urceol.*
de transact. quaest. 100. *n.* 36.,
et seq. idem Urceol. decis. flor.
14. *n.* 10. 11., *et seq.* ubi ta-
men sub n. 26., et seq. ponit
7. casum, in quo emptor debet
esse solicitus de versione pe-
cuniae etiam quatenus onus es-
set iniunctum per viam modi.

Quartus tandem, ac ultimus ca-
sus, qui in proposito adnotari
meretur, est quando agitur de
venditione simplici, facta sci-
licet absque expressione alicu-
jus causae, in quam sit ero-
ganda pecunia, et in hac hy-
pothesi omni posthabita dubi-
tatione unanimiter concludunt
8. doctores, quod emptor neuti-
quam solicitus esse debeat de
versione pecuniae, et recte ap-
plicatur vulgata apud Juristas
regula, quod solvens ei, cum
quo contraxit, remanet libera-
tus, de qua regula est *Text.*
in l. filius C. de pact. eamque
comprobat *Surd. decis.* 60. *n.*
8., *et decis.* 229. *n.* 8. 10., *et*
11., et in terminis *Urceol. de-*
cis. flor. 14. *n.* 9., *et* 10. et
conferunt etiam tradita per
Surd. supra citat. decis. 156. *n.*
3. ubi ait, quod emens ab e-
9. xecutoribus, qui habent licen-
tiam vendendi pro solvendis le-
gatis, tutus est si pretium dic-
tis executoribus exbursavit.

His autem positis si quis scire
cupiat pro pleniori hujus pun-
cti cognitione, an in illis casi-
bus, in quibus emptor debet
esse solicitus de versione pecu-
niae in causam, ob quam fac-
ta fuit venditio, an inquam
tunc emptori onus incumbat pro-
bandi supradictam versionem,
vel potius negativa versionis sit
exadverso probanda, difficultas
ea distinctione recipit decisio-
nem, quod aut contractus nul-
litatis vitio est affectus veluti
quia deficiant solemnitates, et
in hujusmodi casu versio pecu-
niae utique est probanda ab
emptore, aut vero contractus
10. nullitatis vitio non subiicitur,
sed validus est, et tunc cum
emptor ob hujusmodi validita-
tem habeat praesumptionem pro
se, ideo verior sententia est,
quod non teneatur praedictam
versionem probare, sed quod
negativa versionis sit ex adver-
so probanda, prout distinguen-
do docte firmavit *Rota decis.*
64. *part.* 18. *tom.* 1. *rec. n.* 2.
et seq., et prius dixerat coram
Ottobon. decis. 124. *n.* 5. 6. *et*
7. ex quibus propterea infer-
tur, quod si inter partes con-
ventum sit, quod pretium ero-
gari debeat in certam, et ex-
pressam causam, veluti in ex-
tinctionem debiti, et non in a-
liam, vel decretum esset inter-
positum a judice sub conditio-
ne, ut cum pecunia extingue-
retur aes alienum, et non a-
liter, nec alio modo, tunc pa-
riter munus emptoris esset pro-

bandi versionem, quoniam donec ostenderetur dictam formam impletam fuisse, videretur decretum pro non interposito, et consensum pro non praestito habendum esse, sicque recte applicaretur primum membrum distinctionis adductae, ut in allegat. decis. latius videre est.

ARGUMENTUM.

Late examinatur quaestio, an jus praelationis competat vicino, consorti aliisque similibus super re vicina, vel communi vendenda, aut vendita, et alia quoque adducuntur circa materiam praelationis, de quibus in summario.

SUMMARIUM.

1. *Adducuntur, et reiiciuntur D. D. qui asserunt vicino, et consorti competere jus praelationis super re vicina, et respective communi.*
2. *Nemo invitus de re sua aliquid facere cogitur.*
3. *Frater nec minus tenetur vendere rem paternam alteri fratri.*
4. *Agnato successori datur praelatio quando venditur feudum haereditarium extraneo.*
5. *Item domino directo quando per emphyteutam venditur utile dominium.*
6. *Consors dicitur habere participationem dominii, etiam si esset consors tantum in minima parte.*
7. *Agnatus successor non praefertur quando venditur feudum haereditarium secundum veriorem sententiam.*
8. *Assignatur ratio, ob quam datur praelatio domino directo, aliisque, et non datur vicino, et consorti.*
9. *Ut vicinus, et consors praeferatur necessarium est ad hunc effectum aliquod statutum, vel constitutio.*
10. *Vigente autem statuto super jure congrui eo modo, quo hic supponitur, clerici sub eo comprehenduntur etiam passive.*
11. *Adducuntur, et declarantur D. D. contrarium sentientes.*
12. *Stante statuto super jure congrui si fiat venditio ad tempus, vel cum certo onere, et conditione, quomodo habeat locum retractus.*
13. *Quando res vendita est a vicino divisa per viam publicam, vel flumen, non habet locum dictum statutum.*
14. *Limita tamen quando quis est conjunctus vicino per pontem, vel agitur de via vicinali, aut simplici aquae rivo.*
15. *Si consors, vel vicinus a venditore requiratur, an velit emere, et respondeat, quod non, aut negligat jure suo uti per* 30. *annos, non habet amplius locum statutum.*
16. *Vicinus, consors, ac alii, qui petunt praeferri, debent solvere, vel deponere justum pretium, hoc tamen intelligendo dummodo pretium sit certum.*
17. *Vicinus, qui vult retrahere quo-*

modo debeat probare rei suae dominium.

18. *Ei qui habet dominium rei vicinae, licet revocabiliter, competit jus retrahendi.*

CONSULT. XXXI.

Cum essem pro veritate requisitus de meo animi voto circa
illam quotidianam, ac controversam quaestionem, videlicet
an jus congrui, seu praelationis sit concedendum vicino,
consorti, aliisque similibus super re vicina, vel communi
adhuc indivisa per alium vicinum, vel socium vendita, aut
vendenda, breviter cum sensu pariter veritatis respondebam
malam, et omnino reiiciendam esse sententiam illorum, qui
dictum jus praelationis vicino,
1. et consorti competere asserunt,
quos refert, et sequitur *Rocc. de mercat. respons.* 8. *num.* 4. *tom.* 2., et ad ita firmandum
movebar, quoniam nedum in praedictam sententiam euntes
nullam legem scriptam pro eorum intentionis fundamento ostendere possunt, uti exigeretur ad effectum ligandi hominum libertatem, quam a natura habent de rebus suis ad
libitum disponendi; verum etiam contra eos extant apertissimae juris civilis sanctiones, et signanter est *Textus in l. dudum C. de contrahen. empt.* *ubi quod gravis videtur injuria, quae inani honestatis colore vela-*
2. *tur, ut homines de rebus suis aliquid facere cogantur inviti,* et facit etiam *Text. in l. falso C. de commun. rer. alienat. juncta glos. in verbo persuasum*, ubi Imperator sic ait *falso tibi persuasum est communis praedii portionem pro indiviso antequam communi dividundo judicium dictetur tantum socio, non etiam extraneo posse distrahi* idemque probatur per *Text. in l. portionem eodem tit. ubi glos. in verbo pretio*, et docte ponderant *Menoch. cons.* 666. *n.* 1., *et seq. lib.* 7. *Honded. cons.* 3. *n.* 14., *et cons.* 52. *n.* 53. *vol.* 1. *Gratian. discept. for. cap.* 546. *n.* 1. *ad* 6., *et cap.* 978. *n.* 18. *Michalor. de frat. part.* 3. *cap.* 36. *n.* 50. ubi quod nec mi-
3. nus frater tenetur vendere rem paternam alteri fratri, nisi suppositis statutis super jure congrui, et latissime D. *Corradin. eximius in Curia Romana Advocatus in suo tractatu de jure praelat. quaest.* 34. *n.* 4., *et seq.*

Neque contra haec fundamenta obstare mihi videbatur ponderatio, quod ea ratione, qua agnato successori datur prae-
4. latio, quando venditur feudum haereditarium extraneo per *Text. in cap.* 1. §. *porro qualiter poterat olim feud. alien., et aliis juribus congest. docent Mastrill. decis.* 8. *n.* 1., *et* 2. *Rocc. de mercat. respons.* 8. *n.* 1. *ad* 3. *tom.* 2. *Sanfelic. decis.* 100. *n.* 12., *et seq.* nec non etiam
5. domino directo quando per emphyteutam venditur utile dominium ex literali dispositio-

ne *legis final. C. de jur. emphyt.*, ita etiam verisimilius videatur eamdem praelationem competere saltem consorti, cum ipse dicatur habere participationem dominii, etiam si esset
6. consors tantum in millesima, et minima parte, ut animadvertit *Gratian. discept. for. cap.* 526. *n.* 2., *et seq.* Quoniam pro totali hujus obiecti eliminatione respondebatur, quod quicquid esset de propositione superius adducta circa punctum praelationis, dum venditur feu-
7. dum haereditarium extraneo, contra quam acerrime pugnat *D. Corradin. de jur. praelat. quaest.* 35., et alii, quos ipse cumulat, respondebatur inquam inter praedictos casus diversam, et omnino extraneam militare rationem, atque adeo ab uno ad alium non bene fieri illationem ex juribus vulgatis; diversitas autem ex eo praecipue resultare dicebatur, quia ideo firmarunt aliqui D. D. Agnato successori, et domino directo competere jus praelationis, quando venditur feudum haereditarium extraneo, et domi-
8. nium utile respective, quia pro istis reperitur aliqua lex scripta ad eorum favorem disponens, prout quoad dominum directum extat litteralis dispositio *allegat. l. fin. C. de jur. emphyt.*, *et pro Agnato successore* adducunt D. D. *Text. in cap.* 1. *§. porro qualiter poterat olim. feud. alien.*, *et in cap.* 1. *§. sed, et res per quos fiat investit.*; in hoc autem nostro themate tantum abest, quod aliqua lex in corpore juris reperiatur, quae ad favorem vicini, et consortis disponat, quinimo totum oppositum ex juribus supra cumulatis resultat.

Rebus itaque sic stantibus prout jure communi inspecto revera ita se habent, conclusionem ex praedictis irrefragabilem inferebam, quod ad effectum tribuendi jus praelationis vicino, et consorti, illud omnino necessarium erat, ut ostenderetur aliqua lex particularis, quae ita mandaret, prout mul-
9. tis in locis extant leges municipales, quibus statuitur, ut nulla persona possit rem aliquam immobilem vendere, nec alio modo inter vivos alteri alienare, nisi consortem, vel vicinum medio jure requirat ad emendum, et per certum tempus expectaverit ad hoc ut ipse consors, vel vicinus deliberare possit, an velit emere nec ne, alias venditio aliter facta non teneat, et consors, vel vicinus possit rem venditam ab emptore retrahere pro pretio justo, etc. In hujusmodi enim casu jus praelationis competere vicino, et consorti (salvis tamen limitationibus, seu declarationibus infra adducendis) communi ore testantur doctores, ut aliis omissis videre est apud *Michalor. de frat. d. part.* 3. *cap.* 36. *n.* 50., et in fortioribus terminis animadvertit *De Marin. resol. par. prim. cap.*

55. *n.* 7. ubi, rationibus et
10. concordantibus cumulatis, su-
stinet, quod sub praedicto sta-
tuto comprehenduntur clerici
active etiam passive, *et cap.*
44. *par.* 2. *n.* 8. ubi satisfacit
contrariis, et fere innumeros
congerit; et licet *D. Card. de
Luc. de servit. ad mater. retract.
disc.* 71. a sententia Marini dis-
crepare videatur quoad id,
quod fuit dictum de clericis,
ejus tamen doctrina pro meo
judicio nullum obicem praestat,
11. quia ipse non loquitur in ter-
minis superius adducti statuti,
sed in hypothesi, quod solum
statutum concedat jus retrahen-
di ab emptore, sicque tantum-
modo tangat personam empto-
ris, non vero substantiam actus,
et personam venditoris.

Declarationes autem, quarum su-
pra mentionem fecimus, et quae
regulariter adduci solent ad
propositionem superius firma-
tam in terminis praedicti statu-
ti, sunt: primo, ut non proce-
dat quoties agitur de venditio-
ne non libera, sed cum aliquo
onere, et conditione concepta,
ut dicitur de venditione cum
pacto redimendi, et ad vitam;
in hujusmodi enim themate li-
cet verissimum sit, quod do-
nec res penes emptorem exi-
stit competit vicino, ac con-
sorti jus retrahendi contra eum-
dem emptorem, aeque tamen
certum est, quod per hoc non
praecluditur via venditori rem
redimendi, aut avocandi sequu-
ta emptoris morte, quoniam
in quemcumque transeat res
vendita, semper transit cum o-
nere suo, et dicta conditione
affecta, ut ponderat *Tiraquell.
de retract. convent.* §. 1. *glos.*
7. *n.* 1., *et* 1. 2. *glos.* 1. *in
princip. Gratian. discept. for. cap.*
978. *n.* 8., *et seq.*

Secundo declaratur praedicta pro-
positio, ut non procedat in hy-
pothesi, quod res vendita, aut
vendenda, sit a vicino divisa
13. per viam publicam, vel flu-
minis intermedium, tunc enim
cum vicinitas vere, et proprie
non adsit, ideo nec dicta di-
spositio statuti locum habere
potest, ut bene animadvertit
Afflict. decis. 62., *et ibi Ursill.*
ubi tamen hoc limitat in via
vicinali, cujus confectionis ex-
14. tet memoria, et in simplici
aquae rivo, quae separationem
non inducunt; subdens etiam
circa finem, quod intermedium
viae publicae, vel fluminis non
obstat, quando quis est con-
junctus vicino per pontem, vel
aliam superficiem.

Tertio non procedit quando con-
sors, vel vicinus extrajudicia-
liter requisiti a venditore, an
velint emere nec ne, respon-
15. derunt quod non, aut tacue-
runt, et negligentes fuerunt
in retrahendo per spacium tri-
ginta annorum, prout circa pri-
mum videre est *Gratian. discept.
for. cap.* 433. *n.* 71., *et* 93.
Magon. decis. 118. *per tot.*, et
pro secundo casu adaptantur
tradita pariter per *Gratian. d.
cap.* 433. *n.* 61., et conferunt

quae docet *Rot. post. D. Card. Albic. de incostan. in judic. decis.* 18. *n.* 20. *et seq.*

Quarto declaratur superius adducta propositio, ut vicinus, consors, ac alii similes praeferri, seu retrahere volentes, non sint audiendi nisi pretium justum solvant, vel deponant; vendens enim coactus a lege
16. regulariter non tenetur habere fidem de pretio, ut in sequenti consultatione dicetur, quod tamen in proposito censeo intelligendum, dummodo ac quatenus pretium rei sit certum, et liquidum, alias si esset illiquidum, sufficeret oblatio certi pretii animo augendi, etc. ut edocet *Carpan. ad Statut. Mediol. cap.* 417. *n.* 593. ubi alia circa hanc materiam habentur.

Quinto declaratur, ut non procedat, quando vicinus qui retrahere intendit dominium rei
17. suae vicinae non probat de tempore factae venditionis per justam, et legitimam possessionem, veluti quia possideret jure pignoris, vel contractus esset foeneratitius; hujusmodi enim probatione non facta, praedictam statuti dispositionem locum non habere fatentur communiter D. D. quos referunt, et sequuntur *Afflict. decis.* 339., *et ibi Ursill. Gratian. discept. for. cap.* 526. *n.* 13., *et seq.* ubi subdit, quod propterea emens a minore nulliter, et debitis non servatis solemnitatibus, rem contiguam eo non interpellato venditam retrahere non potest, cum non dicatur legitimus possessor, quicquid si de eo,
18. qui habet rei dominium licet revocabile, et ad tempus, cui competere jus retrahendi verisimilius videtur, cum vere dicatur dominus licet revocabiliter, ut docet *Gratian. discept. for. cap.* 526. *n.* 54. *ubi concordan.*

ARGUMENTUM.

Plures in hac consultatione adducuntur casus in quibus quis cogi potest ad vendendum, et ad emendum.

SUMMARIUM.

1. *Quoties agitur de bono pacis, vel de publica utilitate, vel necessitate, quilibet cogi potest ad vendendum.*
2. *Declara tamen, ut quoad ecclesiasticos judex secularis ad d. effectum accedere debeat ad Episcopum; et rursus declara, ut nemo sit cogendus pro re, quam pro suo usu habet.*
3. *Pro fabricandis scholis potest quis cogi ad vendendum.*
4. *An autem ad praefatum effectum sufficiat publica utilitas, secundario allegantur materiam examinantes.*
5. *Pro aedificanda, vel amplianda ecclesia, aut ejus atrio, dormitorio, claustro, etc. potest cogi vicinus ad vendendum, si ecclesia indigeat re vicina.*
6. *Et hoc dicitur procedere etiam*

pro ampliatione viridarii, et generaliter quando ecclesia non habet condecentem situm arbitrio boni viri.

7. *Quid autem dicendum sit, ubi ecclesia aliquem cogere vult ad vendendum capellam sui jurispatronatus, in qua habet sepulcrum suorum majorum.*

8. *Vicinus tenetur ecclesiae vendere actionem altius tollendi, si altius tollere noceat ecclesiae.*

9. *Ad hoc ut ecclesia aliquem cogere possit ad vendendum, requiritur ecclesiae necessitas, contiguitas rei emendae, et quod vicino magnum praejudicium non inferatur; licet hoc ultimum judicis arbitrio videatur, remittendum, soluto vicino damnum, quod patitur, ut hic declaratur.*

10. *Item requiritur, quod ab ecclesia fiat actualiter pretii solutio, et hoc est generale quoties quis invitus cogitur vendere.*

11. *Urgente extrema necessitate, potest ecclesia cogere vicinum ad vendendum, habita fide de pretio, si illud prae manibus non habet, nec habere potest.*

12. *Victualibus publice venalibus expositis, potest quis cogi ad illa vendenda.*

13. *Idem dicitur de re posita ad publicam hastam, dummodo subhastatio sit judicialis, et necessaria, vel si est voluntaria in edicto fuit dictum, quod res dabitur plus offerenti.*

14. *In statu ecclesiastico fiscus cogere potest consanguineos, et affines usque ad quartum gradum, et (in eorum defectum, vel impotentiam) communitates ad emendum bona confiscata, eo modo, quo hic explicatur.*

15. *Consanguinei debitorum communitatum cogi possunt ad emendum bona eorumdem debitorum ad effectum satisfaciendi dd. communitatibus.*

16. *Vigore constitutionis Gregorii XIII. super aedif., et jur. congr. aedificare volens, potest cogere vicinum ad sibi vendendum rem contiguam utilem vel necessariam etiam si ad ecclesiam spectaret.*

17. *Inter donantem, et donatarium conclusio irrefragabilis est, ut majorem partem habens, alterum compellere possit ad vendendum etiam si res divisibilis esset, et etiam quatenus minorem partem habens offerret majorem aestimationem.*

18. *Haec tamen conclusio procedit tantummodo inter donantem, et donatarium; in aliis enim casibus devenitur ad licitationem inter possidentes, et qui plus offert obtinet, et si oblationes sunt pares, obtinet qui majorem partem habet.*

19. *Postquam quis a principe jus fodiendi metalla obtinuit, si illa vendere cupit debet praeferre principem, et fiscum.*

20. *Limita tamen, ut hoc non sit extendendum ad favorem domini, cui aliqui dixerunt competere jus praelationis super fructibus a colono perceptis.*

21. *Dominus census, et directus praeferri debent in venditione fundi censiti, et emphyteutici respective.*

CONSULT. XXXII.

Expositis in superiori consultatione rationibus et fundamentis, ex quibus clare convincitur veriorem esse sententiam firmantium consortem, et vicinum non teneri alterum consortem, vel vicinum praeferre in venditione rei propriae, et signanter pro hujus rei comprobatione adducto *Textu in l. dudum C. de contrahen. empt.*, *ubi imperator dixit gravem esse injuriam*, *ut homines de rebus suis facere aliquid cogantur inviti;* nunc remanet ut praedicti textus dispositionem altius ponderemus, quaerendo scilicet, an indistincte vera sit propositio, quod nemo invitus de re sua aliquid facere sit cogendus.

Quod igitur attinet ad hanc quaestionem, sciendum est, quod licet regula generalis in allegato textu firmetur favore libertatis, quam quisque habet a natura, re sua pro sui voluntate utendi, ut etiam totidem verbis disponitur in *Text. in l. nec emere C. de jure deliber.*, nihilominus tamen hujusmodi regula indistincte sibi locum non vendicat, sed multas, et praecipue infrascriptas patitur fallentias.

Et primo limitatur, ut non procedat quoties agitur de bono
1. pacis, vel de publica utilitate, vel necessitate; tunc enim principem, vel ab eo deputatos quemlibet compellere posse ad vendendum justo pretio, communi ore fatentur D. D., et post multos pulchre, et late scripserunt *Gizzarel. decis.* 37. *n.* 3., *et ibi add. n.* 5., *et seq. D. Corradin. eximius in Curia Advoc. in suo tract. de jure praelat. quaest.* 49. *ubi sub. n.* 1. 2. 3., *et* 20. ait quod ad reparandum publicae necessitati, potest quilibet a judicibus, et superioribus cogi ad vendendum victualia, et frumentum,
2. etiam si ecclesiasticus sit, dummodo non molestetur pro ea portione, quam pro suo usu habet, et non unus tantum, sed omnes exuberantes cogantur, et quoad ecclesiasticos judex secularis accedat ad Episcopum, ut clericos in subsidium cogat *Giurb. obs.* 1. *n.* 20., *et* 21. *Cyriac. contr. for.* 231. *n.* 5. ubi quod pro fabricandis
3. scholis licitum est quem invitum cogere ad vendendum *Andreol. contr.* 290. ubi aliam etiam excitat quaestionem, vi-
4. delicet, an sufficiat publica utilitas, secundario, veluti dum agitur de utilitate scholaris doctoris, etc., et alios materiam tractantes adducit.

Secundo limitatur semper, quod controversia venditionis vertat inter ecclesiam, et habentem rem contiguam ecclesiae, in hac etenim hypothesi communis scribentium sententia in eam inclinat partem quod licet ecclesia vicinum cogere non possit ad sibi vendendum jure a-

ctionis, hoc tamen utique potest medio judicis officio, si re
5. vicina indigeat pro edificanda, vel amplianda ecclesia, aut ejus atrio, claustro, dormitorio, etc., et hanc sententiam uti ecclesiae utilitatem respicientem veram, et communem testatur *Angel. in l.* 1. *in fine ff. solut. matrim. Thesaur. filius quaest. for.* 64. *n.* 6. *lib.* 1. *Gratian. discept. for. cap.* 672. *n.* 15. *Gizzarel. decis.* 37. *n.* 7., *et seq. Giurb. decis.* 86. *n.* 3., *et seq.* ubi quod hoc procedit etiam pro ampliatione virida-
6. rii, et generaliter quando ecclesia non habet sufficientem, vel condecentem situm arbitrio boni viri. *Cyriac. contr.* 231. *ubi etiam sub n.* 10. quaerit an pro amplianda ecclesiae sacristia possit quis cogi ad venden-
7. dum capellam sui jurispatronatus, in qua habet sepulcrum suorum majorum *Rot. decis.* 413. *n.* 41. *part.* 12. *rec. Sanfelic. decis.* 307. *n.* 9. *vers. tenetur etiam*, ubi quod si vicinus habet actionem altius tollendi te-
8. netur eam vendere ecclesiae si altius tollere sit ecclesiae damnosum, et multa alia circa hanc materiam adducit idem *Sanfelic. decis.* 413., *et signanter sub n.* 14. ubi tria requisita enumerat ad hoc, ut ecclesia aliquem cogere possit ad sibi vendendum, videlicet quod adsit ecclesiae necessitas, contiguitas rei emendae, et non magnum praejudicium vicino in-
9. feratur (quamvis quod attinet ad hoc tertium requisitum verius videatur, quod concurrente necessitate, et utilitate ecclesiae totum sit remittendum prudentis judicantis arbitrio consideratis considerandis, et soluto vicino damno, quod patitur, ut animadvertit *Giurb. d. decis.* 86. *n.* 14. ubi alios dat concordan.) quibus tamen requisitis alterum censeo super-
10. addendum, videlicet, quod ab ecclesia fiat actualiter pretii solutio ut patet *ex glos. in l.* 1. *verbo necessitatem C. de commun. serv. manumiss.*, *et pulchre dixit Rosa consult.* 22. *n.* 12. *Tiraquell. de retract.* §. 3. *glos.* 3. *n.* 1., et est generalis apud juristas conclusio, quod vendens coactus a lege, non teneatur habere fidem de pretio, nisi gravissima urgeat necessitas, prout in terminis ecclesiae in extrema necessitate existentis, quod possit cogere vicinum ad sibi vendendum habita fide de pretio, si illud ecclesia prae manibus non habeat nec facile habere possit eleganter dixit *Giurb. decis.* 86. *n.* 16. *in fine Rosa dicta consult.* 22. *n.* 15. ubi docet etiam quodnam dicatur justum pretium.

Tertio limitatur praefata regula, ut sibi locum non vindicet quando quis rem aliquam jam venditioni exposuit, et agitur de victualibus publice expositis, vel de venditione ad hastam judiciali, et necessaria, aut etiam de voluntaria, sed in edicto fuit dictum, quod res

dabitur plus offerenti; in his enim casibus amplius poenitentiae locum non esse sine justa causa, et cessare regulas, quod quis in re propria sit moderator, et arbiter, quodque nemo
12. invitus de re sua aliquid facere sit cogendus, quoad victualia est *Text. in l.* 1. *§. cura carnis ff. de offic. Praefecti Urbis, quem refert, et sequitur Capell. Tholos. decis.* 447, *et ibi add.* ubi quod est speciale in victualibus, ut si quis ea publice venalia exposuit oriatur obligatio de vendendo, et aliis congestis sustinet *D. Corradin. dicta quaest.* 49. *n.* 18. quo vero ad venditionem ad
13. hastam eleganter dixit *D. Card. de Luc. lib.* 7. *tit. de empt., et vend. disc.* 3. *n.* 4., *et* 5. ubi distinguendo ait, quod aut subhastatio est judicialis, et necessaria, et tunc cessat poenitentia, etiam si non addantur illa verba, quod res dabitur plus offerenti; aut vero est mere voluntaria, et in tali themate si in edicto exprimitur, quod bona dabuntur plus offerenti pariter non est locus poenitentiae, secus vero si dicta verba non exprimantur, quia tunc qui rem venditioni exposuit potest se poenitere, cum non videatur contraxisse obligationem cum licitatoribus, sed solum id fecisse animo explorandi pretium rei.

Quarto est hic notandum pro ultima limitatione, quod in omnibus illis casibus in quibus, habentur, et adduci possunt constitutiones, statuta, et leges, privilegium, seu jus alicui concedentes alterum cogendi ad vendendum, seu ad emendum, aut alio simili modo hominum libertatem restringentes, tunc utique cessat regula generalis supra posita, ut etiam in praecedenti consultatione tetigimus; unde propterea primo loco infertur, quod quamvis fiscus, jure communi inspecto, neminem cogere possit ad emendum res confiscatas, cum in hoc non sit specialiter privilegiatus, tamen in statu ecclesiastico vigore *Bullae Sixti IV. inter Constit. March. lib.* 1. *cap.* 11. cogi possunt consan-
14. guinei ei, et affines usque ad quartum gradum ex jure canonico computandum, et in eorum defectum, vel impotentiam communitates illorum locorum, ubi bona sunt sita ad eadem bona emendum, ut aliis adductis notat *Conciol. resol. crim. verbo Fiscus resol.* 4. *n.* 3., *et seq.* ubi tamen ait primo loco cogendos esse consanguineos, secundo affines, consanguineis nempe deficientibus, vel non repertis idoneis, ut ultimo loco communitates, *et hoc eodem loco sub. n.* 5. aliam quoque illationem, seu casum, in quo quis tenetur emere invitus i-
15. pse subdit, et est in consanguineis debitorum communitatum, qui cogi possunt ad emendum bona eorumdem debi-

torum ad effectum satisfaciendi dictis communitatibus, et hoc praecipue in vim *Bullae Clem. Octavi relat. per Cohel. ad Bull. bon. regimen. cap.* 44. *n.* 12. ad quem lectorem remitto.

Infertur secundo quod, licet jure communi pariter attento, vicinus praelationem praetendere non possit super re vicina vendita, vel vendenda, eoque minus vicinum ad venditionem rei vicinae compellere, nihilominus vigore *Constit. Gregorii XIII. super aedif., et jur. congr. in ord.* 22. emanat. ad ornatum urbis, res aliter se habet, ut patet ex lectura bullae, et est
16. circa hanc materiam magistralis *decis.* 538. *part.* 13. *rec.*, ubi quod aedificare volens cogere potest vicinum ad sibi vendendum rem contiguam utilem, vel necessariam pro tali aedificio, etiam si res vicina ad ecclesiam spectaret, cum multis aliis scitu dignis circa praedictam bullam, et est quoque de hac re videnda *decisio* 292. *part.* 17. *rec. decis.* 437. *per tot. coram Merl. Coccin. decis.* 308., *et post Pacif. de Salu. decis.* 143.

Infertur tertio, quod facta per aliquem donatione alteri de majori parte alicujus rei ex. gr. unius praedii, poterit donatarius in tali casu compellere donantem ad vendendum, ei offerendo aestimationem mino-
17. ris partis, cum per rotundum *Text. in l. sancimus* 34. §. *ne autem C. de donat.* sit inter donantem, et donatarium statutum, ut majorem partem habens alterum compellere possit ad vendendum etiam quatenus res divisibilis esset, et etiam si minorem partem habens majorem aestimationem offerret, ut post *Bart. Bald. Angel. in d. l. sancimus aliosque, quos congerit doctissime de more sustinet D. Corradin. de jur. praelat. quaest.* 53. *n.* 1. 2. 3., *et seq.* ubi tamen subdit, et mordicus sustinet praedicti textus dispositionem extra casum do-
18. nationis protrahendam non esse, cum sit exceptio a regula juris, quae est in contrarium, et satisfaciendo contrariis ait in aliis casibus deveniendum esse ad licitationem inter ipsos possidentes, ita quod qui plus offert obtineat, et si oblationes essent pares, praeferatur ille, qui majorem partem habet.

Quarto pro complemento hujus consultationis, et pro ultima illatione, sub silentio non est omittendum, quod si quis jus fodiendi metalla, ac ea expurgandi a principe obtineat, et postea illa vendere cupiat, non
19. habet in tali casu venditor facultatem dicta metalla vendendi, cui sibi magis placeat, sed communis D. D. est sensus, quod vendens in hujusmodi venditione principem, et fiscum praeferre debeat, super innixi omnes praedicti D. D. clarae dispositioni *l. primae C. de Metal. lib.* 11. ubi dictum jus

praelationis peculiariter prin-
cipi, et fisco conceditur, ut e-
tiam bene notavit *Covar. var.*
lib. 3. *cap.* 14. *n.* 6. ubi ta-
men ait, quod dicta lex prima
non est extendenda ad alios
casus, prout multi eam protra-
here coguntur ad favorem do-
mini, cui dicunt competere jus
20. praelationis super fructibus
a colono perceptis, semper quod
ipse colonus illos vendere cu-
piat, cum dicta lex hoc non
dicat, et libertas, quam quis-
que habet a natura, et a le-
ge de re sua pro sui volunta-
te libere disponendi totum op-
positum suadeat, quod dixit
etiam *Pacion. de locat. cap.* 33.
n. 69. *Rot. coram Bich. decis.*
500. *n.* 32., *et seq.* Alia deni-
que pro ornamento materiae
hic possent adnecti de debito-
re census, et circa emphyteu-
tam, quibus datum non est
21. de re emphyteutica, et fun-
do censito libere disponere, sed
onus habent injunctum domi-
num census, et directum re-
spective praeferendi, haec in-
quam consulto omittuntur, quo-
niam de his quaestionibus ali-
bi in his consultationibus par-
ticulariter, ac late sermonem
habuimus, et in omnem casum
humanissimus lector recurrere
poterit ad *D. Corradin.*, qui
in venditionis casu opus inte-
grum, ac elaboratum compo-
suit circa materiam praelatio-
nis.

ARGUMENTUM.

Adducuntur hic nonnulla circa thesaurum in fundo empto repertum, et signanter an emptori, vel venditori acquiratur.

SUMMARIUM.

1. *Emptor inveniens in re empta thesaurum illum sibi acquirit de jure communi.*
2. *Exponitur definitio, seu descriptio thesauri.*
3. *Vendenti non competit beneficium* l. 2. C. de rescind. vend. *sub praetextu, quod fundus esset majoris valoris ob thesaurum in eo repertum.*
4. *Si quis sciens thesaurum in aliquo fundo reperiri eumdem fundum acquirat, thesaurum suum facit, non obstante tali scientia.*
5. *Pecuniae antiquae, et ab ignoto domino absconditae veniunt sub nomine thesauri.*
6. *Secus vero quando apparet esse recentis memoriae, vel quando constat de absconditore; tunc enim sunt restituendae haeredibus ejusdem absconditoris.*
7. *Thesaurus inventus per suam, vel aliam bestiam acquiritur pro dimidia domino bestiae, pro altera vero dimidia domino fundi.*
8. *Si unus primo vidit, et alius deinde apprehendit, huic secundo acquiritur thesaurus.*

CONSULT. XXXIII.

Quidam Franciscus de Artusiis cum sub die decima mensis augusti 1697. unam vineam titulo emptionis acquisivisset a D. Julio Palotta, et deinde anno subsequenti occasione in dicta vinea fodiendi pro quodam aedificio construendo invenisset, ut ab aliquibus dicebatur, non modici valoris thesaurum, qui consistebat in magna pecuniarum summa, hinc ob hujusmodi eventum mihimetipsi proponebam quaesitum, an dictus emptor posset a venditore conveniri, et pulsari ob dictum thesaurum in re empta repertum; unde super hujusmodi articulo factis debitis reflexionibus, et praecipue animadverso, quod in dicto casu agebatur de pecuniis ab ignoto domino absconditis, et ex tempore, cujus initii memoria non aderat, prout mihi supponebatur resultare ex forma, qua erant excussae dictae pecuniae, visum mihi fuit in sensu veritatis, et secundum regulas juris communis loquendo, omni seposita dubitatione
1. respondendum esse ad favorem emptoris, cum ex definitione, seu descriptione thesauri tradita *a Paulo J. C. in l. numquam ff. de acquir. rer. domin.* clare aperteque pateat jura ejusdem emptoris meliora, et validiora esse in illis verbis *Thesaurus*
2. *est quaedam vetus depositio rei, cujus non extat memoria, cum jam dominum non habeat, sic enim fit ejus qui invenerit, quod non alterius sit, alioquin si quis aliquid, vel lucri causa, vel metus, vel custodiae condiderit sub terra non est thesaurus, cujus etiam furtum sit*, et hanc definitionem tanquam veram, et communiter amplexatam, in praecisis terminis emptoris in re empta invenientis thesaurum exponit, et admittit *Calvin. de aequit. lib. 2. cap.* 196. *n.* 1. 2., *et seq. Sanfelic. lib.* 3. *addit. ad decis.* 394. *§. est itaque thesaurus*, *et seq. Costa de facti scient., et ignor. ceont.* 1. *dist.* 60. *n.* 3. *Mantic. de tacit., et ambig. lib.* 4. *tit.* 16. *n.* 52. *usque ad finem* ubi constanter sustinet thesaurum ad emptorem spectare, et quod
3. vendenti non competit beneficium *l. secundae C. de rescind. vend.* sub praetextu, quod fundus venditus de tempore venditionis propter thesaurum in eo absconditum, esset valoris longe majoris, quoniam thesaurus in fundo absconditus, non dicitur, nec dici potest pars fundi, et denique praedictis doctrinis addi meretur *Gratian. discept. for. cap.* 453. *n.* 26. ubi in terminis fortioribus cum hac senten-
4. tia pertransit, videlicet quatenus etiam quis sciens thesaurum in aliquo fundo reperiri, illum emeret, vel in emphyteusim acciperet a domino ignorante, et eam adducit ratio-

nem, quia cum thesaurus in fundo existens non dicatur sub dominio, nec sub possessione vendentis, consequenter vendens in aliquo fraudatus dici non potest, nec de dolo obiicere valet.

Neque contra has efficacissimas rationes, et solida fundamenta quicquam facere mihi videbatur animadversio, quod in adducto casu non ageretur de thesauro, sed de pecuniis, quae nomen thesauri vere, et proprie non obtinent, quoniam cum mihi pro indubitato supponeretur, quod ex oculari inspectione appareret pecunias
5. praedictas esse valde antiquas, et ulterius earum dominum esse ignotum, quinimo etiam tempus, quo fuerant absconditae, hinc dicebam omnem penitus cessare amaritudinem, cum in hujusmodi hypothesi citra veri praejudicium inficiari non posset, quin definitio superius exposita optime etiam congrueret dictis pecuniis, ut clare de se patet, et prudenter animadvertit *Sanfelic. lib.* 3. *decis.* 394. *n.* 9. *Calvin. de aequit. d. lib.* 2. *cap.* 196. *n.* 53. Difficultas etenim tunc demum me potuisset a praedicta sententia retrahere, quatenus pecunia in fundo empto reperta fuisset nova, veluti quia esset ea forma excussa, ut ex
6. ea constaret esse recentis memoriae, vel quatenus insimul cum pecunia repertum esset instrumentum per quod indicaretur dominus, qui illam abscondidit, in his enim casibus pecuniam appellatione thesauri non venire, et ideo emptorem, et inventorem eam sibi non acquirere, sed haeredibus absconditoris restitui debere sub poena furti, utique verissimum est, ut optime docet *Sanfelic. in d. addit. ad decis.* 394. §., *et pecunia inventa cum seq. ubi plures dat concordan.*, *et signanter allegat Garz. de expen. et meliorat. Gutt. de tut. Avendan. de exeq. mand.*

Caeterum de materia thesauri in genere alia videnda sunt apud D. D. supra congestos, et praecipue penes *Sanfelic.*, *et Calvin. locis citatis*, ubi in specie ait quod thesaurus inventus per
7. canem, aut suem fodientem, acquiritur pro dimidia domino canis sive alterius bestiae, pro altera vero dimidia domino fundi, et quod non sufficit quem primo vidisse thesaurum, ut illum acquirat, sed necesse esse, ut illum apprehendat, ita ut si unus primo vidit, et de-
8. inde alius apprehendit, huic secundo acquiritur.

ARGUMENTUM.

Resolvitur dubium in hoc loco, utrum venditio de tanta rata, et parte certi, et specificati fundi, quae ex. gr. ascendat ad scuta centum, de jure sustineatur, et an ex ea transferatur dominium, ac possessio in ementem.

SUMMARIUM.

1. *Res dicitur incerta ratione loci, et quotae quando venditur pars unius fundi, ea tamen non concordata, nec circa quantitatem, nec circa locum, et tunc contractus dicitur insubsistens.*
2. *Haec tamen conclusio procedit quando res est incerta in genere generalissimo, secus vero quando venditur tanta rata, et pars certi, et specificati fundi, quae ascendat ex. gr. ad scuta centum.*
3. *Supposita praedicta specificatione fundi res vere, et proprie non dicitur incerta ratione loci, et quotae.*
4. *Incertitudo pretii, vel rei reddit imperfectam venditionem, quando est incerta in se, secus vero quando est in se certa, licet partibus ignota.*
5. *Ex venditione tantae ratae, et partis certi, et specificati fundi, quae ad certam summam ascendat, non transfertur dominium, et possessio in ementem, cum contractus sit conditionalis, sed tamen locus non est poenitentiae.*
6. *In hac venditione debentur fructus recompensativi emptori, si ipse emptor ante factam declarationem praedictae ratae, et partis solvit pretium venditori.*

CONSULT. XXXIV.

Franciscus de Morettinis possidens jure proprio unum praediolum valoris scutorum quingentorum circiter, et vehementer exoptans satisfacere quibusdam creditoribus, a quibus pulsabatur, vendidit sub die vicesima mensis augusti 1698 Domino Andreae de Saxis de eodem praediolo, expresse cum suis finibus indicato, tantam ratam, et partem quae ascenderet ad scuta centum; verum quia post stipulatum venditionis instrumentum, fere statim dictus D. de Saxis poenitentia ductus obijcere caepit de insubsistentia, et invaliditate contractus propter incertitudinem rei ratione loci, et quotae, quae
1. tunc dicitur adesse, quando pars unius fundi venditur, ea tamen non concordata, nec circa quantitatem, nec circa locum, ut videtur firmare *Barz. decis. Bonon.* 49. *n.* 29., *et* 30. *Giovagnon. cons.* 4. *n.* 10., *et* 11. *lib.* 2. Ideo in dubium revocabatur, an in dicto casu contractus invalidus, et inperfectus dici deberet, nec ne. Quare amicabiliter ab utraque parte requisitus, ut meam super praedicto dubio panderem opinionem, breviter cum sensu etiam veritatis respondebam pro validitate, et perfectione contractus, ita ut amplius locus non esset poenitentiae.

Movebar autem ad ita sentiendum, quoniam quicquid nonnulli dixissent, qui tanquam in professione legali tyrones, punctum tantummodo superficialiter degustaverant, animadvertebam veram indistincte non esse propositionem, quam in medium adducebat emptor pro

ostendenda insubsistentia contractus, et super qua omne fundamentum pro habenda victoria constituebat, videlicet quod stante incertitudine rei ratione loci, et quotae contractus emptionis, et venditionis non sustineatur, sed hujusmodi juris conclusionem declarando, dicebam cum veriori, et communiori sententia eam recte tunc demum procedere semper, quod inter partes actum
2. fuerit de re incerta in genere generalissimo, ut evenit quoties venditur tanta rata, et pars unius fundi, quae ascendat ex. gr. ad scuta centum, fundo tamen minime specificato, nec indicato, secus vero quando inter easdem partes actum fuisse apparet de certo, et specificato fundo, ex quo deduci debeat tanta rata, et pars, quae ad praefatam summam perveniat, ut doctissime de more edocet *D. meus Palma nepos part.* 3. *alleg.* 212. *n.* 3., *et seq. Rot. part.* 2. *divers. decis.* 59. *n.* 2., *et* 3. *late Sabell. var. resol.*, *et respons. cap.* 62. *per tot.* Unde hujusmodi animadversione, et casuum distinctione sic praemissa, serieque facti superius adducta denuo assumpta, iterum atque iterum respondebam pro validitate praedicti contractus, cum ex ejusdem facti serie, et lectura clare, ac aperte pateret ibi fuisse actum de certo, et specificato fundo, atque adeo secundum membrum distinctionis expositae de plano adaptari.

Et quamvis hactenus dictis non obstantibus adhuc pro parte emptoris mordicus objiceretur de insubsistentia contractus ex eo quod, ut ipse ajebat, nulla major, ac efficax ratio poterat allegari, propter quam contractus emptionis, et venditionis de tanta rata, et parte unius fundi, quae ad certam, et conventam summam ascendat insubsistens, ac imperfectus sit, ubi non fuit a vendente specificatus fundus, ex quo dicta rata deduci debeat, e contra vero subsistens, ac perfectus dicatur supposita fundi specificatione; satisfaciendo tamen huic replicationi breviter respondebam claram, et omnibus evidentem differentiae rationem inter casus praedictos in eo consistere, quia scilicet quando fundus fuit inter partes expressus, et specificatus, tunc vere, et proprie dici ne-
3. quit, quod res sit incerta ratione loci, et quotae, sicque quod deficiat unum ex requisitis substantialibus, ex quibus contractus venditionis ponitur in esse perfecto (prout dicitur quando fundus incertus est), quoniam quod attinet ad locum res in dicta hypothesi dicitur aliquo modo, et quidem sufficienter certa, saltem ad hoc, ut amplius poenitentia locum non habeat, nam sive capiatur a parte orientali, sive occidentali, res tamen debet semper capi ex illo certo,

et determinato fundo, et intra illius certos fines continetur, ut animadvertit *Sabell. var. resol. ac D. Palma nepos locis supra citatis.* Quo vero ad quotam res pariter dicitur certa saltem in se, cum ex lege venditionis debeat ascendere ad summam certam inter partes conventam, ut egregie observant jam citati D. D., et constans est propositio, quod incer-
4. titudo pretii, vel rei venditionem imperfectam reddit quando est incerta in se, secus vero si est in se certa, licet partibus ignota sit, ut bene in similibus terminis notat *Joseph. de Rosa consult.* 68. *n.* 7. 8., *et* 9. His vero rationibus, et fundamentis sic praemissis, ac jactis successive descendendo ad doctrinas, quae ex adverso pro parte emptoris adducebantur, dicebam eas, aliasque forsan adducibiles in proposita facti specie in nihilo penitus officere, quoniam, ut lex lectura innotescere potest, vel loquuntur de perfectione contractus quoad solum effectum translationis dominii, posses-
5. sionis, et periculi in emptorem, quae certum est in eumdem emptorem non transferri ex contractu praedicto, cum non sit purus, sed conditionalis, donec scilicet a judice, vel a communibus amicis, si a partibus sint electi, declaretur portio, quae ad conventam summam ascendat, ut bene notat *Sabell. var. resol. d. cap.* 62. *n.* 9., *et* 20. *Rot. decis.* 130. *n.* 7. *part.* 15. *rec.* Vel denique procedunt in hypothesi, quod inter dictas partes actum fuisse appareat de re incerta in genere generalissimo, ut superius distinguendo jam fuit dictum, etc.

Post haec scripta cum mente revolverem in his casibus frequenter occurrere posse dubium, an fructus recompensativi peti, ac obtineri possint quatenus ab emptore ante factam declarationem praedictam pretium solutum sit venditori (licet de hoc in casu supra exposito non caderet quaestio); ideo ad commoditatem lectoris hic sub silentio non omittendum censui, utique omnem postulare rationem ut fructus praedicti
6. debeantur emptori, quoties constat ab eo solutum fuisse pretium venditori ante factam declarationem ratae, et partis certi, et expressi fundi, quae ad summam conventam ascendat, cum ad praedictum effectum non attendatur, an dominium, vel possessio in emptorem translata sint, sed ex aequitate *notae l. Curabit.* solum in consideratione habetur, an venditor retinuerit, et gavisus sit re et pretio, ut in terminis egregie dixit *Paris. cons.* 60. *n.* 4. *vers. istis tamen non obstant., et n.* 23., *et seq. vol. prim., et strenue sustinet D. Palma nepos par.* 3. *alleg.* 212. *n.* 14. 15. 16., *et seq.*

ARGUMENTUM.

Examinantur fuse solemnitates, et requisita servanda in venditionibus bonorum ad pupillos, et minores spectantium, et aliqui etiam casus adducuntur, in quibus praedictae solemnitates non sunt necessariae.

SUMMARIUM.

1. *Minor, et pupillus ad hoc ut vendere possint requiritur ut aliqua, et quidem urgens vendendi causa concurrat.*
2. *Et si venditio fiat pro solvendis debitis requiritur creditorum urgentia, nisi debitum currat sub usuris.*
3. *Secundo requiritur, quod res minus damnosa pupillo, et minori vendatur, incipiendo scilicet a mobilibus, et deinde discendendo ad alia minoris praejudicii.*
4. *Tertio requiritur praesentia tutoris, vel curatoris, qui expresse suam auctoritatem interponat.*
5. *Quarto requiritur, ut res stet ad publicam hastam per spatium viginti dierum, et postea plus offerenti concedatur pruesenti pecunia.*
6. *De consuetudine tamen, et de jure Canonico id quod fuit dictum de re ponenda ad publicam hastam non est verum.*
7. *Causa, ob quam venditur necesse est, ut in totum sit vera, alias contractus corrueret.*
8. *Item requiritur, quod adhibeatur praesentia minoris, et pupilli, si iste sit major infante.*
9. *Item requiritur ut judex suum decretum interponat.*
10. *Decretum judicis facit praesumere omnia rite, et recte facta, ita ut sufficiat producere instrumenta cum d. decreto.*
11. *Propter decretum judicis causa praesumitur vera, si de ea non soleat fieri probatio per scripturam separatam.*
12. *Decretum judicis facit praesumere urgentiam creditorum.*
13. *Decretum praesumitur interpositum ex justa, et rationabili causa, ita ut transferat onus probandi contrarium in alteram partem.*
14. *Limita ubi apparet causam, ob quam interpositum est decretum, fuisse injustam, et insufficientem.*
15. *Judices cauti esse debent in interponendis decretis.*
16. *Minor potest bona sua nulliter vendita vendicare etiam pretio non restituto, nisi ex adverso probetur d. pretium versum fuisse in utilitatem minoris.*
17. *Et hoc procedit etiam contra tertium.*
18. *Per juramentum suppletur defectus solemnitatum.*
19. *Limita stante Statuto, ut certis non adhibitis solemnitatibus contractus fictitius, simulatus, seu dolo initus praesumatur.*
20. *Rursus limita in statu Ecclesiastico in vim Constitutionis Ægidianae requirentis solemnitates, et juramentum.*
21. *Et hoc est adeo verum, ut non*

sufficiant, nec minus duo juramenta.

22. *Quando venditio fit ex causa necessaria, et in consequentiam alterius actus valide gesti non sunt necessariae solemnitates.*

23. *Minor mercator contrahens ex causa mercaturae valide contrahit sine solemnitatibus.*

24. *Praedicta qualitas praesumitur.*

25. *Et procedit non obstante Ægidiana.*

26. *Minor emere potest sine solemnitatibus cum pacto de retrovendendo, dummodo hoc pactum apponatur incontinenti in contractu.*

27. *Antequam dominium in emptorem transferatur venditor illius translationem certo modo limitare potest.*

28. *Minor sine solemnitatibus vendere potest insimul cum patre, vel alio fratre majore rem communem.*

29. *Quod tamen declaratur.*

30. *Venditio sine solemnitatibus valet, quando est facta in vim mandati testatoris.*

31. *Limita quando testator simplicem facultatem vendendi concessit.*

32. *Pater ex justa causa potest bona filii sub cujus potestate existentis sine solemnitatibus vendere.*

33. *Explicatur quaenam sit justa causa.*

34. *Adducuntur D. D. alia in proposito docentes.*

CONSULT. XXXV.

Consultos, ut meam pro veritate proferrem opinionem super illo tam utili quaesito, videlicet an, et quando venditio bonorum ad pupillos, et minores spectantium valide fieri possit, et facta de jure teneat, dicebam hujusmodi puncti decisionem totam pendere ex recto, accuratoque examine solemnitatum, et requisitorum ad praefatum effectum necessariorum, etenim licet verum, certumque sit minores, et pupillos de rebus suis ad sui libitum disponere neutiquam posse, certis tamen requisitis, et solemnitatibus concurrentibus utique res suas vendere, et alienare posse unanimiter concludunt D. D.

Pro hujus igitur materiae enucleatione tunc animadvertendum ajebam, iterumque nunc dico notandum, quod ad validitatem venditionis, et alienationis bonorum ad pupillos, et minores, spectantium multa necessario concurrere debent, et primo inter alia requiritur, quod aliqua, et quidem urgens
1. vendendi causa concurrat, veluti quod aes alienum urgeat, quod pupillus, seu minor famis necessitate prematur, et similia, ut bene animadvertunt *Urceol. consult. for. cap.* 63. *n.* 20. *Honded. cons.* 23. *n.* 26. *et seq. Rot. decis.* 341. *n.* 3.

part. 9. *tom.* 2. *rec.*, *et coram*
Bich. decis. 58. *n.* 3. 4., *et seq.*
ubi quod non sufficit, ut aes
alienum existat, sed ulterius
2. requiritur, quod creditores ur-
geant, nisi tamen debitum cur-
reret sub usuris, quia tunc non
esset necessaria praedicta cre-
ditorum urgentia.

Secundo requiritur, quod res mi-
nus damnosa pupillo, vel mi-
3. nori vendatur, hocque debet
liquere judici, cui onus incum-
bit diligentem perscrutationem,
et perquisitionem faciendi ad
effectum inveniendi, an adsint
mobilia, ex quorum distractio-
ne satisfieri possit creditoribus,
absque eo quod deveniatur ad
venditionem stabilium, ut bene
monent *Buratt. decis.* 310. *n.*
7. *Bich. d. decis.* 58. *n.* 5. *Af-*
flict. decis. 249. *Dec. cons.* 403.
n. 12.

Tertium requisitum est, quod ad-
hibeatur personalis praesentia
4. tutoris, vel curatoris, qui ex-
presse suam auctoritatem, et
consensum interponat per *Text.*
in l. etiam ff. de auctorit., *et*
consens. tut. l. neque, *et l. cum*
C. de auctorit. tut. Rot. decis.
81. *n.* 21. *part.* 6. *rec. Afflict.*
decis. 249. *per tot.*

Quartum est requisitum, quod
res vendenda ponatur, et stet
5. ad publicam hastam per spa-
tium viginti dierum, et postea
eo tempore lapso plus offeren-
ti concedatur praesenti pecu-
nia, et non habita fide de pre-
tio, ut expresse dixerunt *Surd.*
cons. 49. *n.* 19. *Afflict. d. de-*
cis. 249. quamvis, quantum
ad id, quod fuit dictum de re
ponenda ad publicam hastam,
contrarium de generali con-
6. suetudine omnium locorum,
et de jure Canonico servetur,
ut aliis omissis testatur *Gratian.*
discept. for. cap. 479. *n.* 9.
cap. 564. *n.* 24., *et seq.*, *et*
cap. 861. *n.* 19., *et seq. Urceol.*
consult. for. cap. 55. *n.* 21.,
et seq.

Quintum requisitum, quod hic
adducitur in eo consistit, ut
causae expressio in hujusmodi
7. contractibus in totum vera exi-
stat, alias enim si partim vera,
partimque falsa detegeretur,
contractus ipso jure corrueret,
ut bene sapienterque firmavit
Rot rec. decis. 355. *n.* 24. *part.*
12. *cum ibi congest.*

Sextum requisitum est, ut in
contractibus praedictis minoris,
pupillive praesentia adhibeatur,
8. dummodo tamen quo ad pu-
pillum iste sit major infante,
ut docte animadvertunt *Post.*
resol. 45. *n.* 41. *Castald. con-*
sult. 286. *n.* 2. *Rot. decis.* 128.
n. 13. *part.* 10. *Bonon. de Be-*
rois 28. *Junii* 1641. *Carillo*, *et*
decis. 56. *n.* 16. *part.* 14. *rec.* Et
quamvis *D. Card. de Luc. tit. de*
alien., *et contract. prohib. disc.*
25. *n.* 18. contrarium sentire
videatur, dum firmat hanc es-
se unam ex solitis frigiditatibus
juristarum, pace tamen tanti
viri puto recedendum non esse
a sententia Rotae supra expo-
sita, et ea ratione moveor, quia
quando pupillus est major in-

fante, ipse est qui vendit cum auctoritate, et consensu tutoris, non autem tutor; unde non est propterea mirum, quod pupilli praesentia sit necessaria.

Ultimum denique requisitum, quod ad praefatum effectum
9. concurrere debet, est, ut judicis praesentia adhibeatur, quodque ab isto praehabita matura causae cognitione, suum decretum interponatur, ut omnes de hac materia scribentes fatentur. Estque tanti ponderis hujusmodi decreti interpositio ut, eo interveniente omnia praesuman-
10. tur rite, et recte gesta, ut pulchre dixit: *Rot. coram Bich. decis.* 58. *n.* 10. ubi quod satis est, ut emptor producat instrumentum emptionis, cum decreto Judicis *Amat. decis.* 98. *n.* 31. ubi quod stante decreto Judicis causa praesumitur ve-
11. ra, si de hac cognitione causae non soleat fieri probatio per scripturam separatam *Cyriac. contr.* 308. *n.* 2. *Urceol. consult. for. cap.* 55. *n.* 21., *et seq.* ubi quod decretum Judicis
12. facit praesumere urgentiam creditorum *Cavalcan. decis.* 479. *n.* 2. ubi quod decretum habet praesumptionem pro se, adeo quod ex justa, et rationabili
13. causa interpositum censeatur, ita ut transferat onus probandi contrarium in alteram partem, quod tamen ego censeo verum in dubio; secus vero ubi apparet causam, ob quam deventum fuit ad alienationem
14. fuisse injustam, et insufficientem, ex nimis trito juris dicterio, quod veritas praefertur praesumptioni, ut etiam dixit *Rot. decis.* 355. *n.* 20. *part.* 12. *cum ibi congest.*, et his doctrinis addi etiam meretur praeclarissimus vir *D. Farinac. fr. crim. part. prim. litt. D. n.* 56., *et seq.* ubi alia quoque circa hanc materiam adducit, et praecipue Judices monet, ut tanta facilitate ad interponendum decreta non acce-
15. dant, sed prius omnia recte, et accurate considerent, et examinent, seposita penitus consideratione lucri, quod facere debent.

Haec itaque sunt requisita, et solemnitates, quae in venditionibus bonorum ad pupillos, et minores spectantium (secundum veriorem, et communiorem sententiam, et jure communi inspecto) regulariter concurrere debent, et ex quorum omissione ac deficientia contractus ipso jure remanet nullus, ita ut a minoris, pupillique arbitrio pendeat bona nulliter ven-
16. dita vendicare etiam pretio non restituto, nisi ex adverso pro parte emptoris probetur praedictum pretium versum fuisse in utilitatem minoris, vel pupilli, ut optime notant multi ex D. D. supra congestis, et docte dixit *Paul. Christin. decis.* 174. *n.* 6. *et* 7. *et decis.* 176. *n.* 2. *vol.* 3. *Jovi. de solemnit. in contract. minor. glos.* 16. §. 7. *Gratian. discept. for. cap.* 720. *n.* 24., *et seq. Cyriac.*

contr. 332. *Rol. cons.* 72. ubi quod hoc procedit etiam con-
17. tra tertium, cui fuerit a primo emptore venditum.

Caeterum quia, hactenus dictis non obstantibus, multi sunt casus, in quibus praedictae solemnitates non sunt necessariae, ita ut illis omissis contractus attamen sustineatur, ideo pro hujus materiae pleniori cognitione infrascripta notanda sunt.

Primo ergo pro primo casu notandum venit, quod superius firmata de solemnitatibus, secundum juris communis dispositionem nullo pacto procedunt quoties agitur de contractu jurato, per juramentum etenim suppleri defectum curatoris,
18. et Judicis communiter clamant D. D., et late hanc propositionem examinando probat *Gratian. discept. for. cap.* 27. *n.* 27., *et seq.* ubi reddit rationem, et explicat quomodo haec propositio sit intelligenda *Jovi. de solemnit. in contract. minor. glos.* 16. §. 7. ubi quod juramentum supplet defectum solemnitatum etiam si vendens pupillus sit, dummodo sit proximus pubertati, et doli capax Judicis arbitrio; licet declaratio in hoc primo casu contenta, ut plurimum evanescat, tum quia saepe statuta dispo-
19. nunt quod, certis non adhibitis solemnitatibus, contractus fictitius, simulatus, seu dolo initus praesumatur, quo casu juramentum nullius roburis, et dolo extortum ipsum quoque praesumitur, ut notat *Gratian. d. cap.* 27. *n.* 27., *et seq.* tum quia in defectum statutorum succedit, et extat
20. in statu ecclesiastico constitutio Aegidiana, quae in contractibus minorum copulative requirit solemnitates, et juramentum, ut animadvertit *Rot. decis.* 260. *n.* 8. *part.* 6. *rec.*, *et post Zach. de oblig. Candecis.* 162. *n.* 14. *ad* 16. ubi quod deficientibus solemnitatibus Ae-
21. gidianae contractus non sustinetur, licet duo intervenirent juramenta, ut dixit etiam *Gratian. discept. for. cap.* 513. *n.* 16. ubi evidentem adducit rationem.

Secundo notandum est, quod praefatae solemnitates non sunt necessariae quando venditio est necessaria, factaque apparet in consequentiam alterius actus valide gesti, ut evenit in retrovenditione census, ut dixit *Rota rec. part.* 13. *decis.* 19. *n.* 15., *et decis.* 194. *n.* 14.

Tertio constans est propositio, quod minor sine solemnitatibus
23. contrahere potest, si mercaturam exercet dummodo contractus sit ex causa mercaturae, ut edocet *Gratian. discept. for. cap.* 279. *n.* 46., *et* 47. ubi quod praedicta qualitas, ni-
24. mirum, quod contractus sit ex causa mercaturae, praesumitur *Gait. de credito cap.* 4. *quaesit.* 7. *n.* 537. *Rot. post Zach. de oblig. Cum. decis.* 192. *n.* 7. ubi dicit hoc procedere non

25. obstante constitutione Aegi-
diana.
Quarto praedictae solemnitates ne-
cessariae non sunt in emptione,
quam facit minor cum pacto
de retrovendendo, dummodo
26. hujusmodi pactum incontinen-
ti apponatur in contractu, ut
optime probat *Merl. de pign.
lib.* 2. *tit.* 1. *quaest.* 39. *n.* 14.
Gratian. discept. for. cap. 26.
n. 2., *et seq.* ubi eam adducit
rationem, quia quando pactum
de retrovendendo apponitur ex
intervallo, tunc, cum jam es-
set quaesitum emptori domi-
nium irrevocabile rei emptae,
ideo hujusmodi pactum videtur
continere ejusdem rei emptae
alienationem, et consequenter
sunt necessariae solemnitates,
secus vero quando praedicta
conventio fit incontinenti, quia
in tali casu cum adhuc domi-
27. nium in emptorem non sit
translatum, venditor potest il-
lius translationem modificare,
et certo modo limitare.
Quinto superius adducta de so-
lemnitatibus, non procedunt in
venditione facta a filio minore
28. insimul cum patre, vel alio
fratre majore de re communi
secundum opinionem *Post. re-
sol. civil.* 51. *n.* 9. *aliorumque
quos ipse cumulat*, quod tamen
29. quomodo sit intelligendum
edocet *Cyriac. contr.* 198. *n.* 21.
Sexto notandum est, quod ven-
ditio sine solemnitatibus valide
fieri potest, quoties quis ha-
30. bet mandatum a testatore
injunctum de re certa venden-
da, ex rationibus, et doctrinis,
quas cumulat *Rot. decis.* 355.
n. 35. *part.* 12., *et decis.* 368.
n. 14. *part.* 13. *rec.* ubi quod
31. secus est quando testator sim-
plicem facultatem alienandi con-
cessit, quia haec intelligitur
servatis solemnitatibus.
Septimo pariter notandum est
quod, accedente justa causa,
patri permissum est bona filii
32. sub ejus potestate existentis
sine solemnitatibus vendere,
cum sit legitimus administrator
bonorum ad ejus filios spectan-
tium juxta sententiam *Azzonis
quam sequitur Urceol. de tran-
sact. quaest.* 15. *n.* 10., et con-
ferunt tradita per *Gratian. di-
scep. for. cap.* 107. *n.* 11. 12.,
et seq. ubi quod in casu neces-
sitatis pater vendere potest bo-
33. na adventitia filii etiam abs-
que decreto, si filii sint in
minori aetate constituti, et ne-
cessitatem intelligit non solum
quae respicit personam filii, sed
etiam patris. Denique caetera,
quae circa hanc materiam hic
34. adnecti possent videnda sunt
apud *Jovium de solemnit. in con-
tract. minor.*, *et segnanter glos.*
16. §. 7. et aliqua quoque col-
ligi possunt, ex consultatione
sequenti.

ARGUMENTUM.

Venditio rerum ecclesiae quae-
nam ad ejus validitatem requi-
rat, et an, supposita nullitate
venditionis, si ecclesia venditio-
nem ratam habere nolit, pos-

sit rem vendicare una cum fructibus a die celebrati contractus, late in hac consultatione examinatur.

SUMMARIUM.

1. *Adducuntur requisita, quae de rigore juris civilis in venditionibus rerum ecclesiae sunt necessaria.*

2. *Praedicto tamen rigore omisso, sufficit juxta causa una cum Beneplacito Apostolico.*

3. *Donec Beneplacitum obtinetur contractus stat in suspenso favore ecclesiae.*

4. *In venditione potest reservari beneplacitum praedictum, et donec obtineatur locus est poenitentiae, non vero post.*

5. *In statu ecclesiastico beneplacitum non praesumitur ex lapsu triginta annorum.*

6. *Sed ad d. effectum est necessaria centenaria praescriptio cum observantia.*

7. *Quid autem dicendum sit, an scilicet hoc procedat in contractu inter duas ecclesias.*

8. *Quando contractus est nullus ob defectum solemnitatum, adhuc ecclesia potest ei velle stare ob ejus utilitatem.*

9. *Non obstante constitutione Paulina, et decreto irritanti in ea apposito.*

10. *Et hoc idem omnino dicitur de minore.*

11. *Potest tamen in hoc casu alter contrahens instare contra ecclesiam pro habenda declaratione, an velit stare contractui nec ne.*

12. *Et ubi ecclesia declarat velle stare contractui, haec declaratio debet fieri cum solemnitatibus, et sumptibus ejusdem ecclesiae.*

13. *Contrahens nulliter cum minore potest ipse quoque instare pro declaratione praedicta.*

14. *Quando ecclesia recedit a contractu nullo, remque suam vendicat, debet restituere pretium receptum in quantum facta est locupletior.*

15. *Emptori incumbit onus probandi versionem, et locupletationem.*

16. *Et quomodo haec probentur.*

17. *Supposita nullitate contractus, ecclesia potest rem vendicare una cum fructibus a die celebrati contractus.*

18. *Et quid dicendum ubi est nullus ob non servatam formam beneplaciti a Commissario.*

19. *Ecclesia tamen e contra tenetur ad fructus recompensativos pro pretio ab ipsa recepto, et in ejus utilitatem verso.*

20. *Rejiciuntur sentientes ecclesiam rem una cum fructibus a die celebrati contractus vendicare non posse.*

21. *Venditio sine beneplacito apostolico fieri potest, ubi agitur de re modica.*

22. *Judicis arbitrio remittitur quando res dicatur modici valoris.*

23. *Et sufficit in dicto casu licentia episcopi.*

24. *Secundo valet venditio sine beneplacito praedicto quando est necessaria, factaque ex causa necessitatis.*

25. *Et hoc exemplificatum fuit in praecedenti consult. et nunc e-*

xemplificatur in venditione de mandato judicis pro aere alieno solvendo.

26. *Rursus beneplacitum non est necessarium, quando agitur de solo jure quaerendo, etc.*

27. *Item limita, ut in venditione fructuum bonorum ecclesiae non sint necessariae solemnitates.*

28. *Limita denique in venditionibus bonorum ad hospitales, confraternitates, aliaque similia loca auctoritate ordinarii non erecta, in quibus non est necessarium beneplacitum.*

29. *An in distractione pecuniae ecclesiae, vel minoris sint necessariae solemnitates, praecipue ubi est destinata ad emptionem stabilium, vel ex stabilibus provenit, cum onere eam investiendi allegantur D. D.*

CONSULT. XXXVI.

Visis in proxima praecedenti consultatione solemnitatibus, et requisitis necessario adhibendis, et observandis in venditionibus bonorum ad pupillos, et minores spectantium, modo descendendo ad venditionem bonorum, rerumque ecclesiae, notandum est primo, quod licet juris civilis rigore inspecto ad validitatem venditionis rerum ecclesiae multa sint necessaria,
1. videlicet, quod aes alienum valde urgeat; secundo quod ex mobilibus et fructibus creditoribus satisfieri non possit; tertio si mobilia non sufficiunt detur creditoribus res immobilis loco pignoris ad hoc, ut ex ejus fructibus sibi satisfaciant; quarto, ut rector, sive praelatus apud Episcopum juret super existientia debiti, quod ex mobilibus solvi non possit; quinto quod per viginti dies ante res vendenda publice notetur, et plus offerenti delibereretur, et emptore non reperto, in solutum concedatur creditoribus pro decima parte pluris, quam sit aestimata; sexto, quod interveniat consensus Episcopi, et majoris partis cleri; septimo, quod creditor probet id, quod credit in utilitatem ecclesiae processisse; octavo, quod vendatur res mediocris valoris inter alias, cum aliis de quibus in *Auth. hoc jus porrectum junct. glos. C. de Sacro Sanct. Eccl.;* his tamen nostris temporibus praedicto juris civilis rigore penitus neglecto, duo tantum sunt, quae communiter servantur, et ex quorum carentia contractus remanet infectus, et in eo consistunt, quod
2. juxta vendendi causa concurrat; secundo, quod beneplacitum apostolicum impetretur, ut communiter concludunt D. D., et aliis omissis docent *Ciarlin. contr. for. cap.* 105. *n.* 21. 22., *et seq. cap.* 39. *n.* 38., *et seq.* ubi quod donec beneplacitum obtineatur con-
3. tractus dicitur stare in suspenso favore tamen ecclesiae *Gratian. discept. for. cap.* 514. *n.* 7. ubi quod venditis bonis ecclesiasticis cum reservatione

4. beneplaciti apostolici locus est
poenitentiae antequam obtineatur
tur beneplacitum ; secus vero
post illud obtentum *Rot. rec.*
part. 13. *decis.* 227. *n.* 2., *et*
seq., *et coram Merl. decis.* 764.
n. 9., *et seq.* ubi de justa cau-
sa, et beneplacito eadem *Rot.*
decis. 268. *part.* 12. *rec.* ubi
loquitur de beneplacito prae-
dicto, et ait illud adeo neces-
sarium esse, ut ex constitutio-
ne Urbani Octavi nec minus
praesumatur ex lapsu longi tem-
5. poris, puta triginta annorum
cum per constitutionem prae-
dictam praeserventur jura ec-
clesiae usque ad centum an-
nos, et hoc totidem verbis fir-
matur etiam *in decis.* 314. *n.*
10., *et* 340. *n.* 27. *part.* 11.
decis. 481. *n.* 8. *part.* 13. *decis.*
350. *n.* 15. *part.* 16. ubi quod
praesumptio beneplaciti allega-
6. ri non potest, nisi concurrat
centenaria praescriptio cum ob-
servantia *decis.* 328. *n.* 1., *et*
seq., *et* 362. *n.* 4., *et seq. part.*
17. *rec.*, ubi etiam resolvitur
dubium an praedicta constitu-
7. tio procedat in contractu ce-
lebrato inter ecclesiam, et ec-
clesiam.

Secundo est hic adnotandum quod,
quamvis vera sit in se propo-
sitio per quam statuitur con-
tractum, cum ecclesia celebra-
tum ob defectum solemnitatum
necessarium, nullitatis, ac im-
perfectionis vitio subjectum es-
se, hujusmodi tamen juris con-
clusio sibi locum non arro-
gat, quando ecclesia approban-
do contractum illi stare inten-
8. dit, etenim cum hujusmodi
nullitas sit a sacris canonibus
favore ecclesiae inducta, omnis
propterea suadet ratio, quod
si eadem ecclesia, attenta ejus
utilitate, contractum ratum ha-
bere intendit, non possit alte-
ra pars ab eo recedere, ne id
quod favore ecclesiae inductum
est, in ejus odium, et detri-
mentum retorqueatur, ut be-
ne ponderat *Imola in cap.* 1.
siquis Presbyterum n. 21. *vers.*
non obstat de reb. Eccl. non a-
lien. Gratian. discept. for. cap.
803. *n.* 45. *Duran. decis.* 397.
n. 12., *et seq. Sperell. decis.*
155. *n.* 18., *et seq.* ubi sub n.
58. ait quod, non obstante con-
stitutione Paulina, et decreto
9. irritanti in ea apposito, con-
tractus sine solemnitatibus va-
let volente ecclesia *Rot. decis.*
133. *n.* 12. *par.* 2. *divers.*, *et*
in rec. decis. 468. *n.* 1., *et* 2.
part. 14., et in terminis mino-
ris cum hac sententia pertran-
10. sit *Gratian. cap.* 27. *n.* 39.,
et 559. *n.* 65. *Sabell. var. re-*
sol. cap. 98. *n.* 10. Veritas ta-
men est, quod in hisce casi-
bus unum, et quidem saluta-
re remedium competit emptori
contra ecclesiam contractum
nullum ob defectum solemni-
tatum approbare, vel ab eo re-
cedere negligentem, et in eo
consistit, ut scilicet ipse instet
pro declaratione an ecclesia ve-
lit stare contractui, vel ab eo
11. recedere, hocque ea evidenti
ratione suadetur, quia alias ni-

mis durum esset, quod ob fa-
vorem ecclesiae, emptore invito,
contractus diu imperfectus, et
in pendulo manere deberet, sic-
que quod dicto emptori ob du-
bium rem amittendi, praeclu-
sa quodammodo esset via eam
excolendi, et meliorandi ut do-
cte notat *Rota decis.* 227. *n.* 2.
et 3. *part.* 13. *rec. Sperell. de-
cis.* 155. *n.* 18., *et seq.* ubi e-
tiam ait, quod quando eccle-
sia declarat velle stare contra-
ctui tunc, quia declaratio fieri
12. debet cum solemnitatibus, ec-
clesiae onus incumbit etiam pro-
priis expensis beneplacitum im-
petrandi, et redeundo ad id,
quod dicebamus, ut scilicet
stante nullitate contractus pos-
sit per emptorem instari pro
13. declaratione praedicta, in ter-
minis etiam minoris (quicquid
sit de pupillo) videndus est
Gratian. discept. for. cap. 27.
n. 39. 559. *n.* 65. 547. *n.* 7.
cap. 714. *n.* 14. ubi ait, quod
quatenus minor declaret velle
stare contractui, haec declara-
tio facienda est cum omnibus
solemnitatibus.

Tertio pro ornamento hujus ma-
teriae rursus notandum est
quod, facta per emptorem peti-
tione, seu instantia ad effectum
superius dictam declarationem
ab ecclesia habendi, tunc qua-
tenus contingat ut ecclesia con-
tractum infringere, remque ven-
ditam vendicare deliberet, o-
mnis in tali casu postulat ratio,
et aequitas, ut pretium ab ea
14. receptum emptori restituatur,
in quantum tamen ecclesia fa-
cta est locupletior, ut docet
Buratt. decis. 814. *n.* 1., *et* 2.
ubi quod Emptori incumbit o-
15. nus probandi versionem, et
locupletationem praedictam do-
cte *Sperell. decis.* 154., *et* 155.
ubi quomodo probetur d. ver-
16. sio. An autem in allegato ca-
su possit Ecclesia rem vendi-
tam vendicare una cum fructi-
bus ab emptore perceptis a die
celebrationis contractus, com-
munior circa hoc dubium mi-
17. hi videtur affirmativa senten-
tia, quam post multos alios se-
quitur *Demarin. resol. part. pr.
cap.* 8. *n.* 1. ubi etiam pun-
18. ctum examinat in hypothesi,
quod contractus sit nullus ex
eo, quod a Commissario non
sit servata forma beneplaciti
Rot. dec. 397. *n.* 9. *par.* 17.
rec. Sperell. decis. 154. *n.* 64.
et seq. Sabell. var. resol. cap.
98. *n.* 36. ubi tamen subdit
quod vice versa necesse est,
ut pro parte Ecclesiae solvan-
tur seu compensentur emptori
fructus recompensativi pro pre-
19. tio ab ipsa recepto, et in e-
jus utilitate verso, quia alias
contra omnem rationem, et ae-
quitatem esset, quod Ecclesia
consequeretur fructus rei ven-
ditae, et ulterius gavisa esset
pretio ab emptore soluto, quo
mediante se exemisset a censi-
bus, aliisve similibus debitis;
et licet contra hanc sententiam
mordicus pugnare videantur de-
ducta in terminis p. *Sperell.
decis.* 155. *n.* 67., hujus tamen

docti viri opinio mihi, ut ve-
20. rum fatear, vera non videtur, quoniam ratio, super qua innititur, videlicet, quod quoties agitur de venditione facta ab ecclesia, vel a minore, cum tunc contractus stet in suspenso, et in implicito statu validitatis, donec ab ecclesia ejusdem contractus nullitas opponatur, hinc sequitur emptorem ad fructuum restitutionem conveniri neutiquam posse, hujusmodi in quam ratio evidens aequivocum continere manibus quodammodo tangi potest, tum ponderando, quod quando dicitur contractum nulliter cum ecclesia, vel minore celebratum in implicito statu validitatis permanere, hoc tantummodo procedit favore ecclesiae, et minoris, tum etiam quia alias sequeretur absurdum, ut id quod favore ecclesiae, et minori, inductum est, in eorum damnum, et evidens praejudicium retorqueretur, ut de se patet.

Denique pro corollario redeundo ad id, quod fuit superius dictum de beneplacito apostolico impetrando, in venditionibus rerum ecclesiae est hic utiliter sciendum quod, et si illud regulariter sit adhibendum, tamen non semper est necessarium; et primo limita, ut sine eo venditio recte fieri pos-
21. sit quando agitur de re modica ad notata *in can. terrulas, et can. si quos* 12. *quaest.* 2. *Barbos. de Episcop. alleg.* 95. *n.* 50. *omnino viden. Fagnan. in cap. nulli de reb. Eccl. non alien. n.* 24., *et seq.* ubi quod re-
22. mittitur judicis arbitrio quando res dicatur modici valoris, et tradit exempla *De Angelis de confess. lib.* 3. *quaest.* 2. *n.* 50. ubi
23. quod in hoc casu sufficit licentia Episcopi. Limita secundo, ut beneplacitum praedictum non sit necessarium in venditione
24. necessaria, factaque ex causa necessitatis *ut in praecedenti consult. fuit dictum in terminis Minoris sub n.* 22., *et notat. Ciarlin. contr. for.* 183. *n.* 123., et in terminis venditionis facta de mandato Judicis pro aere alie-
25. no solvendo, dummodo aes alienum legitime, et cum solemnitatibus contractum sit dixit *Rota in Amerina Bonorum* 2. *Junii* 1645. *Rozas Ciarlin. d. contr.* 183. *n.* 133., *et seq.* ubi eam adducit rationem, quia praedicta venditio tanquam facta Judicis auctoritate, et mandato dicitur necessaria. Limita tertio, ut venditio bonorum Ecclesiae valide fieri possit sine beneplacito apostolico, quando bona adhuc Ecclesiae incorporata non sunt, sed agitur de
26. solo jure quaerendo, ut late materiam examinando docte ponderat *Urceol. de transact. quaest.* 24. *n.* 27. 28., *et* 29. ubi docet quomodo haec limitatio intelligenda sit. Limita quarto, ut superius dicta de solemnitatibus non procedant in venditione fructuum bono-
27. rum Ecclesiae, quoniam fructus cum ad Rectorem perti-

neant, et in eorum distractione de illius tantummodo praejudicio agatur, propterea valet venditio sine solemnitatibus, ut bene notat *Altograd. cons.* 27. *n.* 34. *lib.* 1. *et dixit Rot. coram Roxas decis.* 364. *n.* 13. *cum ibi congest.* Limita quinto, ut venditio sine beneplacito apostolico fieri possit, quando agitur de bonis ad confraterni-
28. tates, hospitales, aliaque similia loca spectantibus, hujusque rei ea adducitur ratio, quia licet in praedictis locis opera pietatis exerceantur, attamen quia vere non dicuntur, nec dici possunt loca pia, nisi auctoritate ordinarii erecta fuisse appareat, et conijci possit, ideo non est necessarium beneplacitum, ut pulchre firmavit *Rot. decis.* 248. *n.* 18., *et* 19. *part.* 11. *rec. de Luc, de alien. disc.* 1. ubi concordantes habentur. An autem in distractione pecuniae ecclesiae, vel minoris sint necessariae solemnitates, praesertim si sit desti-
29. nata ad emptionem stabilium, censuum etc. videndi sunt allegati per *Gratian. discept. for. cap.* 931. *n.* 12. *Barbos. de potest. Episcop. alleg.* 95. *Rot. rec. decis.* 297. *n.* 1., *et seq. part.* 13. ubi loquitur in terminis pecuniae provenientis ex bonis stabilibus ecclesiae; et depositatae ad effectum eam investiendi in utilitatem ecclesiae.

ARGUMENTUM.

An, et quando emptor stare debeat locationi per venditorem factae breviter discutitur, et ventilatur

SUMMARIUM.

1. *Regulariter emptor rei locatae non tenetur stare locationi.*
2. *Conductori competit sola actio personalis contra locantem quae non datur contra singularem successorem.*
3. *Solum attenditur, quod titulus, quo mediante succeditur, sit particularis.*
4. *Colonus cogi non potest ad perseverandum ab emptore.*
5. *Emptor tenetur stare locationi, quando conductor habet specialiter hypothecatam rem conductam, et ulterius habet pactum de non alienando, etc.*
6. *Sed verior sententia est, ut sufficiat d. hypotheca specialis pro observantia contractus.*
7. *Adducitur ratio hujus propositionis.*
8. *Stante hypotheca generali conductor expelli potest soluto ei interesse, non sic vero supposita speciali hypotheca.*
9. *Conductor, qui habet hypothecam generalem omnium bonorum locatoris una cum juramento pro observantia contractus expelli non potest.*
10. *Et hujus rei vera ratio examinatur.*
11. *Emptor qui sciebat rem esse locatam etiam per solam scien-*

tiam generalem tenetur stare locationi.

12. *Contrarium tamen, idest quod scientia specifica requiratur probabilius videtur.*

13 *Et explicatur, quando adversariorum sententia procedat.*

14. *Quando locatio est ad longum tempus, emptor ei stare debet.*

15. *Emptor tenetur stare colono partiario pro eo anno, quo coluit fundum.*

16. *Item emptor tenetur stare locationi, quando venditio ei fit ex causa necessaria.*

17. *Emens in vim pacti de redimendo pariter tenetur.*

18. *Ubi emptor aliquas pensiones a conductore recepit non potest eum expellere.*

19. *Emens jure praelationis debet stare locationi, ut hic declaratur.*

CONSULT. XXXVII.

Utilis, sed admodum anatomizata est a D. D. quaestio, quae nunc ad trutinam revocatur, videlicet an emptor rei locatae teneatur stare locationi praedictae per venditorem factae, ut omnibus de hac materia late scribentibus revolutis, intellectus super ea modicum quiescere videatur; verum quia, ut est vulgatum adagium, veritas saepius examinata magis elucescit, magisque cribrata splendescit, id circo infrascripta hic adnotare circa praedictam quaestionem non inanem censui laborem.

Sciendum est ergo in proposito, quod licet inter scribentes super praedicto puncto nulla cadat disputatio in assignatione regulae generalis, per quam statuitur emptorem rei locatae
1. nequaquam teneri perseverare in locatione facta per venditorem, sed omnes communi ore praedictam regulam, et propositionem libentissime firment, et amplectantur per *Text. in l. emptorem C. de locat., et conduct., et ibi gloss.* eaque etiam super innixi ratione, quia scilicet conductori per puram, et simplicem rei conductionem nullum jus acquiritur super re conducta, sed solum ei com-
2. petit actio personalis contra locantem, quae exerceri non potest contra singularem successorem, qualis est emptor, ut bene animadvertit *Cavaler. decis.* 612. *n:* 2., *et seq.* ubi etiam subdit, quod non attenditur an jus, in quod succe-
3. ditur sit universale, vel particulare, sed solum titulus, quo mediante succeditur *Merl. de pign. lib.* 4. *tit.* 5. *quaest.* 172. *n.* 1: ubi praedictam regulam firmat, et ait quoque, quod sicuti emptor non tenetur stare locationi, ita nec colonus
4. cogi potest ad perseverandum, quatenus emptor ei stare vellet *Mantic. de tacit., et ambig. lib.* 5. *tit.* 10. *n.* 1. *Bersan. de Viduis cap.* 2. *quaest.* 32. *n.* 1. His tamen non obstantibus acerba inter dd. scribentes, est quaestio, an eadem regula recte procedat, quando conductor

pro observantia contractus habet specialiter hypothecatam rem conductam, nec non etiam in hypothesi, quod appareat emptorem scientiam genericam locationis habuisse.

Unde propterea primam ex his difficultatibus capiendo, lectorem hic monitum volo, quod quicquid circa eam dixerint nonnulli, qui pro certo credentes hypothecam specialem praedictam neutiquam sufficere pro excludenda regula generali superius adducta, firmarunt ad
5. talem effectum ulterius necessarium esse pactum expressum de non alienando rem locatam, quos plena manu refert, et sequitur *Merl. de pign. lib.* 4. *tit.* 5. *quaest.* 172. *Antonell. de temp. legal. lib.* 1. *cap.* 39. verior probabilior, ac magis tuta sententia mihi videtur quod
6. utique praedicta hypotheca specialis sufficiat, moveorque ad hanc propositionem firmandam, tum quia supposita hypotheca speciali ad favorem conductoris pro observantia contractus, tunc si rei venditio sequatur, omnis postulat ratio,
7. ut eadem res in emptorem transeat, cum onere, cui est obnoxia, tum etiam, quia in hujusmodi themate si res bene, et accurate inspiciatur, citra veri praejudicium inficiari non potest quin prohibitio de non vendendo tacite contineatur sub praedicta speciali hypotheca, ut strenue hanc amplectendo sententiam dixit *Ruin. cons.* 180. *num.* 19. *in fine Rot. coram Ludovis. decis.* 68. *num.* 3., *et ibi Add. n.* 11. *ubi quod Rota in Romana locationis domus* 15. *Januarii* 1610. *coram R. P. D. Ottembergo* distinxit inter hypothecam specialem, et generalem, et stante hypotheca
8. generali admisit conductorem posse per successorem expelli, soluto ei interesse per eundem conductorem liquidando, secus vero supposita hypotheca speciali *Ciryac. discept.* 69. *n.* 10. hisque omnibus doctrinis accedunt etiam tradita per *Ottobon. decis.* 59. *n.* 3. *Marescot. var. resol. cap.* 18. *num.* 14. ubi cum aliis quos cumulant unanimiter concludunt, quod quando conductor pro obser-
9. vantia contractus habet hypothecata omnia bona locatoris, tunc si cum hujusmodi hypotheca generali concurrat ejusdem locatoris juramentum conductor expelli non potest, non alia pro meo judicio ducti ra-
10. tione, quia juramentum praedictum habet vim specialis hypothecae, alias etenim si pro ratione hujus conclusionis exadverso diceretur conductorem in tali casu expelli non posse, ex eo quod juramentum obligat praecise ad factum, ita ut non sufficiat implere per aequipollens, hujusmodi ratio omnino frivola esset, quoniam procedit tantummodo quo ad forum internum non vero in externo, ubi factum praedictum a jurante praestari non potest,

ut dixit *d. Ciroch. discept.* 69.
n. 10., *et seq. Sperell. decis.*
171. *n.* 32. *ubi dat concordan.*
et ait, quod per juramentum
praedictum efficitur solum ut
vendens peieret.

Prima autem ex praedictis diffi-
cultatibus resoluta, modo pro-
grediendo ad secundam, quae
circa illud versatur, an scili-
cet scientia generalis locationis
sufficiat ad hoc, ut emptor ei-
dem locationi stare teneatur,
breviter circa hunc punctum
respondeo, quod licet verum,
certumque sit non deficere D.
D. auctoritates, per quas statui-
11. tur praedictam scientiam ge-
neralem utique ad praefatum
effectum sufficere, inter quos
Bero cons. 2. *in fine lib.* 2. *Surd.*
decis. 265. *n.* 62. *Pacion. de*
locat., et conduct. cap. 61. *n.* 93.
Horum tamen D. D. sententia,
vel penitus falsa, et insubistens
est, ut multi putarunt firman-
tes scientiam genericam nequa-
quam sufficere, sed necessariam
12. esse specificam, eaque opti-
ma ratione ducuntur, quia sci-
licet supposita in emptore scien-
tia generica, adhuc tamen stat
bene cum ea simul, quod ipse
emptor ad emendum accedere
possit bona fide, credendo sci-
licet sibi competere remedium
a jure concessum expellendi
conductorem, vel ex eo quod
iste nullam hypothecam pro se
habeat, vel alia simili ratione
ductus, ut strenue post alios
quos cumulat probat *Ludovic.*
Post decis. Rot. Bonon. 19. *n.*
8., *et seq.* vel eorumdem D. D.
opinio tunc demum procedit,
semper quod emptori non in-
teresset rem emptam esse lo-
13. catam, veluti quia verisimi-
liter ad emendum accessisset,
etiam si scientiam specificam
locationis habuisset, vel ubi in
venditione expressa fuit loca-
tionis substantia cum indicatio-
ne instrumenti, tunc enim em-
ptore emente absque eo, quod
instet pro ostensione instrumen-
ti, vel pro dilatione ad effe-
ctum illud considerandi, vide-
tur, quod locationi consenserit,
ut ponderat *Ludov. Post. d.*
decis. 19. *ubi concordantes ha-*
bentur.

Alia postremo, quae pro corroni-
de hic late adnecti possent in
terminis ementis rem alteri lo-
catam, cum alto non indigeant
examine, videnda ideo sunt a-
pud infrascriptos doctores, vi-
delicet apud *Merl. de pignor.*
lib. 4. *tit.* 5. *quaest* 174. *n.* 57.
ubi, quod quando locatio est
facta ad longum tempus, puta
14. ad decennium, ad vitam, etc.
tunc emptor ei stare debet, et
eam adducit rationem, quia in
d. casu colonus habet jus in
re, sicut emphyteuta, usufru-
ctuarius, etc. ut dixit etiam
Antonell. de temp. legal. lib. 1.
cap. 39. *n.* 27., *et seq.* apud
quem alia etiam habentur, et
15. signanter, quod emptor tene-
tur stare colono partiario pro
eo anno, quo coluit fundum
Marescott. var. resol. lib. 1. *cap.*
18. *n.* 4., *et seq.* ubi ait, quod

quando venditio fit ex causa
16. necessaria, tunc is, in quem fit translatio rei stare debet locationi, et in specie de emen-
17. te in vim pacti de redimendo ultra *Marescott. loco citato videndus est quoque Ciarlin. contr.* 93. *n.* 10. *Antonell. loco supra citat.* multa etiam de hac materia docet *Pacion. de locat., et conduct. cap.* 61., *et* praesertim sub *n.* 95. ait quod si emptor aliquas pensiones a conductore
18. recepit, tunc praesumitur consensum praestitisse locationi, et ideo eam impugnare nequit. *D. Coradin. de Jur. praelat. quaest.* 30. *n.* 15., *et seq.* ubi ait, quod emens jure praelationis, tenetur stare locationi, si
19. primus emptor illi stare tenebatur, et dummodo res esset a venditore locata antequam venderetur, secus vero quando res fuit locata a primo emptore post emptionem, quia tunc praelationem petens, et obtinens non tenetur stare locationi, ob rationes quas late cumulat auctor citatus.

ARGUMENTUM.

Quaeritur an, et quando bona emphyteutica citra poenam caducitatis vendi, et alienari possint irrequisito domino directo, et aliqua etiam indicantur circa venditionem eorumdem bonorum ad praejudicium successorum.

SUMMARIUM.

1. *Adducuntur eam examinantes quaestionem, scilicet quando emphyteuta irrequisito domino possit rem emphyteuticam vendere, donare, et permutare.*
2. *Emphyteuta potest rem vendere et alienare, quando hujusmodi facultatem a domino obtinuit.*
3. *Adducitur dispositio test. in l. fin. C. de jur emphyt.*
4. *Emphyteuta, qui vendit, sed rem non tradit, caducitatem non incurrit, etiam si venditio fiat inconsulto domino, et cum clausula constituti, dummodo in hoc casu in venditione apponatur protestatio salvo jure, et consensu domini.*
5. *Venditio facta cum d. protestatione salvo jure, etc. non dicitur conditionalis.*
6. *Hujusmodi protestatio tamen praeservativa dicitur jurium domini directi.*
7. *Emphyteuta, qui facultatem alienandi non habet, si vendit, et rem cum effectu emptori tradit, caducitatem incurrit, non obstante protestatione salvo jure, et consensu domini.*
8. *Amplia secundum aliquos, etiam si fuerint protestationi praedictae addita verba, et non alias, aliter, nec alio modo, licet contrarium tanquam verius hic amplectatur.*
9. *Quando venditio est facta cum clausula salvo consensu domini, tunc onus venditori incumbit hujusmodi consensum impetrandi, nisi aliter sit conventum.*

10. *Venditio rei emphyteuticae inconsulto domino valet, quando res facile recuperari potest a tertio, in quem est translata, et haec propositio exemplificatur.*
11. *In venditione rei emphyteuticae etiam necessaria habet locum praelatio favore domini.*
12. *In d. tamen casu non est necessarium requirere dominum ad effectum evitandi caducitatem.*
13. *Venditio, et alienatio rei emphyteuticae, ex causa dotis valet sine consensu domini, et absque solutione laudemii.*
14. *In venditione ad hastam pro satisfaciendis creditoribus non est necessarius consensus domini.*
15. *Allegantur examinantes quaestionem, an scilicet bona emphyteutica alienari possint ad praejudicium successorum, si emphyteusis est pactionata.*
16. *Item alii allegantur in terminis emphyteusis ecclesiasticae.*

CONSULT. XXXVIII.

Est quaestio in foris saepenumero controversa, an scilicet, et quando emphyteutae tuto, et citra poenam caducitatis permissum sit de re emphyteutica inconsulto, et irrequisito domino directo disponere, quam post multos alios, quos congerit in terminis donationis,
1. permutationis, et venditionis examinat *Paulus Rubeus in annot. ad decis.* 131. *n.* 1., *et seq. per tot. par.* 8. *rec.* Quid igitur juris sit circa hujusmodi dubium pro ornamento istius materiae hic ego quoque suscitans quaesitum, omissis iis quae donationem, et permutationem rei emphyteuticae concernunt, respondeo, quod pro clara praedicti puncti determinatione infrascripti distinguendi sunt casus.

Primus itaque casus, qui hic adducitur est quando ex instrumento acquisitionis in emphyteusim clare constat de pacto, per quod emphyteutae acquirenti, aliisque ad emphyteusim vocatis patet concessam fuisse a domino directo facultatem de re emphyteutica disponendi, et in quemcumque libere alienandi, et in hujusmodi hypothesi sine ulla animi haesitatione censeo respondendum utique emphyteutae permissum esse de
2. re emphyteutica disponere, eamque in tertium transferre, et alienare, etiam nulla facta requisitione domino directo ante praedictam alienationem, eaque ratione moveor, quoniam alias facultas superius dicta inserviret de vento, ut de se patet, et litteraliter disponitur in *Text. in l. fin. C. de jur. emphyteu.* ubi habetur, quod si emphyteuta, non habet pactum, vi-
3. gore cujus possit de re ad libitum disponere, requirere debet dominum, et per duos menses expectare ad hoc, ut idem dominus deliberare possit, an velit pro eodem pretio aliis praeferri, vel novum emptorem approbando quinquagesimam recipere, et pulchre notat etiam

D. Coradin. de jur. praelat. quaest. 31. *n.* 33., *et* 34. *Rub. in annot. ad d. decis.* 131. *n.* 192., *et seq. par.* 8. *rec.*

Secundus est casus, quando emphyteuta nullam vendendi, et alienandi facultatem habet a domino directo, et tunc distinctio, quae communiter est amplexata, et quae omnem removet difficultatem in eo consistit, quod aut emphyteuta tantummodo vendidit, sed ad veram, et realem rei traditionem non devenit, et neutiquam
4. ob dictam venditionem caducitatem incidisse dicendum est, etiam si venditio facta fuisset cum clausula constituti, dummodo tamen in venditione apposita sit clausula, seu protestatio, salvo jure, et consensu domini, ut optime ponderat *Urceol. consult. for. cap.* 33. *n.* 7. 8., *et seq.*, *et dat. concordan.* haecque veritas ea, etiam suadetur ratione, quia licet per protestationem praedictam non
5. reddatur venditio conditionalis, ut docte firmavit *Matarell. in consult. impress. penes Urceol. consult.* 5. *num.* 80., *et S. Rota Rom. in Ravenaten. pecuniaria ibidem impress. num.* 94., *et seq.*, quia tamen per eam
6. jus domini directi omnino praeservatur, ut dixit eadem *Rota loco mox citato*, ideo caducitas in hujusmodi themate locum habere non potest, non obstante praedicta clausula constituti, quae ob protestationem praedictam nullum operatur effectum nisi domini consensu obtento, ut edocet *Post. de manut. obs.* 20. *num.* 19., *et seq. Urceol. d. consult.* 33. *num.* 7. 8., *et seq.* ubi propterea ait, quod dicta protestatio non dicitur contraria facto; aut vero praeter venditionem, emphyteuta vendens ulterius ad veram, et realem rei traditionem devenit, et tunc etiam si appareat adhibitam fuisse cautelam vendendi cum clausula, et
7. protestatione praedicta, adhuc tamen verior sententia est quod vendens in caducitatem incidat, cum in hujusmodi casu protestatio dicatur contraria facto, et fraudulenta, ut pluribus aliis relatis elegante dixit *Mantic. de tacit. lib.* 22. *tit.* 28. *n.* 21. *Rubeus in annot. ad d. decis.* 131. *n.* 204. *et seq. par.* 8. *rec.* ubi hanc propositionem ampliat, etiam si jus domini directi fuisset reservatum cum clausula salvo consensu domini, et non alias, aliter, nec
8. alio modo, cujus tamen contrarium, et quidem melius pro meo judicio firmat, et sustinet *Urceol. d. cap.* 33. *n.* 10., *et seq.* ubi optimas rationes adducit, et viginti D. D., et ultra congerit subdens, etiam adversariorum sententiam procedere ubi simpliciter fit venditio, et traditio salvo consensu domini, absque d. clausula, et non alias, aliter, nec alio modo.

Si vero hic quis quaereret, an in illis casibus, in quibus venditio rei emphyteuticae est facta

cum clausula salvo consensu domini, an inquam tunc onus emptori, vel potius venditori incumbat dictum consensum impetrandi, censerem respondendum praedictum onus venditori, non autem emptori incum-
9. bere, nisi aliter inter partes conventum sit, per ea quae notavit *Bursatt. cons.* 56. *n.* 15., *et seq. Rot. decis.* 140. *n.* 1. 2., *et seq. par.* 9. *t. p. rec.* ubi alii concordantes habentur, cum sit conclusio receptissima.

His autem sic positis descendendo ad alios casus, in quibus licitum est emphyteutae, domino prius non requisito de bonis emphyteuticis tuto disponere, dico tertio, quod quoties res ita se habet, ut bona quae alienantur a tertio facile possint recuperari, veluti quia emptor se obliget, et promptus sit absque ulla controversia, et lite dominum directum recognoscere ei offerendo quinquagesimam, vel rem emptam, quatenus praeferri vellet, tunc verisimilius existimo de validitate venditionis neutiquam ambigi posse, eaque ratione moveor, quia in hujusmodi hypothesi jus domini directi nullo modo fit deterius, et cessare videtur ratio finalis, ob quam in *allegata l. fin.* statuitur dominum directum prius requirendum esse, ut optime firmavit *Rubeus pluries citat. n.* 321., *et* 322.

Ultimo est hic notandum pro 4.° casu, quod in disputationibus, quae oriuntur occasione alienationis factae per emphyteutam domino directo irrequisito, illud prae caeteris est etiam inspiciendum, an scilicet alienatio praedicta esset necessaria, ita ut evitari non posset nec ne quoniam ubi re vera esset talis, communiter dicunt D. D., quod licet domino directo com-
11. pètat praelatio, et ipse ad hujusmodi effectum sit requirendus, ut optime notat *D. Coradin. de jur. praelat. quaest.* 31. *n.* 54. *ubi dat concordan.*, et alia circa praelationem subdit,
12. tamen eum requirere non est necessarium ad effectum evitandi caducitatem, ut ultra *Coradin. loco mox citato* animadvertit *Rot. decis.* 140. *n.* 13. *part.* 9. *tom.* 1., *et decis.* 55. *n.* 26., *et seq. par.* 10. *rec.* ubi loquitur de alienatione facta ex causa dotis, eamque dicit va-
13. lere etiam domini consensu non obtento, et etiam absque solutione laudemii, dummodo mulier aliunde dotari non posset *Salgad. Labyr. Cred. par.* 3. *cap.* 3. *n.* 3., *et seq.* ubi ait, quod in venditione ad hastam, quam
14. facit Judex pro satisfaciendis creditoribus tanquam coacta, et necessaria, non requiritur consensus domini, subdens tamen quod debet fieri cum clausula salvo jure domini directi, et alia quoque loco citato lato calamo subnectit circa praejudicium successorum, videlicet, an, et quando bona emphyteutica alienari possint ad prae-

judicium successorum, circa
15. quam quaestionem multa etiam habentur apud *Rot. decis.* 265. *par.* 4. *t. prim. decis.* 55. *part.* 10. *rec.*, *et in Amerin. emphyteus.* 15. *Februarii* 1694. *R. P. D. Ursino impress. penes Card. de Luc.*, *et est decis.* 16. *post lib.* 4. *part.* 2. *tit. de emphyt.*, quae omnes decisiones loquuntur in casu emphyteusis pactio-
16. natae, et in terminis emphyteusis ecclesiasticae videnda est *Rot. decis.* 427. *par.* 9. *decis.* 55. *n.* 4. *p.* 10., *et decis.* 209. *eadem. par.* 10. *decis.* 340. *par.* 11. *decis.* 225., *et* 373. *p.* 17. *rec.*, *et decis.* 48. *post. Card. Albic. de inconstan. de jud.*

ARGUMENTUM.

Explanatur difficultas, an, et quando venditio plurium corporum censeatur unica venditio; et quando tot venditiones dicantur, quot sunt corpora vendita; et denique consideratur differentia inter unum, et alterum casum.

SUMMARIUM

1. *Tot venditiones censentur, quot sunt corpora vendita, si venditio est facta pro pretiis distinctis, et separatis, vel omnia corpora fuerunt singulariter aestimata; nisi emptor probet, quod non nisi omnes res insimul fuisset empturus.*
2. *Et hoc procedit etiam si venditio in numero singulari fuerit appellata, et etiam si summae ex post essent coacervatae.*
3. *Venditio plurium corporum, unico pro eis constituto pretio, est unica venditio.*
4. *Limita quando corpora vendita fuerunt distinctim descripta.*
5. *Hanc tamen limitationem intellige, quando ex aliqua alia conjectura constat partes voluisse plures facere venditiones, et declaratio exemplificatur.*
6. *Quando venditio plurium rerum intelligitur, ut una venditio, unica etiam debetur gabella; secus vero ubi plures censentur venditiones.*
7. *Gabellae regulariter ab emptore solvendae sunt, nisi aliter sit conventum.*
8. *An gabellae ab emptore solutae sint eidem restituendae, quando contractus rescinditur.*
9. *Venditio plurium corporum si plures continet venditiones, et laesio in uno corpore apparet, est locus rescissioni contractus solum quo ad illud corpus.*
10. *Idem dicitur de venditione cum pacto redimendi, in qua hujusmodi pactum potest exerceri in uno tantum corpore, ubi venditio plurium corporum plures continet venditiones.*
11. *Si unum ex corporibus venditis evincatur, licitum est tantummodo pro eo agere, ubi venditio tot continet venditiones, quot corpora vendita; secus vero ubi venditio plurium corporum juxta regulam traditam censetur ut una venditio.*

CONSULT. XXXIX.

An venditio plurium rerum, seu
corporum insimul, unica tan-
tum venditio dicatur, vel po-
tius tot sint censendae vendi-
tiones, quot sunt corpora ven-
dita, communis, et recepta est
circa hujusmodi punctum re-
sponsio, seu distinctio, quod,
aut venditio est facta de plu-
ribus rebus singulariter aestima-
tis, vel pro pretiis distinctis,
et separatis, in easque singu-
1. las distributis, et tunc nisi pro
parte emptoris probetur, quod
ipse, verisimiliter Judicis ar-
bitrio, non nisi omnes res in-
simul fuisset empturus, tot ven-
ditiones censentur, quot sunt
corpora vendita, etiam quatenus
ex instrumento appareat vendi-
tionem in numero singulari fuis-
se appellatam, ut bene firma-
vit *Card. mantic. de tacit., et
ambig. lib.* 2. *tit.* 3. *n.* 12. *et
seq. Ciroch. discept.* 79. *n.* 2.
ad 6. *Merl. decis.* 195. *n.* 3.,
et 5. ubi, quod hoc procedit
2. etiam si summae ex post es-
sent coacervatae, veluti quia
fuisset dictum, quae summae
constituunt ex. gr. mille; aut
vero venditio plurium rerum,
et corporum est facta unico
pro eis omnibus constituto pre-
tio, et tunc unicam, et indi-
3. viduam intelligi venditionem
strenue dixerunt *D. Card. man-
tic. de tacit., et ambig. lib.* 4.
tit. 32. *n.* 29. *D. Palma nepos
part. p. alleg.* 8. *n.* 9. Et licet
S. Rot. Rom. in decis. 328. *n.*
5. *part.* 11. *rec.* hanc secun-
dam partem distinctionis limi-
tare videatur quoties res ven-
4. ditae fuerunt distinctim descri-
ptae, et designatae, ex hac ta-
men distincta descriptione pro
meo judicio videtur, quod tu-
to concludi non possit partes
sensisse plures facere venditio-
nes, et consequenter in hujus-
modi themate tot esse censen-
das venditiones, quot sunt cor-
pora vendita distinctim descri-
pta, et ad hanc firmandam
propositionem moveor, quoniam
quoties pro omnibus rebus u-
nicum pretium est constitutum,
nisi contrarium probetur saltem
per conjecturas praedicta de-
scriptio videtur potius facta ad
ostendendum omne id, quod
fuit venditum, quam ad alium
effectum; unde S. Rotae au-
ctoritas tunc demum procedere
posset, semper quod ex aliqua
5. alia conjectura, sufficienter
Judicis arbitrio colligi posset,
partes a principio sensisse plu-
res facere emptiones, et vendi-
tiones, veluti quia ageretur de
venditione rerum diversae spe-
ciei, et diversam naturam re-
tinentium, et quarum unam-
quamque emptor, et venditor
fuisset empturus, et venditu-
rus sine aliis, ut a contrario
sensu eorum, quae superius di-
ximus arguendo de se patet, et
videtur etiam de mente *S. Ro-
tae loco supra citato, ut signan-
ter videre est sub n.* 18.

His autem sic praelibatis elegan-
ter hic primo infertur, quod

ubi venditio plurium rerum seu corporum est intelligenda, ut una venditio, unica etiam tunc
6. debetur gabella, stante statuto de his gabellis solvendis, secus vero ubi tot censentur venditiones, quot sunt corpora vendita, quia in hujusmodi casu plures debentur gabellae, ut optime animadvertit *Mantic. de tacit., et ambig. d. lib.* 2. *tit.* 3. *n.* 13. Et circa has gabellas, est etiam in proposito ad notandum, quod regulariter istae
7. solvendae sunt ab emptore, nisi contrarium inter partes dispositum sit per ea, quae notavit *Gratian. discept. for. cap.* 343. *n.* 25., *et cap.* 549. *n.* 32., *et* 33. *Rot. decis.* 121. *n.* 7. *par.* 14. *rec., et conferunt etiam tradita per Cyriac. contr.* 63. ubi late quaerit an gabellae
8. ab emptore solutae, sint eidem restituendae, quando contractus rescinditur.

Infertur secundo, quod supposita pluralitate venditionum ob pluralitatem corporum, si laesio, vel defectus appareat in uno ex corporibus venditis, in
9. hujusmodi hypothesi sequitur per consequens necessarium, quod locus esse possit rescissioni contractus solummodo quoad illud corpus, et in caeteris sustineatur venditio, ut post *Mantic. loco citato n.* 14. *aliosque quos ipse cumulat pulchre dixit Rot. decis.* 154. *n.* 18. *par.* 8. *rec.*

Infertur tertio, quod facta venditione plurium corporum insimul cum pacto redimendi, tunc si res ita se habet, ut juxta regulam traditam tot sint censendae venditiones, quot sunt corpora vendita, poterit etiam
10. in hujusmodi themate pactum praedictum exerceri contra unicum tantum ex praedictis pluribus corporibus venditis, ut sapienter firmavit *Merl. decis.* 195. *per tot. Ciroch. discept.* 79. *n.* 4., *et* 5. *ubi alios adducit concordan.*

Infertur quarto, quod ubi venditio plurium corporum plures continet venditiones, tunc si evictio unius ex corporibus venditis sequatur, emptori permissum est tantummodo agere de
11. evictione pro corpore evicto, secus vero quando venditio plurium corporum censetur facta veluti de uno corpore, et habetur pro unica venditione, quia in hujusmodi casu emptori licitum est pro omnibus corporibus agere, ut ponderat *Mangil. de evict. quaest.* 165. *n.* 3., *et* 4. ubi etiam subdit, quod quando emptor verisimiliter judicis arbitrio alia corpora fuisset empturus sine eo quod fuit evictum, tunc emptor non posset agere pro rebus non evictis, quod tamen hic non indigebat replicatione, quoniam in hujusmodi facti specie venditio non dicitur una, sed plures sunt venditiones, per ea quae supra fuerunt dicta.

ARGUMENTUM.

Examinatur in hoc loco an pactum, seu promissio de non vendendo rem nisi certae personae, validum, et subsistens sit, et quando in vim illius promissario competat praelatio.

SUMMARIUM.

1. *Pactum, quo convenitur ut unus ex contrahentibus nequeat rem sibi obventam vendere nisi alteri parti, de jure validum est.*
2. *Et hujusmodi pactum nedum obligat promissorem, sed etiam ejus haeredes.*
3. *Est tamen necessarium, ut petens praelationem super re vendenda sit ipsemet promissarius, non autem alius qui ei titulo particulari successerit.*
4. *Et adducitur hujus conclusionis exemplum.*
5. *Secundo requiritur ut res promissa sit penes promittentem, et de ea non disposuerit, alias sola actio personalis contra promittentem promissario competeret, et praelatio praedicta cessaret.*
6. *Limita tamen stante hypotheca speciali ad favorem promissarii, qua concurrente habet locum praelatio etiam si de re fuerit dispositum.*
7. *Item limita supposita hypotheca generali una cum juramento promittentis, secus vero solo juramento promittentis concurrente, ut hic declaratur.*
8. *Facta promissione de non vendendo nisi certae personae, si deinde alteri vendatur, habet promissarius actionem personalem contra promittentem, sed emptor, ut dictum fuit, praefertur.*
9. *Ad effectum, ut promissarius praelationem praetendere possit, requiritur, ut promittens declaret velle vendere.*
10. *Ita ut ad venditionem cogi non possit nisi in dicto casu.*

CONSULT. XL.

In divisionibus, permutationibus, aliisque contractibus cum saepe saepius inter contrahentes in pactum deducatur, ut una pars nequeat rem sibi in contractu obventam vendere, et alienare, nisi alteri parti, ac illa prius requisita, hincque passim etiam eveniat, ut inter easdem partes occasione hujusmodi conventionis variae oriantur disputationes, censui ideo hic adnotandum, quod omnes difficultates regulariter ad duas restringuntur, altera scilicet est, an praedicta pacta de jure valida sint, et sustineantur; altera vero in dignoscendis, et enumerandis requisitis necessariis ad effectum eadem pacta exercendi consistit; unde quod attinet ad primam difficultatem, licet eam aliquando promoveri audiverim ab idiotis personis, veritatem tamen ingenue fateor,
1. quod evidens fatuitas mihi videretur, si quis in jure peritus de hujusmodi re dubitaret, moveorque ad ita firmandum, quoniam ex apertissimis, et notis

juris sanctionibus habemus, quod pacta, et obligationes, quae contra leges, et bonos mores non sunt, omnino servari debent, cum a principio sint voluntatis, ex post vero necessitatis, ut optime in terminis notat *Ciroc. discept.* 69. *n.* 28., *et seq. Seraph. decis.* 805. *n.* 1. *ad* 11. ubi etiam subdit, quod pactum de non vendendo rem nisi certae personae adeo est de jure validum, ut nedum ob-
2. liget promissorem, sed etiam ejus haeredes, quamvis de illis nulla facta sit mentio. Quod vero ad secundam difficultatem pertinet, breviter respondeo, quod ad effectum, ut praedicta pacta contra promittentem, vel ejus haeredes exerceri possint, tria necessario concurrere debent; primum scilicet est, ut cupiens super re vendenda
3. praeferri sit ipsemet promissarius, non autem tertius, qui eidem promissario titulo particulari successerit, ut docte ponderat *De Marin. resol. quotid.* 159. *per tot. lib.* 2. ubi loquitur in hypothesi, quod inter duos sequuta sit divisio aliquorum bonorum ea inter ipsos inita pactione, quod unus nequeat partem sibi obventam alicui vendere, nisi altera parte prius requisita, ad hoc ut ea volente possit aliis praefer-
4. ri, et ait, quod in hoc casu, si portio, quae promissario obvenit ad aliquem titulo particulari emptionis transeat, ait inquam, huic tertio neutiquam competere praelationem, quae competebat auctori suo, quoniam pactum favore ejus auctoris stipulatum, tanquam personale, non transit ad dictum tertium emptorem, uti singularem successorem. Secundum porro requisitum est, ut res, quam promittens nulli vendere nisi promissario requisito dixit, penes eumdem promittentem reperiatur, et de ea
5. non disposuerit, alias enim sola actio personalis ex empto promissario contra promittentem competeret, ut pulchre animadvertit *D. Franciscus Palma consul.* 13. *n.* 13. ubi tamen optime subdit hanc propositionem non procedere, quando favore promissarii pro observantia conventionis adesset
6. specialis rei hypotheca, ea enim concurrente, verisimilius mihi quoque videtur praelationem promissario competere, etiam si promittens de re disposuerit *Ciroch. discept.* 69. *n.* 28., *et seq.* ubi aliam ipse quoque addit limitationem, videlicet, ut dicta propositio non procedat quando praedictus promissarius habet pro se hypothecam generalem una cum juramento
7. promittentis, secus vero solo promittentis juramento concurrente, quia tunc promissario praelatio non competeret, nisi promittens rem penes se haberet, eamque tradere posset et superius dictis n. 5. addi etiam merentur tradita per *Fabr. in suo Cod. Fabrian. lib.* 4. *tit.* 36.

de pact. inter empt., et vendit. definit. 2. *post haec scripta visus* ubi ait, quod facta promissione de non vendendo nisi certae personae, si deinde alteri vendatur, habet quidem promissarius actionem personalem ex
8. empto contra promittentem, sed tamen emptor praedictus praefertur promissario, quoniam plus juris habet ad rem, cui jam fuit venditum, quam cui erat facienda venditio, quod tamen est intelligendum, cum limitationibus superius traditis. Tertium denique requisitum, quod supra dixi ad praefatum effectum necessarium esse, in eo residet, ut ex parte promittentis
9. fiat declaratio, quod ipse rem vendere vult, et intendit, ut optime notat *Seraph. d. decis.* 805. *n.* 11. ubi, quod nisi promittens declaret, et intendat
10. rem velle vendere, non potest in vim dictae promissionis cogi ad vendendum.

ARGUMENTUM.

Adducuntur multa circa materiam evictionis infra videnda in summario.

SUMMARIUM.

1. *Re empta evicta, potest emptor contra venditorem agere de evictione, et etiam contra tertios possessores, si litem venditori denunciavit, et scientiam oneris, ob quod rei evictio est sequuta non habuit.*

2. *Et hoc secundum veriorem sententiam procedit etiam si de sola possessionis avocatione ageretur.*

3. *An scientia onerum rei semper praecludat emptori viam agendi de evictione allegatur consult. in qua fuit de hac re actum.*

4. *Ad effectum agendi de evictione regulariter est necessaria litis, et molestiarum denunciatio.*

5. *Sufficit tamen, quod haec denunciatio fuerit facta auctori principali, et non est necessarium, ut fuerit facta tertiis possessoribus, vel fidejussoribus.*

6. *Quando emptor non agit de evictione, sed pro liberatione a molestiis, et traditione rei liberae, non est necessaria praedicta denunciatio.*

7. *Est pariter frustranea, quando emptor, et venditor insimul, et in eodem judicio conveniuntur.*

8. *Item quando in instrumento ei renunciatum fuit.*

9. *Item quoties constat venditori nullam competere defensionem.*

10. *Ubi evictio est justa emptor non tenetur, nec minus appellare.*

11. *Emptor ante sententiam imo, et litem motam potest transigere cum creditore habente actionem claram ad rem venditam, et deinde a venditore repetere omne, quod fuit solutum hujusmodi occasione.*

12. *Quando denunciatio fuit ab emptore omissa, ei onus incumbit probandi justitiam evictionis.*

13. *Emptor transigendo cum creditore, potest reportare cessionem totius crediti, et deinde agere tam pro summa soluta cum*

omnibus damnis, etc. quam pro non soluta, sed in cessione contenta, cum declarationibus, quas adducit auctor hic citatus.

14. *Et quid dicendum, an scilicet hactenus dicta circa transactionem procedant quando venditor jam assumpsit in se litem.*

15. *Litis denunciatio sufficit, ut fiat etiam in gradu appellationis.*

16. *Facta litis denunciatione, si venditor emptorem non defendit tenetur ad omnia damna, et interesse.*

17. *Et emptor contra eum agere potest ex iisdem actis, et sententia contra ipsum lata.*

18. *Etiam si res emptori indebite, et injuste evicta fuisset.*

19. *Et rursus etiam si res posita ad hastam per creditorem venditoris fuisset injusto pretio vendita.*

20. *Facta denunciatione praedicta, si venditor comparet, ea omnia facere potest, quae emptori permittebantur.*

CONSULT. XLI.

Tuta, et communiter recepta est propositio, quam pro emptoribus fere quotidie in medium adducunt in Foris versantes, videlicet, quod ubi em-
1. ptor nullam habuit scientiam oneris, ob quod rei evictio sequuta est, et ulterius ipsum cautum fuisse patet in denunciandis venditori molestiis sibi illatis, quod tunc inquam, utique tuto agere potest de evictione contra eundem venditorem, et etiam contra tertios possessores, ut infinitis aliis omissis bene ponderat *Rota decis.* 313. *n.* 1. *ad* 7. *par.* 10. *rec.*, *et alibi passim*, et etiam si de sola possessionis avocatio-
2. ne ageretur, cum nulla sit differentia considerabilis inter rei evictionem, et possessionis avocationem, ut docte firmavit *Merenda contr. jur. lib.* 24. *cap.* 40. *n.* 9. *et seq. Staiban. jun. resol.* 112. *n.* 1., *et* 2. *lib.* 2. *Urceol. in appendic. ad consult. for. cap.* 25. *n.* 21.; verum quia, ut ex his, quae hactenus diximus, clare patet, aliqua difficultas in his casibus contra emptorem cadere potest in hypothesi, quod ipse sciens fuerit onerum rei emptae evictae, vel quatenus superius dictam litis, et molestiarum intimationem omiserit, propterea quoad scientiam praedictam ad evitandas inutiles re-
3. plicationes dicimus videnda esse, quae dicta fuerunt in consult. 14. quo vero ad intimationem molestiarum venditori faciendam, infrascriptae notandae sunt conclusiones.

Primo igitur loco sciendum est, quod licet inter J. C. nulla cadat disputatio in assignatione regulae generalis, per quam statuitur, quod ad effectum agendi de evictione contra venditorem, regulariter est necessarium, ut ei fuerit facta litis,
4. et molestiarum denunciatio, per doctrinas cumulatas in consult. 22. n ...., et docent *Mangil. de evict. quaest.* 3. *per*

tot. et quaest. 4. *n.* 14. *Rot.*
par. 16. *rec. decis.* 292. *n.* 3.
par. 17. *decis.* 200. *n.* 4., *et*
par. 18. *decis.* 352. *n.* 6. *et*
seq. tom. 1. *Altograd. cons.* 15.
n. 25. *lib.* 1. *Urceol. consult. for.*
in appendic. ad cap. 25. *n.* 1.
ubi tamen ait, quod sufficit
5. hanc denunciationem fuisse fa-
ctam auctori principali, non
autem est necesse ut fuerit fa-
cta tertiis possessoribus, vel fi-
deiussoribus, contra quos em-
ptor agere intendit; nihilomi-
nus tamen libentissime admit-
tunt D. D. multos reperiri ca-
sus, in quibus praedicta denun-
ciatio litis, et molestiarum neu-
tiquam est necessaria, videli-
cet quando emptor contra ven-
ditorem non agit de evictione,
6. sed solum pro liberatione a
molestiis, et pro traditione rei
liberae, ut pulchre firmavit
Rot. decis. 387. *n.* 7., *et* 8. *par.*
17. *rec. ubi dat concordan.*
Secundo, quando emptor et ven-
7. ditor insimul, et in eodem
judicio conveniuntur ab eo, qui
rem evincere praetendit ter-
tio quando in instrumento ven-
8. ditionis renunciatum fuit prae-
dictae denunciationi; quarto
quoties patet venditori nullam
9. competere defensionem, quos
omnes una cum aliis casibus
apud eum videndis lato calamo
recenset *Mangil. in suo tracta-*
tu de evict. d. quaest. 4. *n.* 23.,
et seq., et circa hunc quartum
casum, quando scilicet vendi-
tori nulla competit defensio,
conferunt quae dicta fuerunt in
consult. 22. circa finem, quibus
addo quoque *Rot. decis.* 404. *n.*
5. *par.* 9. *decis.* 278. *n.* 9. *par.*
11., *et decis.* 292. *n.* 4. *par.*
16. *rec. Altograd. cons.* 15. *n.*
15., *et seq. lib.* 1. ubi quod,
stante justitia evictionis, emptor
10. non tenetur nec minus ap-
pellare, nec causam appellatio-
nis prosequi *Urceol. de transac.*
quaest. 42. *n.* 32., *et seq.* ubi
quod emptor ante sententiam,
imo, et ante litem motam si
extat periculum evictionis abs-
que ulla denunciatione, bonam
fidem agnoscendo potest etiam
transigere cum creditore haben-
11. te actionem ad rem venditam
per instrumentum, rem judi-
catam, vel alio simili modo,
et sic evictionem praevenire,
repetendo deinde a venditore,
vel ejus haeredibus omne quod
fuit solutum, causa hujusmodi
transactionis, subdens tamen
sub *n.* 45., *et* 46., quod ubi
denunciatio ab emptore fuit
12. omissa, tunc onus ei incum-
bit ostendendi justitiam evictio-
nis, ex eo quod venditori nul-
la competeret defensio, ea op-
tima ratione, quia scilicet em-
ptor denunciationem molestia-
rum omittendo, cum videatur
culposus, omnis suadet ratio,
ut hujusmodi culpa per ipsum
purgetur, quicquid in contra-
rium dixerint nonnulli, quos
merito rejicit auctor citatus,
et superius dictis sub num. 5.
addi etiam merentur late tra-
dita per eundem *Urceol. consult.*
for. cap. 51. ubi quod quando

emptori est allata molestia ab aliquo venditoris creditore, potest ipse emptor cum creditore, ut dictum fuit transigere, et ulterius reportare cessionem totius crediti, eaque sic obten-
13. ta, deinde agere, nedum pro summa soluta cum omnibus damnis, expensis, et interesse, verum etiam pro summa non soluta in cessione scilicet contenta, quod tamen quomodo procedat tam contra venditorem, quam contra posteriores venditoris creditores, aliosque tertios possessores, late docet citatus auctor, et denique an hactenus dicta circa d. quartum
14. casum procedant in hypothesi, quod venditor jam assumpserit in se litem, emptorisque defensionem, videnda est *Rot. decis.* 626. *par.* 18. *rec. cum ibi congestis.*

Secundo sciendum est, quod in illis casibus, in quibus denunciatio litis, et molestiarum est facienda venditori, tunc non est necessarium eam facere illico post litem motam, prout multi putarunt, sed secundum veriorem sententiam potest fieri quandocumque, et etiam in
15. gradu appellationis, cum ad denunciandum molestias venditori jura certum, et determinatum tempus non praefiniant, ut ait. *Glos. in l. si rem ff. de evict. Viv. decis.* 510. *n.* 6. *Rot. rec. decis.* 387. *n.* 11. *par.* 17., *et decis.* 68. *par.* 18. *t.* 1. *Mangil. de evict. quaest.* 5. *n.* 1., *et seq.*

Tertio, sciendum est, quod denunciatio superius dicta tanti est roboris, et ponderis, quod si venditori, vel ejus haeredibus legitime facta appareat, et venditor, vel, ut dixi ejus haeredes emptorem a molestiis libe-
16. rare negligant, procul dubio verissimum est, quod tenentur ad omnia damna, et interesse per emptorem passa occasione dictarum molestiarum ad *text. in l. si venditione ff. de evict. Rot. decis.* 330. *n.* 1. *par.* 10. *rec., et decis.* 55. *n.* 12., *et* 30. *penes Salgad. Labyr. Cred. Mangil. de evict. quaest.* 184. *n.* 9., *et seq.* hocque adeo verum est, ut emptor tuto contra vendi-
17. torem procedere possit ex iisdem actis, et ex eadem sententia contra ipsum emptorem lata, ut bene, aliis congestis, ponderat *Rot. decis.* 393. *n.* 7. *par.* 15. *rec.*, et etiam quatenus res fuisset emptori injuste,
18. et indebite evicta, cum constans sit in jure propositio, quod emptor, qui ejus auctori molestias denunciavit, ad aliud amplius non tenetur, ut eleganter dixit *Urceol. decis. flor.* 29. *n.* 3. ex qua re tuto etiam infertur, quod si res empta ad hastam publicam per aliquem venditoris creditorem ponatur; pretioque injusto vendatur, ex
19. hoc tamen non remanet emptori praeclusa via agendi contra venditorem, quoniam cum emptor facta venditori molestiarum denunciatione ad aliud, ut dictum est, non teneatur,

propterea nec minus sollicitus esse debet, ut res ad hastam posita pro justo pretio vendatur, ut docte de more firmavit *D. Card. de Luc. tit. de emption., et vendit. disc.* 16.

Ultimo est sciendum, quod facta venditori denunciatione praedicta, si ipse compareat in judicio ad emptoris defensionem, ea omnia facere potest, quae
20. permittebantur emptori, ita ut valeat veluti procurator, et actor in facto proprio pro emptore respondere, ut patet *ex l. venditor ff. de Jud., et l. si plus §. mota ff. de evict., aliisque juribus congestis*, *comprobat Urceol. consult. for. cap.* 9. *n.* 1., *et seq.* ubi hanc propositionem exemplificat, et declarat. Et alia denique circa hanc materiam videnda sunt apud *Mangil., et Guzman.* qui cum super materia evictionis integrum composuerint tractatum, ideo lectorem ad eos remitto.

ARGUMENTUM.

Breviter resolvitur difficultas, an venditione facta a pluribus, quilibet eorum in solidum teneatur de evictione, vel potius unusquisque pro rata, cum aliis de quibus in summario.

SUMMARIUM.

1. *Ubi plures ad vendendum accedunt, nisi addatur clausula principaliter, et in solidum, unusquisque tenetur pro virili.*
2. *Et hoc procedit etiam in rebus communiter venditis.*
3. *Hinc e converso si plures ad emendum accedant erga venditorem tenetur solum pro rata.*
4. *Amplia, ut haec procedant non obstante obligatione camerali, quia non continet clausulam in solidum.*
5. *Obligatio cameralis arctius ligat, sed obligationem non auget.*
6. *Quod secus est si quilibet ex venditoribus teneretur in solidum in vim d. obligationis cameralis.*

CONSULT. XLII.

Accessoria, et cohaerens iis, quae in proxima praecedenti consultatione fuerunt adducta est quaestio, quam nunc lubet hic promovere, et ad trutinam revocare, videlicet, an actio de evictione emptori competens, ipsi emptori detur contra venditores in solidum, vel potius unusquisque ex dictis venditoribus teneatur tantummodo pro virili rei venditae evictae. Quod igitur ad hujusmodi punctum pertinet breviter respondeo, quod ejusdem puncti decisio ex eo totaliter pendet, utrum scilicet ex lege instrumenti clare, et expresse pateat venditores de evictione in solidum teneri, et obligari voluisse nec ne, quandoquidem si in primo casu versemur, res sine difficultate transit, et certum omnino est utique venditores de evictione in solidum teneri, si vero in secundo res aliter se habeat,

et omni posthabita dubitatione dicendum est, neutiquam venditores praedictos in solidum de
1. evictione teneri, hujusque propositionis ea evidens adducitur ratio, quoniam cum certum sit actionem de evictione dividuam esse, propterea ubi partes in solidum teneri velle non dixerunt, nec nos pariter dicere debemus, cum obligationes potius sint restringendae, quam ampliandae ut bene ponderat. *Surd. cons.* 150. *n.* 32., *et* 33., *et in terminis Gratian. discept. for. cap.* 682. *n.* 4. ubi ait, quod cessante clausula in solidum, si fiat venditio a pluribus, unusquisque censetur obligatus pro rata tantum, et subdit id procedere etiam in
2. rebus communiter venditis, in quibus terminis extat etiam decisio post *Zach. de oblig. Cam., quae est decis.* 23. *n.* 1. et in terminis plurium emptorum, quod e converso ipsi quoque
3. erga venditorem teneantur tantummodo pro rata dixit prudenter *Rota coram Cavaler. decis.* 422. *n.* 2. *Gratian. discept. for. cap.* 320. *n.* 50., *ubi alios dat concordan.*

Et quamvis expressa obligatione in solidum deficiente, adhuc aliquem obicem praestare apta videatur obligatio cameralis, quae hodiernis temporibus, ut plurimum a notariis in instrumentis apponitur, et quae secundum aliquorum sententiam continet, et in ventre habet praefatam obligationem in solidum, attamen etiam in hac hypothesi censeo constanter firmandum venditores tantummodo pro rata teneri, quia quicquid nonnulli dixerint, vera
4. non est propositio per quam firmatur sub obligatione camerali contineri clausulam in solidum, ut pulchre dixit *Rota decis.* 392. *n.* 3. *par. prim. rec.* ubi eam adducit rationem, quia scilicet natura obligationis cameralis est arctius quidem li-
5. gare, non autem obligationem augere, quod totidem fere verbis firmavit quoque *Gratian. discept. for. d. cap.* 682. *n.* 1., *et seq.* ubi etiam subdit quod sa-
6. tis augeretur obligatio si quilibet ex venditoribus teneretur in solidum.

ARGUMENTUM.

An venditor possit in pactum deducere, quod res vendita sit specialiter hypothecata certo creditori emptoris, ad hoc, ut aliis anterioribus praeferatur, et an hoc sit pariter concessum emptori clare hic deciditur.

SUMMARIUM.

1. *Vendens rem cum pacto, quod sit specialiter hypothecata alicui creditori emptoris, eidem creditori tribuit praelationem adversus alios, et pactum valet.*
2. *Et ideo quando venditor cupit aliquem emptoris creditorem praeferri potest hac uti cautela.*
3. *Limita tamen secundum aliquos,*

ut emptor hujusmodi pactionem in instrumento apponere non possit.

4. *Sed contrarium est verius, et adducitur ratio.*

5. *Dixerunt aliqui pactum praedictum apponendum esse in principio instrumenti ad effectum tribuendi praelationem creditori.*

6. *Sed contrarium pariter est verius, cum in eodem instrumento non detur prius neque posterius.*

7. *Verisimilius est, ut creditores privilegiati praeferantur non obstante dicta pactione, nisi praedictum pactum sit ita conceptum, ut privilegiatos etiam excludat.*

CONSULT. XLIII.

Licet in contractu emptionis, et venditionis varia pacta inter contrahentes conveniri quotidiana praxis omnes doceat constetque ex iis, quae in praecedentibus consult. fuerunt dicta, illud tamen maxima animadversione dignum mihi videtur, quo scilicet convenitur, ut res vendita sit specialiter hypothecata alicui creditori emptoris ad hoc ut praelationem habeat adversus alios.

Pro hujus ideo pacti enucleatione, dico, quod multae, et praecipue tres sunt difficultates, quae occasione hujusmodi conventionum promoveri solent.

Prima scilicet est, an hujusmodi pacta de jure valida, et permissa sint, tribuantque creditori praedicto praelationem adversus omnes alios creditores anteriores emptoris, et super hujusmodi dubio communis, et recepta sententia est, quod si praedictum pactum in contractu appositum fuit a venditore, utique validum, et subsistens esse, praelationemque jam di-
1. ctam praedicto creditori tribuere, ea clara, et evidenti ratione, quia dominus rei ante venditionem, seu in illius actu, potest leges, et conditiones sibi magis bene visas ei apponere, et translationem dominii modificare, ac certo modo limitare, ut est videre apud *Negus. de pignor. par.* 4. *n.* 33. *et par.* 5. *membr.* 2. *n.* 17. *Salgad. Labyr. Cred. par.* 2. *cap.* 14. *n.* 115. *et* 116. ubi ait, quod quando venditor vult, ut
2. aliquis creditor emptoris praeferatur in ipsa re vendita omnibus aliis creditoribus emptoris anterioribus, potest hoc in pactum deducere, et conferunt denique tradita per D. D. infra citandos; si vero contingat, ut pro parte emptoris praedicta pactio in instrumento apponatur, aliqua inter scribentes in hujusmodi themate cadit dis-
3. putatio, et probabilius primo aspectu videtur, quod neutiquam ipse emptor valide possit praedictam pactionem inire ad praejudicium ejus creditorum anteriorum, ut videtur sentire *Merl. de pign. lib.* 4. *tit.* 1. *quaest.* 23. *n.* 12., sed his in nihilo obstantibus contrarium, uti verius est communiter am-
4. plexatum, tum quia emptor, et venditor sunt correlativi, et

propterea quicquid de uno di-
citur, regulariter procedit e-
tiam in altero, ut in his con-
sult. pluribus locis fuit proba-
tum, tum etiam, quia constans
est in jure propositio, quod
debitor in quaerendis potest suo
creditori praejudicare *l. qui au-
tem in princip. ff. quae in fraud.
Credit. Mantic. de tacit., et am-
big. lib.* 11. *tit.* 23. *n.* 30., *et
in terminis videnda est Rota de-
cis.* 40. *n.* 9. *par.* 14. *rec. mor-
dicusque ac strenue hanc susti-
net sententiam D. meus Palma
nepos alleg.* 184. *n.* 6., *et seq.
tom.* 2. ubi materiam late exa-
minat, et omnibus in contra-
rium respondet.

Altera autem difficultas in eo con-
sistit, utrum ad effectum prae-
dictum sit necessarium, ut pa-
ctum praedictum apponatur in
principio instrumenti, antequam
scilicet jus emptori, et conse-
quenter ejus creditoribus ante-
rioribus, super re empta acqui-
ratur, vel potius sufficiat, ut
in corpore instrumenti continea-
tur, non attento, an in prin-
cipio, medio, vel fine existet,
et quod ad hunc punctum spe-
ctat, quamvis *Negus loc. cit.*,
et forsan alii, in eam iverint sen-
5. tentiam, quod pactum prae-
dictum in principio instrumen-
ti sit apponendum, pace tamen
sic asserentium, cum eorum
sententia transeundum non pu-
to, eaque ratione moveor, quo-
niam cum in eodem instrumen-
to certum sit non dari prius,
neque posterius, consequens
est, quod sive pactum jam di-
6. ctum in principio instrumenti
apponatur, sive in medio, aut
in fine, semper eumdem ope-
rari debet effectum, ut hanc
veritatem agnoscendo, reprobato
Negus., firmarunt *Surd. decis.*
157. *Pacif. de Salv. interd. l.* 3.
cap. 2. *n.* 510. *Merl. de pign. lib.*
4. *tit.* 1. *quaest.* 23. *n.* 14.,
et seq. ubi pluribus argumentis
hanc comprobat sententiam.

Tertia denique, sicque ultima dif-
ficultas, quae in proposito ex-
citari potest circa illud versa-
tur, an praefata pactione inter
contrahentes conventa, an sci-
licet in vim illius competat prae-
latio creditori, favore cujus fuit
stipulata, etiam adversus cre-
ditores privilegiatos, et ante-
riores emptoris; unde pro hu-
jus dubii determinatione, me
remittendo ad ea, quae dixi in
consult. 8. breviter hic respon-
deo, quod nisi pactum sit ita
7. conceptum, ut ex eo expres-
se pateat dictos creditores pri-
vilegiatos emptoris exclusos es-
se, veluti quia res vendita fue-
rit ea super addita conventio-
ne, quod eadem res sit specia-
liter hypothecata alicui credi-
tori emptoris, ita ut caeteris
quantumvis privilegiatis nullum
jus, et actio super re vendita
acquiri possit, nisi inquam pa-
ctum praedictum hoc modo con-
ceptum sit, verisimilius existi-
mo neutiquam in vim illius prae-
lationem competere creditori
praedicto ad praejudicium a-
liorum creditorum privilegia-

torum, et anteriorum emptoris per ea, quae in simili firmavi in allegata *consult.* 8., ad quam iterum me remitto.

ARGUMENTUM.

Deciditur dubium, an vendens foenum, herbam, et similia pastori, pro pascendis, seu alendis animalibus, habeat privilegium praelationis super iisdem animalibus adversus alios emptoris creditores.

SUMMARIUM

1. *Vendens foenum, herbam, et similia pro alendis animalibus, praefertur super eis omnibus aliis.*
2. *Requiritur tamen ad hujusmodi effectum, ut constet animalia alimonium sumpsisse ex dicto foeno, herba. etc.*
3. *Limita tamen, ut hoc requisitum non sit necessarium, quando animalia extant penes venditorem, vel reperiuntur in loco, ubi aderat foenum, vel herba.*
4. *Secundo requiritur, quod venditio expresse fuerit facta pro alendis animalibus.*
5. *Quemadmodum dicitur de mutuante pecuniam pro conservatione rei.*
6. *Praelatio venditori praedicto non competit vigore hypothecae tacitae, quam ipse habet super animalibus, sed quia impensam necessariam fecit.*

CONSULT. XLIV.

Dominus N. N. nobilis de civitate Bononiae, cum magnam quantitatem terrarum ad usum prati in territorio dictae civitatis possideret, sub mense Maij 1696 vendidit pro certo, et convento pretio herbam, seu herbas in certa, et designata parte dictarum terrarum existentes D. N. N., ad effectum alendi quaedam animalia, quae dictus emptor in dicto territorio habebat; at quia perfecto praedictae venditionis contractu, herbisque in alimonium eorumdem animalium versis, praefatus emptor antequam pretium herbarum venditori praedicto solveret, multis aliis debitis gravatus, fugam repente arripuit, quaerebatur propterea amicabiliter inter dictos creditores, an venditor herbarum pro earum pretio esset omnibus praeferendus super dd. animalibus. Quare scribens ego pro veritate super hujusmodi puncto, constantissime respondebam venditorem praedictum utique omnibus aliis creditoribus praeferendum esse, ad quod firmandum movebar, eo praecipue super innixus fundamento quia scilicet quoties quis aliquid vendit pro certis anima-
1. libus alendis, vel alia simili re facienda, cum dicatur impensam necessariam facere, sine qua scilicet eadem animalia, vel alia res erat peritura, ideo omnis suadet ratio, ut pro

dicta impensa omnibus praefe- ratur, ut pulchre animadvertit *Gratian. discept. for. cap.* 25. *n.* 17., *et* 18. *Rocc. de Mercat. t.* 2. *respons.* 30. *per tot. Giurb. decis.* 40. *n.* 1. *Borgnin. Cavalc. decis.* 44. *n.* 47. qui omnes concludunt, quod si quis vendidit herbam, et pascua pecorariis, seu pastoribus, et pavit bestiamina, habet praelationem in dictis bestiis ratione alimentorum.

Et licet me non lateret ad effectum dictum privilegium praelationis venditori concedendi, duo requisita necessario concurrere debere, primo scilicet,
2. quod constaret animalia alimonium sumpsisse ex herba vendita, (quod tamen requisitum necessarium non fuisset, si animalia reperta fuissent penes
3. venditorem, vel in loco ubi herbam, et alimonium sumpserant, quia tunc venditor habuisset praesumptionem juris pro se, ut sustinet *Rocc. d. respons.* 30. *signanter n.* 4. *et* 11). Secundo vero quod venditio expresse facta fuisset pro prae-
4. dictis animalibus alendis, nam quicquid dixerint nonnulli, quos refert *Rocc. loc. cit.*, verior, et probabilior est sententia, ut hoc secundum requisitum utique sit necessarium ut docte dixit *Surd. de alim. tit.* 8. *privil.* 62. *n.* 19. *quem sequitur Gratian. discept. for. cap.* 25. *n.* 22., *et seq. Giurb. decis.* 40. *n.* 6. quemadmodum dicitur etiam de mutuante, et dante
5. pecuniam pro refectione, et conservatione rei, qui ad effectum, ut privilegium praelationis habeat adversus alios creditores anteriores, ipsi onus incumbit probandi pecuniam fuisse datam in eam causam ad tradita per *Salicett. in l. licet C. qui potior. in pign. hab. Negusant. de pign. in* 2. *membr.* 5. *par. princip. vers.*, *et ita Gratian. d. cap.* 25. *n.* 23. *variar. resol.* 260. *n.* 3. *par.* 1. Ex his tamen etsi verissimis conclusionibus, intellectus meus in nihilo turbatus remanebat, quoniam partes in facto mihi exhibito, praedicta omnia requisita concurrere pro indubitato supponebant.

His autem hoc modo praemissis non obstare dicebam, quod dictus venditor herbarum haberet solam tacitam hypothecam super animalibus praedictis, qua re posita nimis durum videretur, ut ipse gauderet privilegio praelationis adversus alios expressam anteriorem habentes, quoniam pro totali eliminatione objecti respondebatur vim hujus resolutionis non resi-
6. dere in hypotheca praedicta, sed principaliter super eo super innixam esse, quia videlicet, qui rem vendidit pro alendis animalibus, constito, quod eadem res in eorum alimonium versa sit, dicitur fecisse impensam necessariam, sine qua animalia erant peritura, atque adeo ex hac ratione omnibus aliis praefertur ex doctrinis superius citatis.

ARGUMENTUM.

Quaeritur an, et quando pater vendere possit bona adventitia filiorum, et an illis venditis contra filios currat praescriptio.

SUMMARIUM.

1. *Venditio bonorum adventitiorum a patre facta nullitatis vitio subijcitur, nisi per tertios possessores doceatur de justa causa, vel evidenti filiorum utilitate.*
2. *Et filii posita hujusmodi nullitate, possunt agere contra tertios possessores, vel contra bona paterna.*
3. *Administratores, et negotiorum gestores, non habent hypothecata propria bona pro redditione rationis, dempto patre, et tutoribus, ac curatoribus pupillorum, et minorum.*
4. *Donec tamen pater est vivens, filiis praeclusa est via agendi.*
5. *Venditis a patre bonis adventitiis filiorum, tempus effluxum eodem patre vivente emptori non suffragatur ad effectum praescribendi.*
6. *Emens scienter rem alienam praescribere non potest.*

CONSULT. XLV.

Ponderatis omnibus, quae deducta fuerunt in informatione facti mihi comunicata pro parte dominorum Francisci Mariae, ac Julii Caesaris fratrum de Gulinellis, censeo sine ulla animi haesitatione eosdem fratres optimum jus fovere pro recuperandis omnibus bonis, super quibus hodie cadit controversia, a domino Christophoro eorum communi patre venditis, dum in humanis agebat, quoniam cum mihi pro indubitato supponatur liquido in processu probatum fuisse praedicta bona ad eosdem fratres de Gulinellis spectare jure peculii adventitii, et casum mortis D. Christophori eorum patris jam evenisse, sequitur ex his praemissis immissionem ad eadem bona dictis fratribus denegari non posse, cum nimis sit notum in jure, quod pater licet sit dominus fructuum bonorum adventitiorum filii, non potest tamen de eorum proprietate dis-
1. ponere, nisi cum justa causa, vel evidenti filii, aut filiorum utilitate, ita ut si alienatio fiat, indubitanter nulla, et insubsistens sit nisi per tertios possessores doceatur de justa alienationis causa, aut ut dixi de utilitate ex ea resultante ad favorem filiorum ad tradita per *Rot. decis.* 413. *n.* 75., *et* 76. *par.* 9. *tom.* 2. *rec. per Text. in l. prima C. de bon. mater. Pascal. de Patr. potest cap.* 2. *n.* 8. *par.* 1. *Urceol. de transact. quaest.* 16. *n.* 26. ubi quod filius habet optionem agendi, vel ad recuperandam rem ven-
2. ditam, vel remedio tacitae hypothecae super bonis paternis ad sibi satisfaciendum, et circa hoc ultimum remedium videndus est etiam *auctor citatus*

in suis consult. for. cap. 69. *n.* 19. post haec scripta visus, et additus, ubi ait quod, licet regulare sit, ut administratores, et negotiorum gestores non habeant hypothecata bona propria pro redditione rationis, et
3. reliquatus restitutione, hoc tamen non procedit in tutoribus, et curatoribus pupillorum, et minorum, et patre administratore filiorum.

Et quamvis optime calleam inter J. C. non deficere D. D. contrarium sentientes, quando pa-
4. ter adhuc est vivens, videlicet in tali casu immissionem filiis concedendam non esse, ut videre est apud *Fachin. contr. jur. lib.* 12. *cap.* 58. *Cutell. de donat. tom.* 2. *disc.* 1. *special.* 9. *n.* 16., *et* 17. ex hoc tamen non censeo recedendum a sententia superius amplexata, nec de ea haesitandum, quoties constat patrem ab humanis recessisse ex juribus supra congestis, quicquid sit, quando pater adhuc est vivens, in quo casu diversa, et omnino extranea a nostra hypothesi urget ratio, ut docent allegati D. D., et etiam de se patet.

Quibus postremo non obstat exadverso opposita, et decantata praescriptio triginta annorum, et ultra, quoniam quantum ad hoc attinet objectum diluitur animadvertendo praefatam praescriptionem corruere ex defectu principalium requisitorum. Deficit etenim temporis cursus, quoniam domini fratres de Gulinellis post mortem eorum patris, fere statim praesens judicium introduxerunt contra D. D. adversarios, tempus autem
5. effluxum vivente patre ad effectum ad eorum praejudicium praescribendi, non habetur in consideratione, ut in terminis bonorum adventitiorum notat *Rota coram Cavaler. decis.* 213. *n.* 7., *et decis.* 346. *n.* 6., *et post. Merl. de pignor. decis.* 6. *n.* 11. Rursus deficit bona fides, tum ex docte deductis in informatione facti per D. causae patronum, tum etiam quia ex verbis instrumenti emptionis clare liquet praedictos D. D. adversarios habuisse scientiam, quod bona empta non erant propria D. Christophori vendentis, sed quod ad ejus filios spectabant jure peculii adventitii, quo posito, mala fides est incontrovertibilis, et consequenter praescriptio locum ha-
6. bere nequit, ut optime dixit *Buratt. decis.* 505. *n.* 6. ubi quod emens scienter rem alienam praescribere non potest.

ARGUMENTUM.

Enucleatur in hac consultatione, an emptor, qui permisit rem emptam penes venditorem permanere per quadraginta annos, possit hoc non obstante agere pro dictae rei traditione, et an venditor praecise cogi possit ad eam tradendam.

SUMMARIUM

1. *Contractus venditionis dicitur positus in esse perfecto, quando habetur rei, pretiique certitudo, et consensus ambarum partium.*
2. *Venditor praecise cogi potest ad rem tradendam, si eam penes se habet, et tradere potest.*
3. *Praescriptione quadraginta annorum tollitur omnis actio.*
4. *Praescriptio allegari non potest in praedicto casu a venditore, quia est sub mala fide.*
5. *Etiam in actionibus personalibus mala fides praejudicat.*
6. *Stante mala fide, praescriptio non habet locum, etiam si esset mille annorum.*
7. *Contractus emptionis, et venditionis indissolubilis est, etiam re non tradita, et pretio non soluto, praesertim ubi actum fuit super re tradenda, et pretio solvendo.*

CONSULT. XLVI.

Dum inter academicos legalis impatientium academiae civitatis Bononiae adscriptus reperiebar, propositus fuit ab uno ex D. D. coacademicis praedictis articulus, utrum quidam emptor, qui per quadraginta annos, et ultra permiserat venditorem in possessione rei venditae permanere, posset, praedicti temporis lapsu non obstante, jura sua contra eumdem experiri ad effectum rem emptam consequendi; unde electus a sorte ad partem affirmativam tuendam, dicebam etiam cum sensu veritatis, emptori praedicto competere actionem ex empto contra venditorem, ad hoc, ut deveniret ad realem rei venditae traditionem, facta tamen eidem solutione pretii conventi, quoniam cum in proposito casu supponeretur omnia substantialia emptionis, et venditionis concurrere, videlicet rei, pre-
1. tiique certitudinem, et consensum amborum contrahentium; quibus praesuppositis contractus dicitur positus in esse perfecto, ad tradita per *Osasch. decis.* 36. *Rot. rec. decis.* 37. *n.* 2. *part.* 4. *t.* 2., *et aliis congestis dixi ego pluries in his consult.* ex his propterea tuta lance mihi videbatur concludendum venditorem utique teneri, et cogi posse ad traditionem rei venditae, si vera, prout verissima est propositio, quod perfecto venditionis contractu, venditor prae-
2. cise cogi potest ad rem venditam tradendam, si eam penes se habet, et tradere potest, ut docet egregie de more *D. Card. de Luc. in supplem. lib.* 16. *part.* 2. *tit. de. empt.*, *et vend. disc.* 48. qui optimas adducit rationes, et patet etiam ex infra firmatis in consult. miscellanea, quae est circa finem operis n. ....

Neque his fundamentis officere mihi videbatur id, quod ab aliquibus ex D. D. academicis praedictis obiicebatur de praescriptione scilicet quadraginta an-
3. norum, per quam omnis actio

tollitur, etiam si ageretur de contractu jurato, et obligatione camerali vallato, ut ponderat *Rota rec. decis.* 238. *n.* 9. *part.* 19. *cum. ibi congestis*, quoniam pro responsione dicebatur, quod objectum tunc demum potuisset procedere, ubi scilicet praescriptio antedicta fuisset opposita ab aliquo tertio, qui esset in bona fide; secus vero quando ab ipsomet
4. venditore opponitur, qui cum sit principalis debitor, et facti proprii ignorantiam allegare nequeat, dicitur sub mala fide, et consequenter clipeo praescriptionis se tueri non potest, ut edocet *Rot. decis.* 44. *n.* 1., *et decis.* 105. *n.* 5. *post Merl. de pig., et coram Buratt. decis.* 505. *n.* 6., *et ibi Add. n.* 13. *Gratian. discept. for. cap.* 52. *n.* 1. ubi quod hoc est verum etiam in actionibus personalibus *Paulus Rub. in annot. ad decis.* 6. *n.* 111., *et* 112. *part.* 3. *rec.* ubi quod hoc procedit etiam in
6. praescriptione mille, et plus annorum, et alia pulchra circa materiam praescriptionis tradit, *Cyriac. contr.* 321. *n.* 48.

Rursus nullum obicem praestare dicebam alterum adversariorum praesidium, quo scilicet praetendebatur a contractu praedicto fuisse recessum ex eo, quod ad realem rei venditae traditionem, ac ad pretii conventi solutionem in tanto temporis cursu unquam deventum non esset, quoniam, aliis omissis responsionibus, huic difficultati respondebatur obstare prima juris principia, quibus statuitur, quod contractus emptionis, et venditionis indissolubilis est, e-
7. tiam re non tradita, et pretio non soluto, indubitanter quando, prout in casu superius exposito, partes contraxerunt super re tradenda, et pretio solvendo, sicque de eo habita fide, ut bene animadvertit *Rot. decis.* 35. *n.* 3. *part.* 9. *tom.* 1. *rec., et aliis congestis dixit etiam Rot. Lucen. in Bozulen. rescissionis contractus* 25. *Octobris* 1690. *§. redimus enim*, quae est in fine operis registrata.

ARGUMENTUM.

Emens ab ecclesia, vel persona ecclesiastica, non tenetur pro hujusmodi contractu solvere gabellas, stante statuto de hujusmodi gabellis solvendis.

SUMMARIUM

1. *Super virgulto, gallina, et rebus etiam vilioribus jurisprudentia leges dicere dedignata non est.*
2. *Stante statuto de solvendis gabellis, Ecclesia, et personae ecclesiasticae ad eas non tenentur, cum non subijciantur statutis laicalibus.*
3. *Ementes ab Ecclesia non tenentur ad dictas gabellas, quia per indirectum gravaretur Ecclesia, et everteretur privilegium ei concessum.*
4. *Emptor, et venditor ad invicem correlationem habent, et ideo pri-*

vilegium venditori concessum prodesse debet etiam emptori, ut hic explicatur.

5. *Fiscus cum sit exemptus a gabellis, ideo qui ab eo emit pro hujusmodi contractu ipse quoque eximitur.*

6. *In dubio judicandum est contra gabellas.*

CONSULT. XLVII.

Licet in causa vertente inter D. Albertum Rosettum ex una, et D. hujus civitatis Gabellarium partibus ex altera de re modica controvertatur, quia tamen super virgulto, gallina, et re-
1. bus etiam vilioribus juris prudentia leges dicere dedignata non est, ut inquit *glos. in §. gallinarum. Inst. de rer. divis.*, *et in l. proprietarius in fine ff. de damn. infect.;* ideo et ego super articulo in praedicta lite controverso requisitus, meum animi votum exponere non erubesco.

Cum igitur coram illustriss. hujus civitatis Gubernatore praedictus D. Rosettus, occasione emptionis unius petiae terrae factae ab ecclesia S. Christinae cum pacto retrovendendi, pulsatus fuerit ad petitionem, et instantiam dicti D. Gabellarii praetendentis sibi deberi quamdam pecuniarum summam vigore statuti hujus civitatis, mandantis solvi certas gabellas pro quolibet jugere terrae venditae, verior, et probabilior mihi videtur sententia, nullas in dicto casu deberi gabellas, et propterea D. Rosettum absolvendum esse ab exadverso petitis.

Moveor autem ad hanc firmandam propositionem, quoniam cum certum, et indubitatum sit apud omnes ecclesiam, et personas ecclesiasticas ab hujusmodi datiis exemptas esse, ea ra-
2. tione quia ecclesiastici, et eorum bona statutis laicalibus non subijciuntur, nec subijci possunt, ut docte dixit *Rota coram Ottobon. decis.* 149. *n.* 4., *et multis congestis comprobat Bonden. colluct. legal. tom.* 2. *colluct.* 38. *n.* 3., sequitur ideo per consequens necessarium ex hac verissima conclusione, quod etiam ementes ab hujusmodi
3. personis exemptis eodem privilegio potiri debeant, quoniam alias si ementes ab ecclesia, vel personis ecclesiasticis aliquid pro gabellis praedictis solvere cogerentur, esset per indirectum evertere privilegium exemptionis praedictis personis concessum, cum (ut omnibus notum est) res, quae alicui oneri obnoxiae sunt viliori pretio juxta qualitatem oneris vendantur, ut pulchre firmavit *Surd. cons.* 301. *n.* 8. *Menoch. cons.* 136. *lib.* 2. *Gabriel. cons.* 161. *n.* 3. *lib.* 2. *Bonden. d. colluct.* 38. *n.* 8. Secundo, quia cum certum sit emptorem et venditorem ad invicem correlationem
4. habere, ideo privilegium venditori concessum prodesse debet etiam emptori, cum correlativorum idem sit judicium,

praesertim ubi eadem militat ratio, ut in terminis notat *Gratian. discept. for. cap.* 26. *n.* 15., *et* 16., ratio autem in hac hypothesi utique est eadem, quoniam si ecclesiastici pro praedictis gabellis gravari non debent eo quia ipsi, et eorum bona statutis laicalibus non sunt subiecta, ita ex eadem ratione idem dicendum est de ementibus ab ecclesiasticis, si verum, prout verissimum est, quod quoties isti gravantur, remanent quoque gravati ecclesiastici, et eorum bona, ut supra ostensum est.

In nihilum refragante, quod contrarium reperiatur dispositum in *l. licitatio alias est l. locatio* §. *fin. ff. de publican.*, dum ibi habetur quod licet fiscus sit exemptus ab onere gabellarum, tamen qui emit ab eo tenetur solvere gabellas, quia iste textus communiter, ac bene in-
5. terpretatur, ut procedat quando ille, qui emit a fisco, vult deinde alteri vendere, tunc enim utique vera est propositio, quod qui emit a fisco, non eximitur ab onere solvendi gabellas pro illo novo contractu, secus vero ubi agitur de contractu celebrato cum ipso exempto, ut videre est penes *Gabriel. d. cons.* 161. *n.* 7. *lib.* 2. *Menoch. d. cons.* 136. *n.* 20. quae explicatio tanto libentius amplectenda mihi videtur, pon-
6. derando quod cum gabellae odiosae sint, ideo ubi non sumus in claris, in dubio judicandum est contra gabellas, ut dixit *Farinac. de furt. quaest.* 172. *part. prim. n.* 52. *et docte firmavit Rot. in Bonon. immunitatis macelli* 19. *Novembris* 1696. *R. P. D. Muto* §. *absque eo quod in fine, et alibi passim.*

ARGUMENTUM.

Late hic examinatur quaestio, an venditio pro pretio declarando, seu concordando sustineatur nec ne.

SUMMARIUM

1. *Pretii certitudo est unum ex requisitis substantialibus venditionis.*
2. *Venditio pro pretio declarando a personis electis, aut hinc inde eligendis valida est, si deinde personae electae possunt, et volunt hujusmodi declarationem facere.*
3. *Pretii, rei, ejusque partium integralium declaratio pendere non potest a voluntate contrahentium.*
4. *Ita ut sit locus poenitentiae donec sequatur declaratio, etiam si res tradita sit.*
5. *Ante factam declarationem, dominium, et periculum non transfertur in emptorem, quia contractus dicitur conditionalis.*
6. *Limita ubi vera rei traditio facta est, ut hic explicatur.*
7. *Venditio facta simpliciter pro pretio quod concordabitur non valet.*
8. *Venditio facta pro pretio ab amicis, et personis certis declarando, non sustinetur, si isti nolunt,*

aut non possunt illud declarare.

9. *Et in praedicto casu locus non est electioni aliorum peritorum, nec haberi potest recursus ad judicem.*

10. *Ad judicem recurritur quando aliquid accidentale, puta pretii additio vel diminutio ob aliquod onus super re infixum, remissum est in arbitrium tertii.*

11. *Et ad novam electionem Peritorum devenitur, quando electi fuerunt discordes.*

CONSULT. XLVIII.

In casu, qui nunc controvertitur inter D. Jacobum Marchettum principalem meum, et D. Alexandrum de Fantinis adversarium, silent, prorsusque cessant difficultates per D. exadverso scribentem propositae, et stat firmum undequaque assertum, quod contractus emptionis, et venditionis inter dictas partes initi, utique validus, et subsistens est, quoniam licet, ut ex instrumento patet, hujusmodi contractus fuerit celebratus pro pretio declarando, sicque videatur quod deficiat ejusdem pretii certitudo, quae est unum ex requisitis substan-
1. tialibus, in quibus consistit essentia, et radix originalis contractus, ut optime monet *Surd. cons.* 225. *n.* 9., *et* 572. *n.* 8. *Gratian. discept. for. cap.* 500. *n.* 14., *et* 15. receptissima tamen, omniumque votis approbata est sententia, contractum venditionis pro pretio declarando indubitanter validum esse, quoties, prout in dicto casu, partes certas elegerunt perso-
2. nas, per quas fieri debeat ejusdem pretii declaratio, aut eas hinc inde eligere inter se convenerunt, et deinde personae electae possunt, et volunt hujusmodi declarationem facere, ut communi ore professi sunt *Mantic. de tacit.*, *et ambig. lib.* 4. *tit.* 19. *n.* 19. 33., *et* 42. *Altograd. cons.* 6. *n.* 91., *et* 92. *lib.* 1. *Fontanell. de pact. nupt. claus.* 5. *glos.* 8. *part.* 13. *n.* 55. *Afflict. decis.* 83. *n.* 6.

His autem sic praemissis, iterum dicimus in nihilum obstare fundamenta, et doctrinas partis adversae, quoniam vel procedunt, et loquuntur in hypothesi, quod pretii declaratio collata sit in arbitrium unius ex contrahentibus, puta emptoris, vel venditoris, vel etiam in arbitrium amborum, quo casu utique verior est sententia, per quam concluditur, contractum non sustineri, cum, jure civili attento, nec pretii, nec
3. rei, ejusque partium integralium declaratio pendere possit a voluntate contrahentium, ob rationes, et jura cumulata per *Altograd. cons.* 11. *per tot. lib.* 1. ubi quod donec sequatur
4. declaratio praedicta locus est poenitentiae, etiam si res sit tradita, licet secus sit post factam a partibus declarationem *Gratian. discept. for. cap.* 500. *n.* 29. *Rot. part.* 4. *t.* 2. *rec. decis.* 37. *n.* 6. Vel locum ha-

bet quando quaestio non est circa perfectionem contractus, ad hoc, ut amplius poenitentiae locus non sit, sed ad effectum, ut rei dominium, et periculum non dicatur in em-
5. ptorem translatum, quod procul dubio in eumdem emptorem non transfertur ante factam pretii declarationem, cum antequam hujusmodi declaratio fiat, contractus dicatur conditionalis, ut aliis subtacitis optime dixit *Contr. discept. for. caus.* 6. *per tot.* nisi vera rei traditio facta fuisset, qua praesupposita, dominium diceretur
6. procul dubio in potestatem emptoris translatum, licet resolubiliter, non facta scilicet declaratione, ut omnes libentissime admittunt, et prae ceteris videnda est *Rot. decis.* 91. *n.* 6., *et seq. part.* 12. *rec.* ubi concordantes habentur. Vel tertio sibi arrogant locum ubi contractus emptionis, et venditionis non fuit celebratus pro pretio a personis hinc inde electis, aut eligendis declarando,
7. sed simpliciter pro pretio, quod concordabitur, ut sapienter dixit *Urceol. decis. flor.* 1. *n.* 20., *et dat. concordan.* Et denique obicem praestare possent, semper quod venditio facta fuisset pro pretio ab amicis, et personis certis declarando, et isti non possent, vel
8. recusarent illud definire, et declarare, tunc enim admitteremus nos quoque contractum utique resolutum, et nullius momenti esse, tanquam defecto uno ex requisitis substantialibus, sine quo contractus emptionis, et venditionis non ponitur in esse perfecto, videlicet pretii certitudine *per Text. in l. fin. C. de contrahen. empt.*, *et eleganter dixit Rota decis.* 388. *n.* 2. *part.* 4. *t.* 2. *rec. Mantic. de tacit. et ambig. lib.* 4. *tit.* 19. *n.* 36. *Contr. discept. for. caus.* 6. *n.* 3. ubi ait, quod declaratione non facta a peritis
9. electis, non est locus novae electioni peritorum, nec haberi potest recursus ad arbitrium boni viri, nempe ad judicem, ex quo contrahentes remittendo declarationem in arbitrium certae personae, videtur, quod in illius amore, et prudentia tantum confisi sint; ad judicem enim in hoc casu recurritur, quando scilicet contractus perfectus est, et aliquid
10. accidentale (puta pretii additio, vel diminutio propter aliquam servitutem, vel aliud simile onus super re infixum) remissum fuit in arbitrium tertii, et ad novam electionem peritorum devenitur, quando
11. ab electis facta fuit pretii declaratio, sed in ea fuerunt discordes, ut pulchre et strenue firmavit *Rota decis.* 172., *et* 248. *per tot. part.* 6. *rec.* ubi omnibus in contrarium satisfaciendo late hanc materiam examinat.

ARGUMENTUM.

Deciditur in hac Consultatione illa brocarda, et quotidiana quaestio, utrum scilicet mulieres una cum viris suis vendentes transferant jura sua dotalia in emptorem, vel potius ad contractum accedere censeantur ad solam cautelam emptoris; ut scilicet sit tutus a molestiis, quas ipsae pro suis dotibus ei inferre possent; et ulterius resolvitur dubium, an pervenientibus bonis venditis ad maritum ex nova causa reincidant in hypothecam dotalem uti prius.

SUMMARIUM

1. *Mulieres una cum viris videntes, certis casibus exceptis, non transferunt jura sua dotalia in emptorem, sed ad solam cautelam ejusdem emptoris accedere dicuntur, ut in argumento.*
2. *Amplia etiamsi in instrumento dictum sit pecuniam versam fuisse in utilitatem mulieris.*
3. *Quando mulier una cum viro vendit, et ulterius promittit fundi evictionem, obligando se uti principalis, principaliter, et in solidum in forma camerae, tunc jura dotalia transeunt in emptorem, si dos consistit in quantitate.*
4. *Hoc tamen intellige dummodo venditio valida sit, secus si est nulla, dummodo haec nullitas a muliere opponatur.*
5. *Adducuntur rationes praedictae conclusionis.*
6. *Emptor potest uti, et se defendere omnibus juribus, et exceptionibus competentibus venditori, etiam nulla facta cessione jurium.*
7. *Mulier, quae non est domina rei venditae, non transfert jura sua dotalia in emptorem, si simpliciter vendit cum viro, quinimo etiam si jura sua emptori cedat.*
8. *Idem dicendum est quando mulier habet suum fundum dotalem inaestimatum.*
9. *Quando mulier vendit insimul cum viro, et ipsa revera recepit pretium rei venditae, in tali casu transfert jura sua dotalia in emptorem.*
10. *Hoc tamen intellige dummodo constet pretium re vera ad mulierem pervenisse, nam alias praesumptio est in contrarium, quod etiam ampliatur.*
11. *Item jura sua transfert in emptorem quando ipsa sola vendit cum consensu ejus viri, et pretium recepisse fatetur.*
12. *Idem juris est quando mulier post mortem viri vendit ad effectum sibi satisfaciendi de suis dotibus.*
13. *Qui alienationi rei sibi hypothecatae consensit, non potest eam amplius vendicare, vel tenentem inquietare.*
14. *Limita tamen quando consensus est praestitus favore certae personae tantum.*
15. *Rursus limita ubi mulier est quae consentit rem sibi pro suis dotibus hypothecatam vendi, quia tunc consensus alios non juvat praeter emptorem.*

CONSULT. XLIX.

Visa, ac bene considerata informatione facti mihi communicata pro parte D. D. Thadeae, et Jo. Antonii jugalium de Pedrettis, invenio ex ea binas resultare inspectiones; alteram scilicet, an uxor vendens insimul cum viro censeatur ad contractum accedere pro renunciandis tantummodo hypothecis dotalibus, quas super bonis venditis habebat, vel potius ad effectum transferendi jura sua dotalia in emptorem, alteram vero, an quatenus eadem bona vendita ad maritum ex nova causa perveniant, reincidant in hypothecam dotalem uti prius.

Unde quod ad primam inspectionem pertinet, breviter respondeo, quod licet contrahentes his nostris temporibus omnem adhibeant diligentiam ad hoc, ut mulieres una cum viris ad venditionem accedant, putantes hoc modo earum jura dotalia lucrari, res tamen secundum juris tramites diversimode se habet, et regulariter, certisque casibus infra notandis exceptis, mulieres accedere potius dicuntur pro renunciandis
1. hypothecis dotalibus, quas super bonis venditis habebant, ita ut ulteriorem regressum amplius habere nequeant ad dicta bona ad praejudicium emptoris, quam ad effectum ejus jura dotalia in eumdem transferendi, ut multis aliis gravissimis J. C. congestis strenue firmavit *Rot. coram Thomat. decis.* 109. *n.* 7., *et seq. part. prim. Posth. resol.* 53. *n.* 34. *et resol.* 68. *n.* 28., *et* 29. ubi ampliat hoc verum esse etiam
2. si in instrumento expositum sit pecuniam versam fuisse in mulieris utilitatem, quod in similibus terminis dixit etiam *Amat. decis. March.* 27. *n.* 11. *Andreol. contr.* 162. *n.* 2., *et seq.*

Casus autem, in quibus jura dotalia ob mulieris interventum in emptorem translata dicuntur, sunt primo quando mulier una cum viro vendidit, et ulterius emptori etiam promisit perpe-
3. tuam fundi evictionem, obligando se in forma Camerae uti principalis principaliter, et in solidum, tunc enim si dos mulieris in quantitate consistebat, pro certo credo utique tuto firmari posse jura dotalia in emptorem translata esse, illisque emptorem uti posse pro excludendis creditoribus venditoris, ut pulchre, et eleganter docet *Rota decis.* 29. *n.* 4., *et seq. impress. penes Urceol. de transact.*, *et inter decis. rec. part.* 19. *decis.* 352. (hoc tamen intelligendo dummodo venditio valida, et subsistens sit, alias non si essemus in casu, in
4. quo bonorum dotalium venditio valida non esset, nec in totum, nec pro parte, veluti quia alia bona mariti de tempore restitutionis non existerent, et nulla adesset causa sufficiens alienandi bona dotalia, certi

juris esset jura dotalia tunc in emptorem neutiquam translata censeri, dummodo tamen hujusmodi nullitas ab ipsa muliere opponeretur, non autem ab aliquo tertio, ut explicat *Rot. decis.* 187. *n.* 7. *part.* 19. *rec.)*, et pro praedicta sententia illae praecipue urgere mihi videntur rationes, quia scilicet quoties mulier accessit principaliter, et in solidum, et de evictione, ut dictum fuit promisit, vanum, et irrationabile videtur asserere,
5. quod hujusmodi accessus solam remissionem hypothecae dotalis super fundo vendito operetur, quoniam si ad hujusmodi solum effectum ipsa accessisset, ejusque interventus ab emptore fuisset adhibitus, non vendidisset mulier principaliter, et in solidum, et evictionem rei venditae non promisisset, se obligando in forma Camerae; secundo quia cum in dicta hypothesi citra veri praejudicium inficiari nequeat, quin mulier sit principalis venditrix una cum viro, sicque respectu emptoris ipsa, et vir sint duo rei debendi, ut dixit *Rot. loco supra citato*, sequitur ideo, quod emptor induendo personam mulieris clypeo jurium dotalium posteriores creditores repellere possit, si vera, prout verissima est propositio, quod emptor potest uti, et se defendere o-
6. mnibus juribus, et exceptionibus competentibus venditori, etiam nulla facta cessione jurium, ut ponderat *Rot. decis.* 300. *n.* 11., *et* 12. *part.* 7. *rec. cum ibi congestis*, quicquid sit quando mulier simpliciter vendidit cum viro, quia tunc quatenus etiam jura sua emptori
7. cesserit probabilior, et aequior videtur sententia, quod mulier, quae non est domina rei venditae, dicatur solum adhibita, ad cautelam emptoris, ad effectum scilicet, ut sit tutus a molestiis, quas ipsa pro creditis dotalibus ei inferre potuisset, prout hanc sententiam amplexata est *Rot. coram Thomat. decis.* 109., *et in rec. decis.* 352. *part.* 19. *impress. etiam post Urceol. loco superius citato*, idemque pro meo judicio videtur dicendum, quando dos mulieris in quantitate non consistit, sed ipsa habet suum fundum
8. dotalem inaestimatum, nam etiam in hoc themate mulieris interventus translationem jurium dotalium in emptorem operari non potest, quia cum mulier in tali casu non habeat actionem nisi ad fundum dotalem per *Text. in l. in rebus C. de jur. dot.* nequit propterea jura sua dotalia in emptorem fundi ad maritum spectantis transferre, cum, ut dixi, ea non habeat super bonis mariti per *Text. allegat.*, et etiam de se patet.

Secundus est casus quando uxor vendidit insimul cum viro, et pretium ex venditione retractum constat de facto, et in
9. rei veritate ad ejus manus pervenisse, et tunc quoque verior

mihi videtur sententia, quod
uxor ob receptionem d. pecu-
niae jura sua dotalia vendidis-
se, et in emptorem transtulis-
se censeatur, ut videtur senti-
re *Thomat. decis.* 109. *n.* 9.,
et aliis superius citati supponunt;
dummodo tamen, ut dixi, re
10. vera constet pretium ad ma-
nus mulieris pervenisse, quo-
niam quando venditio est facta
ab uxore insimul cum viro, pre-
tium praesumitur totum ad vi-
rum pervenisse, nisi contrarium
exadverso probetur, etiam si
ambo in instrumento fateantur
pretium recepisse, ut bene a-
nimadvertit *Amat. decis. March.*
27. *n.* 11. *Rot. decis.* 239. *n.*
8. *part.* 10. *rec.*

Tertius contingit casus, quoties
uxor sola vendidit, cum con-
sensu tamen ejus viri, et pre-
tium conventum habuisse, et
11. recepisse fatetur, in hac e-
nim facti specie pariter cer-
tum est jura dotalia in empto-
rem translata esse, et cessat
praesumptio, quod pecuniae
pervenerint ad manus viri, ut
pulchre dixit *Urceol. consult.
for. in appendic. ad cap.* 24.
n. 32., *et* 33. *vers. declara ta-
men cum ibi congestis, et in di-
cto cap.* 24. *n.* 46. alium etiam
casum ponit, in quo jura do-
12. talia transeunt in emptorem,
videlicet ubi mulier vendit post
mortem viri, et ad effectum si-
bi satisfaciendi ex pretio de
suis dotibus, et deinde satisfa-
ctionem ab emptore recipit.

Positis autem his fundamentis, ca-
suumque distinctionibus circa
primam inspectionem, modo
transitum faciendo ad secundam
dico quod super hujusmodi pun-
cto affirmativa sententia verior,
et communiter in hac facti spe-
cie est amplexata, non obstan-
te dispositione *Textus in l. fin.
C. de remission. pignor.* ubi di-
citur, quod qui semel aliena-
tioni rei sibi hypothecatae con-
sensit, indignus videtur eamdem
rem utpote ab initio ei suppo-
13. sitam vendicare, vel tenen-
tem inquietare, quoniam hu-
jusmodi textus, aliis omissis
limitationibus, declaratur, ut
non procedat, primo quando
consensus est praestitus favore
14. certae, et determinatae per-
sonae, cui tantum, et non al-
teri, prodesse debet, nisi con-
trarium ex conjecturis colliga-
tur; secundo non procedit quan-
do mulier est, quae permittit
rem sibi pro suis dotibus hy-
pothecatam vendi, ac alteri
15. concedi, tunc enim sive con-
sensus sit praestitus pro certa
persona, sive in genere, et in-
definite, admittunt omnes liben-
tissime hujusmodi consensum
alios neutiquam juvare, prae-
ter eum, cui facta est venditio,
et consequenter mulieri vetitum
non esse actiones suas dirigere
contra rem venditam, quae post
venditionem iterum ad virum
pervenit, ut aliis subtacitis late
docent *Mascard. de probat. vol.*
3. *concl.* 1173. *n.* 41., *et seq.
Surd. decis.* 163. *n.* 10. *et* 11.
ubi alii concordantes habentur.

ARGUMENTUM.

Fideicommissarius haeres universalis gravati defuncti potest revocare alienationes bonorum fideicommissariorum ab eodem gravato nulliter factas.

SUMMARIUM

1. *Contra haeredem, qui factum defuncti vult impugnare obstant variae exceptiones, quae hic adducuntur.*
2. *Limita quando factum defuncti est contra expressam legis dispositionem, aut testatoris praeceptum.*
3. *Amplia, ut hoc eo fortius procedat quando haeres est beneficiatus.*
4. *Haeres tamen tenetur in tali casu tantundem emptori refundere quantum rei valor importat, si bona haereditaria suppetant.*
5. *Inventarium operatur, ut haeres duplicem repraesentet personam, etiam ad hoc, ut possit facto defuncti contravenire, quando agitur de rebus, in quibus justam habet affectionem.*
6. *Exponitur, et declaratur dispositio text. in l. filius familias §. cum pater ff. de leg., et fid. primo, in quo firmatur, quod fideicommissarius haeres gravati revocare non potest alias rationes ab eodem gravato factas.*

CONSULT. L.

Super articulo mihi communicato, an scilicet dominus Fulvius de Cecharinis in vim cujusdam fideicommissi per Angelum ejus avum ordinati, et nunc in personam ejusdem Fulvii purificati, consequi, et obtinere possit mandatum petitum pro recuperatione bonorum, de quibus agitur, per D. Simonem ejus patrem, dum in humanis agebat, indebite venditorum, censeo cum sensu veritatis, et omni posthabita dubitatione, utique affirmative respondendum non obstante, quod dictus D. Fulvius sit successor ab intestato praedicti D. Simonis venditoris, sicque quod contra eumdem obstare videan-
1. tur exceptiones quod quem de evictione tenet actio eumdem agentem repellit exceptio, quodque haeres adeundo haereditatem omnia a defuncto gesta confirmare censetur, ut pro his regulis facit *Text. in l. cum a matre C. de rei Vindic., et in l. vindicantem ff. de evict. Rot. coram Merl. decis.* 543. *n.* 5., *et post Zacch. de oblig. Camer. decis.* 253. *n.* 9. *Cyriac. contr.* 160. *n.* 78., *et seq. Gratian. discept.* 511. *n.* 28. *Altograd. cons.* 25. *n.* 24. *lib.* 1. quoniam cum in facto mihi pro certo praesupponatur bona per Simonem vendita subjecta esse strictissimo fideicommisso per Angelum avum, et patrem respective favore omnium ejus filiorum, et descendentium ordinato cum expressa prohibitione alienationis dictorum bonorum, ex quo intentio dicti testatoris erat, ut ea semper ma-

nerent, et conservarentur in ejus familia, et ulterius de identitate eorumdem, aliisque extremis necessariis constare, ex his concludendum procul dubio videtur pro relaxatione mandati petiti, non obstantibus exceptionibus, et regulis superius adductis, quoniam non
2. bene applicantur, quoties factum defuncti est contra expressam legis dispositionem, aut expressum testatoris praeceptum, prout in praesenti nostro casu, tunc enim apud juristas est certum, quod haeres utique illud impugnare, et retractare potest, ut rationibus, et fundamentis ad satietatem adductis strenue firmavit *Rot. decis.* 110. *part.* 2. *divers.*, *et in rec. part.* 10. *decis.* 363. *n.* 45. *Cyriac. contr.* 312. *n.* 102., *et seq. Andreol. contr.* 3. *n.* 27. *Fusar. de substit. quaest.* 557. *n.* 8. *Gratian. discept. for. cap.* 853. *n.* 24. horumque D. D. theorica tanto libentius in hac hypothesi amplectenda venit, attento quod dominus Fulvius haeres domini Simonis ejus patris haereditatem praedictam ad-
3. ivit cum beneficio legis, et inventarii, vigore cujus cum ejus jura penitus separata remanserint ab haereditariis, inconveniens mihi non videtur, quod idem Fulvius personam fideicommissarii induendo, utique revocare possit venditiones bonorum fideicommissariorum a Simone ejus patre haerede gravato factas, licet postea quatenus personam haeredis dicti Simonis repraesentat, omnis suadeat ratio, ut teneatur tantun-
4. dem emptori refundere quantum rei venditae valor importat, si bona haereditaria suppetunt, ut aliis concordantibus cumulatis pulchre dixit *Rot. decis.* 363 *n.* 44. *part.* 10. *rec.* ubi ait quod licet replicari possit inventarium regulariter neutiquam operari, ut haeres duplicem praeseferat personam quantum ad hoc, ut possit facto defuncti contravenire etiam ex jure proprio, sed solum quantum ad hoc ne teneatur ultra vires haereditarias, subdit tamen, objectum non offi-
5. cere ubi, prout hic, agitur de rebus, in quibus haeres habet justam affectionem, veluti quia fuerint majorum suorum, quod dixit etiam *Bellon. de Jur. accresc. cap.* 10. *quaest* 30. *n.* 91.

Neque pro meo judicio harum rationum veritatem obnubilare potest *Textus in l. filius familias §. cum pater. ff. de leg., et fid. primo* qui firmare videtur quod fideicommissarius haeres universalis gravati defuncti neutiquam revocare possit venditiones ab eodem gravato factas, quoniam aliis omissis responsionibus in decis. infra citanda
6. videndis, respondetur praedicti textus dispositionem in proposito non applicari, praecipue quia ibi supponitur fideicommissarium successorem esse haeredis gravati ex testamento, quo

casu cum haeres gravatus fideicommissarium sic instituendo, ostendere videatur ejus intentionem esse ob venditiones rerum ad dictum fideicommissarium spectantium, eum compensandi cum haereditate relicta, propterea nec mirum tunc esse debet, quod haeres sic institutus factum defuncti impugnare, et bona ab eodem defuncto indebite vendita consequi neutiquam possit, prout textum sic explicando prudenter decisit *Rot. d. decis.* 110. *n.* 31. *part.* 2. *divers.* ubi hanc materiam late examinat, et omnibus in contrarium satisfacit.

ARGUMENTUM.

Agitur hic de materia melioramentorum emptori reficiendorum, quando res empta ad venditorem redit, vel ex eo quod contractus rescindatur propter laesionem, vel ob nullitatem, vel ex eo quod venditor sibi reservaverit dominium super re vendita usque ad solutionem pretii, sed ex. gr. ob impotentiam solvendi, consenserit emptor rem ad venditorem redire, et quid si res emptori evincatur, cum aliis casibus, de quibus in summario.

SUMMARIUM.

1. *Reservatio dominii favore venditoris resolvitur in specialem hypothecam pro faciliori consecutione pretii.*
2. *Et ideo juxta veriorem sententiam non impedit quin dominium in emptorem transferatur, ut infra.*
3. *Emptori cum pacto retrovendendi reficienda sunt melioramenta.*
4. *Quando emptori res evincitur, ei sunt restituenda melioramenta.*
5. *Verba instrumenti sunt sumenda eo modo, quo sonant.*
6. *Translatio dominii est de natura venditionis, et ideo verisimilius est ut dominium transferatur in emptorem non obstante d. reservatione dominii ubi in instrumento adest clausula constituti.*
7. *Emptor dicitur in bona fide ubi articulus est dubius.*
8. *Fructus melioramentorum emptori debentur etiam post superventam malam fidem.*
9. *Laesio est ab ea elegante probanda.*
10. *Ubi contractus rescinditur propter laesionem enormissimam, etiam tunc melioramenta refici debent emptori.*
11. *Quae tamen propositio declaratur.*
12. *Emensa minore non servatis solemnitatibus necessariis petere non potest melioramenta utilia.*

CONSULT. LI.

Non subsistunt in jure fundamenta, et rationes, quae per scribentem pro D. Jo. Andrea de Saeculis lato calamo deducta fuerunt, pro excludenda

intentione D. Petri Ronchii principalis mei, praetendentis sibi reficienda esse melioramenta utilia facta super praedio alias eidem per adversarium vendito cum reservatione dominii, et specialis hypothecae usque ad integralem pretii solutionem, sed ob deficientiam in solutionibus ad d. venditorem de consensu principalis mei reverso, sibi tamen reservato in actu reversionis praedictae jure consequendi melioramenta superius dicta, duplici praesertim ex capite: primo scilicet quia quoties instrumentum clausula constituti ad habendum, et simil. est munitum, vera non est propositio, super quam dictus exadverso scribens pedes figendo, omne fundamentum constituit, videlicet quod in venditione cum reservatione dominii, et specialis hypothecae, rei dominium in emptorem non transeat, et consequenter, quod tunc vana, et insubsistens dicatur praetensio emptoris pro consequendis melioramentis tanquam scienter factis in re aliena, sed in praedicto casu praefata reservatio dominii secundum communio-
1. rem, et receptiorem sententiam eum solum operatur effectum, ut scilicet venditor super re vendita praelationem obtineat adversus omnes alios creditores emptoris, ut aliis subtacitis rem istam docte definivit *Rot. decis.* 135. *n.* 25. *part.* 6. *rec. Merl. de pign. lib.* 4. *tit.* 1. *quaest.* 41. *n.* 61. *eruditissimus D. Ansald. de comerc., et mercat. disc.* 56. *n.* 47., un-
2. de rebus ita se habentibus, cum in praefato themate de translatione dominii nullo pacto ambigi possit, hinc ideo obmutescit ratio fundamentalis, cui, ut dixi, pars superinnititur, et intrant ad favorem principalis mei, quae in fortioribus terminis tradunt doctores, videlicet, quod habenti rei dominium etiam revocabile reficienda sunt melioramenta, et ex-
3. pensae in d. re factae ut in terminis emptoris cum pacto retrovendendi dixit *Rot. rec. decis.* 94. *n.* 22. *part.* 15. *Tiraquel. de retract. convent.* §. 7. *glos.* 1. *n.* 1., *et* 2. *Peregr. de fideic. art.* 50. *n.* 64., qui omnes alia docent circa materiam melioramentorum ab emptore factorum, quibus addo etiam *Francisc. de Angelis de impen., et meliorat. dotal. art.* 7. *n.* 15., *et* 16. post haec scripta visus, ubi loquitur de emptore cum pacto de retrovendendo, nec non de emptore, cui res empta evincatur, qui eam
4. dimittere non tenetur, nisi prius sibi refectis melioramentis, si de eis legitime constat, et in terminis hujus ultimi casus faciunt etiam tradita per *Franc. decis.* 112. *n.* 3., *et seq. Fulgin. de emphyt. tit. de melior. quaest.* 4. *in fin.*

In nihilum contra haec refragante, quod explicationi superius traditae obstent prima juris

principia, quibus statuitur,
5. quod verba instrumenti sunt sumenda eo modo, quo sonant, ita ut quod non dicit instrumentum, nec nos dicere debeamus, quoniam huic difficultati ea applicari potest responsio, quod licet verbis instrumenti superficialiter attentis videatur partium intentionem fuisse, ut dominium penes venditorem remaneat, donec, et quousque eidem totum pretium solvatur, ita ut clausula constituti suum effectum ex verisimili earumdem partium mente operari non debeat, nisi dicti pretii solutione sequuta; tamen quia certum est translationem dominii de natura venditionis esse, ideo re funditus inspecta, verisimilius vi-
6. detur, quod potius in dicto casu in vim praedictae clausulae contrahentes re vera senserint rei venditae dominium in emptorem transire; reservata tantummodo favore venditoris, speciali, et privilegiata hypotheca pro faciliori consecutione pretii, fortius quia hoc aequissimo, ac rationi consono dogmate recepto, cessant multa absurda, quae sequerentur, si dominium praedictum in emptorem non transiret, quae absurda ad evitandas prolixitates hic non recensentur, cum in omnem casum videri possint penes D. D. citatos, et alios ab eis congestos.

Rursus porro ex alio, et sic ex secundo capite nullius sunt roboris fundamenta dicti exadverso scribentis, quoniam quatenus etiam per hypothesim supponeremus probabiliorem esse sententiam asserentium rei venditae dominium penes venditorem suspensum remanere, quoties per pactum idem dominium ejus favore fuit reservatum usque ad integralem pretii solutionem, attamen cum citra veri praejudicium inficiari nequeat, quin in contrarium habeantur gravissimorum doctorum auctoritates, et urgentissime rationes facientes articulum
7. dubium, resultat propterea ex hujusmodi dubietate in emptore bona fides ob quam omnis postulat ratio, ut ei reficiantur melioramenta in re empta facta, ut ponderat *Altograd. jun. contr.* 46. *n.* 76. *ad finem. Menoch. cons.* 115. *n.* 31., *et* 32. intelligendo tamen haec, quae circa bonam fidem sunt dicta de ipsis solis melioramentis, nam quantum attinet ad fructus melioramentorum, procul dubio in dicto casu non est super bona fide immorandum, sed absque haesitatione est concludendum, illos emptori deberi etiam post resolutum contractum, sicque bona fide de medio sublata, et usque
8. ad actualem refectionem melioramentorum, ne alias contra omnem rationem sequatur absurdum, quod venditor lucrando fructus d. d. melioramentorum fact. ab emptore cum pecuniis propriis, cum ejus ja-

ctura, et damno locupletetur, ut prudenter concludit *Marescot. var. resol. lib.* 2. *resol.* 112. *n.* 53. *Giurb. decis.* 105. *n.* 19. *Rot. decis.* 223. *n.* 12. *part.* 7. *decis. n.* 6. 12. *part.* 11. *decis.* 250. *n.* 2. *part.* 15. *rec., et coram Buratt. decis.* 558. *n.* 5. *Cenc. de cens. quaest.* 66. *n.* 81. *ad* 100. penes quos aliae etiam habentur rationes.

Positis autem his fundamentis nullum postremo obtendit obicem exadverso praetensa laesio ultra dimidiam, ob quam, ut aliqui firmare videntur, neutiquam emptori reficienda sunt melioramenta, quoniam respondetur hujusmodi somniatam laesionem nullibi in Processu fuis-
9. se concludenter probatam, ut adversario se laesum fuisse dicenti onus incumbebat, ad tradita per *Rot. decis.* 686. *n.* 11. *part.* 18. *rec. t.* 2., *et decis.* 297. *n.* 8. *et seq. part.* 19., *et alibi passim*, et ex abundanti lubet etiam addere, quod quatenus admittere vellemus eam fuisse probatam, adhuc tamen ex hoc non censerem praeclusam esse viam principali meo consequendi dicta melioramenta, quoniam verior, ac magis recepta sententia est, quod ubi contractus rescinditur propter laesionem ultra dimidiam,
10. quod, inquam, in dicto casu laesione non obstante, melioramenta utilia refici debeant cum etiam tunc ab emptore mala fides abesse dicatur, ut edocet *Gutierez. de gabellis quaest.* 12. *n.* 4., *et seq. ubi alios da concordantes*, et quoad sententiam adversariorum respondetur eam procedere posse sem-
11. per, quod constet emptorem scivisse venditorem fuisse laesum ultra dimidiam, ut animadvertit *Auctor citatus*, *et conferunt tradita per Cyriac. contr.* 63. *n.* 10. vel quoties ad rescissionem contractus deveniretur, non propter laesionem, sed propter nullitatem, ut evenit in contrahente cum minore, non servatis solemnitatibus de jure requisitis, aliisque similibus casibus, in quibus omnis postulat ratio, ut emptor
12. ob malam fidem melioramenta utilia petere nequaquam possit, ut concordantibus relatis animadvertit *De Angelis de impens., et melioram. dotal. art.* 7. *n.* 49.

ARGUMENTUM.

Pro dote constituenda foeminae descendenti tam primi, quam ulterioris gradus, nec non pro ea reconstituenda permissum est ad venditionem bonorum fideicommissariorum devenire, hocque ampliatur multis modis, ut in Summario, et quid dicendum, si venditione sequuta praetendatur a fideicommissariis, quod bona libera, vel fructus de tempore venditionis existerent, et suppeterent.

SUMMARIUM.

1. *Venditio bonorum fideicommissi ascendentis permittitur pro dotanda foemina descendenti, tam primi, quam ulterioris gradus.*
2. *Amplia, ut hoc etiam procedat pro dote reconstituenda, ut hic declaratur.*
3. *Amplia secundo etiam si venditio esset a testatore prohibita.*
4. *Amplia tertio etiam pro restituenda dote, pro acconciis, iocalibus, vestibus, et aliis rebus, ut hic.*
5. *Amplia quarto tam pro dote carnali, quam spirituali.*
6. *Detractiones Venditori competentes justam emptori parant defensionem.*
7. *Limita tamen, ut praedicta non procedant, quando adsunt bona libera.*
8. *Ante factam venditionem pro constituenda dote, onus probandi bona libera non adesse incumbit agenti ad dotem, post vero venditionem incumbit fideicommissario, si venditio facta fuit expresse pro constituenda dote.*
9. *Quicquid sit quando ad hunc effectum expresse facta non fuit.*
10. *Quando in haereditate non adsunt corpora, quae commodam patiantur divisionem, est vendendum unum ex minus damnosis, licet majoris valoris dote constituenda, investiendo residuum.*
11. *Divisibilitas in bonis urbanis non praesumitur, quicquid sit in rusticis.*
12. *Proprietas fideicommissi alienari potest pro dote, si fructus non extant, et malitiose consumptos esse non probetur, quod etiam hic ampliatur.*

CONSULT. LII.

Immissionem petitam pro parte D. Francisci de Magagnolis in vim *l. fin. C. de aedict. Div. Adr. toll.* ad domum circa annum 1696. venditam per D. Lucium de Septembriuis haeredem gravatum Illustriss. D. Antonii Zagono, censeo sine ulla animi haesitatione utique eidem denegandam esse, non obstantibus ex adverso deductis, et lato calamo cumulatis, quoniam cum ex probationibus in processu datis, et praecipue fol. 70., apertissime constet ad praedictum venditionis contractum fuisse deventum, ad effectum constituendi dotem D. Juliae filiae praedicti venditoris, et neptis fideicommittentis, intrat de plano vulgata dispositio *Auth. resquae C. com. de leg.*, in vim cujus venditio bonorum
1. fideicommissi ascendentis, ut omnibus est notum, permittitur pro constituenda dote foeminae descendenti, tam primi, quam ulterioris gradus etiam in infinitum, ut communiter docent J. C., et aliis omissis videri meretur *Fusar. de substit. quaest.* 531. *n.* 30., ubi quod hoc pro-
2. cedit etiam pro dote reconstituenda, et amissa sine culpa mulieris *Rot. decis.* 16. *per tot. part.* 4. *tom.* 2. ubi praedicta
3. procedere ait etiam si venditio esset a testatore prohibita,

et decis. 312. *part.* 6. ubi loquitur in terminis restitutionis dotis *decis.* 311. *part.* 10. *rec.*
4. ubi praedictam sententiam amplectitur etiam pro restitutione acconcii in instrumento dotali promissi, ac aestimati traditi, et pro jocalibus, et aliis apparatibus nuptialibus, quod dixit etiam *Fontanell. de pact. nupt. claus.* 7. *glos.* 3. *part.* 14. *n.* 31., *et seq.* rursus *Rot. decis.* 314. *n.* 22. *part.* 6. *rec.* ubi cum hac nostra sententia
5. pertransit, tam pro dote carnali, quam pro spirituali, quibus denique addo *Peutinger. decis.* 359. *n.* 3. *ad* 6., ubi quod
6. praedictae detractiones justam parant emptori defensionem.

Nec est quod ad infringenda haec fundamenta exadverso dicatur, quod de tempore constitutionis dotis alia extarent bona, nimirum libera, qua re sic posita,
7. commune Doctorum consortium in id consentiat, ut tunc cesset dispositio praedictae *auth. resquae* tanquam subsidiaria, quoniam cum in processu nulla penitus data fuerit probatio circa praedictam praetensam existentiam bonorum liberorum, prout adversario ad immissionem agenti onus incumbebat, praecipue quia venditio, de qua hodie controvertitur, factam fuisse patet expresse pro
8. constituenda dote praedicta, et etiam constat de versione pecuniae in dictam causam, ex his propterea corruit difficultas proposita, ut strenue dixit *Rot. decis.* 16. *n.* 18., *et seq. post Salgad. Labyr. Cred. decis.* 154. *n.* 2. *par.* 6. *rec.*, *et decis.* 351. *n.* 3. *par.* 13. *rec.* ubi ait quod ante factam detractionem dotis onus probandi alia bona non adesse incumbit agenti ad consecutionem dotis, post vero onus incumbit fideicommissario ad immissionem agenti praecipue, ut dixi, quando venditio facta fuit expresse pro constituenda
9. dote foeminae descendenti, quicquid sit quando ad hunc effectum expresse facta non fuit, in qua hypothesi videndi sunt *Fusar. de subsist. quaest.* 531. *n.* 175. *Rot. part.* 19. *decis.* 236. *n.* 11., *et decis.* 361. *n.* 8. *part.* 17. *rec.*

Secundo non obstat, quod praefata venditio sustineri nequeat saltem ex eo quod facta fuerit de corpore fideicommissario valoris longe excedentis dotem superius dictam, quia pro responsione dicimus novum in jure non esse, quod ubi non extat corpus haereditarium commodam patiens divisionem, quod inquam tunc liceat ad venditionem unius corporis, minus
10. damnosi licet majoris valoris dote constituenda devenire, investiendo tamen residuum ad commodum fideicommissi, ut docte de more firmavit *Merl. decis.* 683. *n.* 7. ubi dicit etiam quod praedicta divisibilitas non
11. praesumitur in urbanis, quicquid sit in bonis rusticis, de quibus loquitur, et videnda est *Rot. decis.* 287. *et* 361. *part.* 17. *rec.*

Tertio non obstat, quod dos prius sit constituenda ex fructibus bonorum fideicommissariorum, atque adeo quod ex hoc capite indubitanter concedenda sit immissio praedicto D. de Magagnolis, quoniam pro eliminatione hujus objecti supplicamus reflecti hujusmodi propositionem tunc demum recte procedere, semper scilicet quod de tempore constitutionis dotis fructus extarent, vel constaret eos malitiose fuisse consumptos, secus vero quando non extant,
12. nec suppetunt, nec constat de dolo gravati dotare debentis, ut bene animadvertit *Fusar. de substit. quaest.* 531. *n.* 120. *Rot. decis.* 269. *n.* 4. *part.* 11. *rec.* ubi quod proprietas fideicommissi alienari potest pro dote si fructus non extant, et malitiose consumptos esse non probetur, etiam si testator praecepisset quod dotes solverentur ex fructibus.

ARGUMENTUM.

Contractus emptionis, et venditionis cum pacto retrovendendi est permissus de jure divino, canonico, et civili, et sustinetur etiam si res vendita immediate locetur venditori, nisi tamen concurrat modicitas pretii, quae debet esse ultra dimidiam, et habita ratione ad onus praedictum, aut aliae conjecturae concurrant, quae tamen sunt elidibiles per alias conjecturas contrarias, cum aliis circa hanc materiam.

SUMMARIUM.

1. *Verbis instrumenti semper est standum, donec contrarium probetur.*
2. *Instrumentum habet pro se plures praesumptiones quae hic adducuntur.*
3. *Contractus nunquam praesumitur foeneratitius, etiam si venditor remaneat in possessione rei venditae.*
4. *Venditio cum pacto de redimendo expresse approbatur a jure civili.*
5. *Et hujusmodi contractus sunt etiam permissi de jure divino, et canonico.*
6. *Contractus venditionis cum pacto redimendi potest esse foeneratitius, quod ex conjecturis colligi potest.*
7. *Successiva tamen locatio non est conjectura sufficiens, nisi alia concurrat conjectura, veluti modicitas pretii.*
8. *Testes deponentes de laesione, deponere debent quanti res publice vendi potuisset.*
9. *Et idem est in Peritis, qui debent aestimare secundum communem valorem.*
10. *Testes etiam, seu Periti respicere debent onus pacti de retrovendendo, quod minuit aliquando circa sextam, et aliquando circa tertiam partem veri valoris.*
11. *Laesio etiam juncta cum successiva locatione debet esse ultra dimidiam.*

12. *Ad subvertendum contractum venditionis praedictae, conjecturae debent esse efficaces, dilucidae, legis, et non hominis.*
13. *Conjecturae, ex quibus contractus arguitur simulatus sunt elidibiles per alias contrarias.*
14. *Quando actus fit ex necessitate remanet exclusa simulatio, etiam si tunc concurrant conjecturae, quae alias sufficerent.*
15. *Unde quoties constat de originali veritate contractus saltem per conjecturas, tunc nec pactum de retrovendendo, nec modicitas pretii, nec subsequuta locatio, nec aliae similes conjecturae ad d. effectum suffragantur, sed solum attenditur, an ob laesionem locus sit remedio l. 2. C. de rescind. vend.*

CONSULT. LIII.

Inter alias controversias, quae subortae fuerunt inter Lucium de Lucarinis, et dominum Alexandrum de Pepulis, occasione venditionis cujusdam praedii per dictum de Pepulis empti ab illo de Lucarinis cum pacto retrovendendi intra septennium, et successiva ejusdem praedii locatione favore dicti venditoris; illa hodie inspicienda venit, an hujusmodi contractus de jure validus, et permissus sit, an vero usurarius, et foeneratitius dicatur, ita ut emptor teneatur restituere praedium, una cum omnibus fructibus perceptis, vel illos in sortem imputare.

Unde electus ego, ut super hoc articulo meam pro veritate exponam sententiam, respondeo contractum praedictum omni jure inspecto, tam scilicet civili, quam canonico, et divino utique validum, et permissum esse.

Etenim quod attinet ad jus civile, hoc jure inspecto de validitate praedicta nullo pacto ambigi potest, quoniam cum ex instrumento mihi exhibito clare constet inter partes fuisse initum contractum emptionis, et venditionis non autem mutui, aut pignoris, ut forsan extrinsece, et apparenter videtur; hinc ideo procul dubio cessat, corruitque omnis difficultas, ex certo, et apud omnes recepto dogmate, quod verbis in-
1. strumenti semper est standum, donec exadverso contraria detur probatio ad *Text. in l. cum precibus C. de probation.* quinimo illa semper interpretanda esse in bonam, et meliorem partem, cum instrumentum habeat pro se tres praesumptio-
2. nes, videlicet, quod sit solemne, verum, et sic non simulatum, et de partium consensu confectum docet *Cyriac. contr. for.* 255. *n.* 22. *ad* 28. *vol.* 2. *Honded. cons.* 33. *n.* 22., *et* 23. *vol.* 2. ubi ait ipse quoque, quod contractus nunquam praesumitur foeneratitius, sed justus, licitus, et legalis praesumitur, etiam si venditor re-
3. maneat in possessione rei venditae titulo conductionis, et solvat annuatim emptori justam

pensionem, cessatque omnis difficultas per *Text. in l.* 2. *C. de pact. inter Empt., et Vendit.* u-
4. bi praedicti contractus omnino approbantur.

Transeundo autem ad jus cano-
5. nicum, et divinum confert ad propositum nostrum dispositio *Text. in cap. apud nostram junct. glos. de Empt., et Vend.*, et faciunt tradita per *Rot. decis.* 344. *n.* 1., *et* 2. *part.* 4. *tom.* 2. *rec. Mascard. de probat. concl.* 441. *n.* 3. *Cyriac. contr.* 255. *n.* 28. *tom.* 2.

Quibus sic praemissis inanis, et extranea est pro meo judicio animadversio, quod contractus venditionis cum pacto redimendi, licet in se sit licitus, tamen quandoque usurarius, et foeneratitius esse possit, et ex concurrentibus conjecturis ta-
6. lis dignosci possit veluti si post factam venditionem, illico res empta venditori locetur, aut si cum pacto redimendi concurrat modicitas pretii, aliaeque similes conjecturae, quoniam quantum attinet ad primam conjecturam, quamvis me non lateat non nullos in eam fuisse sententiam, videlicet, quod in venditione cum pacto redimendi propter locationem venditori illico factam oriatur aliqualis fraudis, et simulationis suspicio, aeque tamen mihi est notum praedictam theoricam recte non procedere ad effectum contractum praedictum tanquam simulatum, et usurarium subvertendi, nisi ultra venditio-
7. nem cum pacto redimendi, et successivam locationem, alia conjectura concurrat, veluti modicitas pretii, ut notat *Rot. decis.* 219. *n.* 1., *et* 2. *part.* 19. *rec., et decis.* 2. *n.* 3. *et seq. part.* 15. *Honded. cons.* 33. *n.* 84. *vol.* 2. *Cyriac. contr.* 255. *n.* 34. *tom.* 2.; quo vero ad modicitatem pretii ex hac pariter nihil in praedicta facti specie deducere potest pars adversa, quod ad ejus intentionem conferat, tum quia haec ex voluminoso processu mihi ostenso, nullibi fuit concludenter probata, (prout onus eam alleganti incumbebat ex notissimis juris regulis) testes enim in hac causa examinati deponunt tantum de proprio judi-
8. cio, non vero quanti res publice vendi potuisset, et communiter valuisset tempore venditionis, prout deponere debebant ut monet *Gratian. discept. for. cap.* 461. *n.* 22. *et seq. Rot. decis.* 344. *n.* 16. *part.* 4. *t.* 2. *rec.* ubi quod modicitas pretii non probatur quando pe-
9. riti non aestimant rem secundum communem aestimationem, quod totidem verbis dixit *Cyriac. contr.* 453. *n.* 69., *et seq.* quinimo quod pejus est, praedicti testes nullam habuerunt rationem ad onera rei venditae, et praecipue ad pactum de retrovendendo, quod recipit aestimationem, et minuit de va-
10. lore rei aliquando circa sextam et aliquando circa tertiam partem, juxta brevitatem, et

longitudinem temporis, ad quod
facultas redimendi est concessa
ad sensum *Rot. decis.* 344. *n.*
11. *ad* 13. *part.* 4. *t.* 2. *decis.*
94. *n.* 12. *part.* 15. *rec., et im-
press. penes Cyriac. contr.* 261.
tom. 2.*;* tum etiam quia qua-
tenus per hypothesim diceremus
aliquam fuisse datam probatio-
nem circa praedictam pretii mo-
dicitatem, esset tamen ulterius
reflectendum non omnem lae-
sionem, etiam junctam cum
successiva locatione, sufficere,
sed ad praefatum effectum opus
11. esset juxta veriorem senten-
tiam, ut dicta laesio excede-
ret dimidiam justi pretii, ut
pulchre firmavit *Rot. part.* 15.
decis. 2. *n.* 3.*, et seq. et par.*
19. *decis.* 219. *n.* 1.*, et* 2. u-
bi alia quoque circa hanc ma-
teriam subdit, et signanter quod
ad subvertendum contractum
venditionis cum pacto redimen-
di, conjecturae debent esse ef-
12. ficaces, dilucidae, et legis,
non autem hominis, quod di-
xit quoque *in decis.* 641. *part.*
18. *rec.*, *et alibi passim;* Tum
denique quia animadversione
dignum mihi videtur, quod si-
cuti in his contractibus ex con-
jecturis recte dignoscitur, et
arguitur contractum foenerati-
tium, et usurarium esse, ita
non est haesitandum, quin con-
13. currentibus conjecturis omni-
no contrariis, contractus justus,
licitus, et legalis sit dicendus,
ut docte animadvertit *Bursatt.
cons.* 175. *n.* 18. *vol.* 2. *cum
ibi congestis* unde reassumendo
factum ex processu resultans,
cum ex eo fortes habeantur
conjecturae indicantes animum
contrahentium in proposito ca-
su fuisse re vera contractum
emptionis, et venditionis cele-
brandi attenta necessitate, qua
ex una parte venditor ad ven-
dendum premebatur, ex alte-
ra vero obligatione emptoris,
qui onus injunctum habebat
investiendi pecuniam praedicto
venditori exbursatam, ex hac
propterea facti serie non vide-
tur locum esse ex ullo capite
haesitandi de validitate, et le-
galitate praefati contractus, cum
nimis fit notum in jure, quod
ubi actus sit ex necessitate tunc
14. remanet exclusa omnis simula-
tio, etiam si concurrant omnes
conjecturae, quae alias sufficе-
rent, ut in puncto ait *Cyriac.
contr.* 255. *n.* 36. *ad* 39., *et* 51.
ad 52. *t.* 2. *cum ibi relat*: ubi
dicit quod quoties constat de
originali veritate contractus,
vel pro ea stant conjecturae,
15. tunc nec pactum de retroven-
dendo, nec modicitas pretii,
nec subsequuta locatio, nec
consuetudo foenerandi, aliaeque
similes, ac debiles conjecturae
insimul concurrentes, suffragan-
tur ad effectum arguendi con-
tractum simulatum, sed in prae-
dicto casu attenditur tantum,
an laesio sit ultra dimidiam,
ad hoc, ut sit locus remedio
l. 2. *C. de rescind. vend.*

ARGUMENTUM.

Pulchra, frequens, et admodum disputabilis quaestio in hac consultatione deciditur, et est an venditione ad hastam instantibus creditoribus jam perfecta, et possessione emptori tradita, novus, et major sit admittendus oblator, ob favorem, et interesse creditorum.

SUMMARIUM.

1. *Jus tertio quaesitum ei non potest auferri.*
2. *Si novus oblator post perfectam venditionem admitteretur, alii etiam essent admittendi, ex qua re sequerentur absurda.*
3. *Qui plus obtulit, et cui facta est adjudicatio, non potest amplius poenitere.*
4. *Si praedictus novus oblator esset admittendus, emptori praeclusa quodammodo esset via rem meliorandi.*
5. *Novus oblator non admittitur, nec minus favore minoris, communitatis, et fisci, quando contractus perfectus est, debitae servatae sunt solemnitates, et justum intervenit pretium, praecipue si res non est integra, quia scilicet possessio emptori sit tradita.*
6. *Ob favorem, et interesse creditorum, sustinet Salgad. ac alii, quod novus, et major oblator admitti debeat dicentes hoc speciale esse in concursus bonis subhastatis.*
7. *Sed praedictorum doctorum sententia rejicitur, seu declaratur.*

CONSULT. LIV.

Super ardua, et a D. D. admodum controversa quaestione mihi communicata, in qua meum animi votum desideratur videlicet, an venditione ad hastam instantibus creditoribus, jam perfecta, et possessione emptori tradita, novus, et major oblator sit admittendus, sicque; an sub praetextu novi additamenti ad novam subhastationem deveniri possit, consideratis omnibus considerandis, nunc in his scriptis pro veritate respondeo probabiliorem in praedicta facti specie mihi videri negativam sententiam, et ad hanc firmandam propositionem iis praecipue moveor rationibus, quia scilicet contra omnem aequitatem, et expressas regulas juris videtur assertum, per quod concluditur novum, et majorem
1. oblatorem esse admittendum etiam post jus quaesitum emptori ob perfectionem contractus, in eoque fortius radicatum per traditionem possessionis; Secundo quia si in his venditionibus post contractum perfectum, et sequutam rei traditionem, novus, et major esset admittendus oblator, vi-
2. deretur etiam admittendus secundus, tertius, etc. sicque quodammodo daretur processus in infinitum, et mundus impleretur litibus; Tertio quia sicuti plus offerenti, et cui fit adjudicatio licitum non est am-
3. plius poenitere, et a contra-

ctu recedere, quinimo ob jus quaesitum creditoribus ad illius observationem certum est compelli posse, pro qua re conferunt tradita per *Rot. decis.* 12. *n.* 8., *et* 10. *part.* 12. *rec.* ita etiam a contrario sensu, ut servetur aequalitas, non videtur in dicto casu, nec minus ex parte creditorum post perfectum venditionis contractum, et traditam possessionem amplius locum esse poenitentiae; quarto tandem, et ultimo, quoniam si novus, et major oblator juxta sententiam adversariorum, esset admittendus, sequeretur ex hoc, quod empto-
4. ri quodammodo esset praeclusa via rem emptam meliorandi, et excolendi, cum certum, et indubitatum sit, quod ipse in praedicta hypothesi, ob dubium rem amittendi nullam erga eam haberet affectionem, et cum hac sententia, licet praedictis omnibus rationibus non adductis, pertranseunt *Novar. quaest. for. part. prim. quaest.* 63. *n.* 2., *et seq. Hermosill. in l.* 52. *quem allegat., licet immerito rejiciat Salgad. Labyr. Cred. part.* 2. *cap.* 2. *n.* 37. *et conferunt tradita per Marin. lib.* 1. *cap.* 46. *vel* 146., *et apud eum Ursinus cap. seq. n.* 16. ubi evidenter ostendunt privilegium admittendi novum oblatorem,
5. nec minus favore, minoris communitatis, et fisci, quantumvis tot privilegiis indulti, locum habere, quando contractus perfectus est, debitae servatae sunt solemnitates, et justum intervenit pretium, praecipue si res non est integra, hoc est possessio est emptori tradita, quod pro alio hujus mei assumpti fundamento inservire potest.

Et quamquam contra hanc sententiam multos etiam gravissimos J. C. mordicus pugnare mihi sit notum, inter quos *Salgad. Labyr. Cred. part.* 2. *cap.* 2. *n.* 12., *et seq. aliique etiam moderniores* firmantes speciale esse in concursu bonis subhastatis ob favorem, et interesse
6. creditorum, ut si novus licitator accedat, qui plus in magna quantitate arbitrio judicis offerat, etiam tempore subhastationis transacto, et contractu perfecto audiatur; praedictorum tamen doctorum traditione in nihilum obstante, undequaque tutum in superius exposito facto censeo esse assertum exclusivum novi, et majoris oblatoris, ob efficacissi-
7. mas rationes adductas, ob quas, ut ex lectura manibus quodammodo tangi potest, vel penitus obmutescunt fundamenta Salgadi, aliorumque sequacium, vel saltem eam declarationem recipiunt, ut scilicet non procedant quando possessio emptori tradita fuit, sicque res vere integra non est.

ARGUMENTUM.

Quaeritur breviter, an per alienationem rei legatae censeatur revocatum legatum, nec ne.

SUMMARIUM.

1. *Est regula generalis, quod per alienationem rei legatae utique censetur revocatum legatum.*
2. *Limita tamen, ut haec regula non procedat quando alienatio fit aliqua impellente necessitate.*
3. *Et ubi essemus in dubio, alienatio facta fuisset titulo oneroso, praesumeretur ex causa necessaria, et onus contrarium probandi haeredi incumberet, ut hic declaratur.*
4. *Secus vero si ageretur de alienatione titulo lucrativo.*
5. *Quando testator potuit mutare testamentum, et non mutavit, videtur illud approbasse.*
6. *Quoties testator rem legatam libere, et absolute non vendidit, non videtur voluntatem mutare voluisse.*

CONSULT. LV.

Dominus Franciscus de Michaloriis, cum circa annum 1693. gravi morbo reperiretur affectus, suum ultimum condidit testamentum, in quo haerede universali instituto D. Petro Paulo de Montoriis, inter alia sequens deinde ordinavit legatum, *Item per ragion di legato lascio, ed espressamente comando, che si dia al signor Gio. Battista Fratta il podere, che di presente possiedo nella villa di Tipano;* abinde citra a praedicta infirmitate sanatus testator praedium praedictum pro certo pretio vendidit D. Alberto de Zoffolis, ea tamen sub lege, ut illud pro eodem pretio semper, et quandocumque redimere posset; hodie autem vita functo testatore cum testamento praedicto, quaeritur, an legatum debeatur, nec non.

Et super hujusmodi puncto, quamvis pro parte haeredis credatur, et praetendatur d. legatum nequaquam deberi, eo fundamento superinnixus, quod per a-
1. lienationem rei legatae censetur revocatum legatum; hoc tamen non obstante, ego contrariam in proposita facti specie amplector sententiam, et moveor ad sic sentiendum, quoniam vera indistincte non est propositio, quod ob alienationem rei legatae censeatur revocatum legatum, sed hujusmodi juris conclusio praecipue limitatur, ut non procedat, quoties agitur de alienatione
2. facta, aliqua impellente necessitate, ut pulchre animadvertit *Cyriac. contr. for. lib.* 1. *cap.* 118. *ubi alios penes eum videndos congerit*, et pro hac re etiam urgere mihi videtur ratio, quia scilicet quoties testator rem legatam impellente necessitate vendidit, verisimile non est, quod ad dictam venditionem devenerit animo revocandi legatum; et quamquam in casu superius exposito clare non constet, et ambiguum sit an testator rem legatam vendiderit voluntarie, vel ex necessitate, in hac tamen dubietate, cum nulla extet conjectura mu-

tatae voluntatis, et alienatio fuerit facta titulo oneroso, procul dubio est praesumendum
3. testatorem ad praedictam venditionem devenisse ex causa necessaria, ita ut onus incumbat haeredi contrarium probandi, et ostendendi, ut docte firmat *Cyriac. contr. for. d. cap.* 118. *n.* 1. *ad* 5. ubi distinguendo ait, quod quando agitur, de alienatione titulo lucrativo facta, tunc utique praesumitur
4. voluntaria, ita ut haeres in hoc casu habeat fundatam intentionem; secus vero quando est facta titulo oneroso, et non constat, an testator ad eam devenerit voluntarie, vel ex necessitate, et nulla concurrit, nec extat conjectura mutatae voluntatis, quoniam in tali casu legatarius habet fundatam intentionem, et praesumitur testatorem ex necessitate vendidisse.

Caeterum hactenus dictis ex abundanti addere quoque lubet, quod quatenus disputationis gratia admittere vellemus venditionem praedictam nulla impellente necessitate, sed voluntarie fuisse factam, adhuc tamen ex multis conjecturis ex facto superius exposito resultantibus, verisimilius existimarem legatum praedictum neutiquam revocatum censeri. Conjecturae autem sunt primo, quia scili-
5. cet testator post venditionem rei legatae commode potuit revocare legatum, et tamen illud non revocavit, juxta doctrinam *Decii in cons.* 490. *n.* 7. ubi ait, quod qui potuit mutare testamentum, et non fecit, videtur illud approbasse; altera porro conjectura, ex eo praecipue elicitur, quia cum testator rem legatam libere, et ab-
6. solute non vendiderit, sed cum pacto redimendi, sicque in ipso actu venditionis cogitaverit de ejus redemptione, verisimile propterea non videtur, quod voluntatem mutare, et modo praedicto vendendo, legatum revocare voluerit, ut clare de se patet, et bene ponderat *Menoch. cons.* 254. *n.* 19., *et de praesum. lib.* 5. *praesum.* 167. *n.* 25.

ARGUMENTUM.

Uxor post mortem viri habet optionem agendi, vel contra ejus haeredes, vel contra emptorem, et possessorem fundi dotalis a marito venditi, si fundus dotalis traditus fuit inaestimatus, quin imo actione utili, et in subsidium contra d. tertium possessorem agere potest etiam si fundus traditus fuerit aestimatus.

SUMMARIUM.

1. *Uxor post mortem viri qui fundum dotalem vendidit habet actionem contra ejus haeredes, et contra tertios possessores.*
2. *Quando dos fuit aestimata, eastimatione faciente emptionem, et venditionem, tunc agi non po-*

test contra tertios possessores rei, sic in dotem datae, sed contra haeredes viri pro ejus aestimatione.

3. *Ubi maritus de tempore factae aestimationis non est solvendo, nec post ejus mortem aliqua bona relinquit, tunc aestimatio dotis non facit emptionem, et venditionem.*

4. *Supposita traditione dotis, ea aestimatione faciente emptionem, et venditionem, adhuc uxor actione utili, et in subsidium agere potest contra tertios possessores rerum in dotem viro traditarum.*

5. *Hocque adeo verum est, quod viduae, facta excussione adversus haeredes mariti, obtinere debent contra omnes alios creditores.*

6. *Haec tamen excussio superflua videtur, quando constat maritum nihil reliquisse, et ejus haereditatem non esse solvendo.*

CONSULT. LVI.

Est exaudienda Domina Lucia de Lucarinis super omnibus capitibus in petitione alias pro ejus parte porrecta expositis, et signanter super ab ipsa desiderata vendicatione fundi dotalis, per ejus virum, dum in humanis agebat, venditi, quoniam, ut nuper dixi, cum agatur in praedicto casu de fundo dotali a viro distracto, ac alienato, consentiunt, concluduntque juristae utique licitum esse mulieri post mortem viri, vel a-
1. ctiones suas dirigere contra ejus haeredes pro consecutione pretii, vel contra tertios possessores pro vendicatione rei suae dotalis, ut multis sub silentio omissis, qui possent hic cumulari ad solum finem implendi chartas, cum sit conclusio trita, docet late *Bersan. de Viduis cap.* 2. *quaest.* 14. *n.* 1. *et seq.*

Hoc autem fundamento sic jacto, inani procul dubio torquentur labore Domini Adversarii in eo proponendo objecto, quod scilicet etsi in se verissima sit propositio superius firmata, tamen juxta communem doctorum sensum recte non procedat, quoties, prout in praedicto casu, res tradita in dotem in actu traditionis fuit aestimata, ea aestimatione faciente emptionem,
2. et venditionem, sicuti etiam quando praecedente pacto de re modo praedicto aestimanda, deinde subsequitur aestimatio, ea ratione, quia in hujusmodi casibus cum ob venditionem ex dicta aestimatione resultantem, rei dominium in virum transeat, propterea res vere non dicitur dotalis, atque adeo soluto matrimonio nequaquam ea est reddenda uxori, sed solum ejus aestimatio, ut pulchre notat, et explicat *Rot. decis.* 52. *n.* 2., *et seq. part.* 6. *rec. aliisque congestis firmat de Angelis de impens. et meliorat. dotal. art.* 3. *n.* 18. quinimo, et hoc admittit Bersanus quoque loco superius citato. Etenim pro eliminatione hujus objecti est serio adnotandum, quod licet citra veri praejudicium in-

ficiari nequeat, quin praedictus
fundus in dotem traditus in a-
ctu traditionis fuerit aestimatus,
quia tamen verum non est, quod
sub praefata aestimatione in d.
casu latere dicatur contractus
emptionis, et venditionis, ideo
ex hoc fundamento nil prorsus
consequi potest pars adversa,
quod ad ejus intentionem con-
ferat; quod autem sub aesti-
matione praedicta neutiquam la-
tere dicatur contractus emptio-
nis, et venditionis, haec veri-
tas ex eo praecipue in propo-
sito resultat, quia scilicet, ut
concludenter probatum fuisse
mihi supponitur, maritus de
tempore factae aestimationis ni-
3. hil possidebat, et non erat sol-
vendo, quinimo nec post e-
jus mortem aliqua bona reli-
quit, ex quibus ejus uxori sa-
tisfieri possit, qua re sic se ha-
bente, omnis utique suadet ra-
tio, et commune D. D. con-
sortium est, quod dicta aesti-
matio non faciat emptionem,
et venditionem, ut in termi-
nis notat *De Angelis de im-
pens.*, *et meliorat. dotal. art.*
3. *n.* 28. *ubi allegat Ferentill.
ad Buratt. Ricc. collect. alios-
que penes eum videndos*; quam-
vis ad partes etiam posita dispu-
tatione aestimationis facientis
emptionem, et venditionem, aut
non, quoties constat maritum
de tempore soluti matrimonii
nihil reliquisse, unde mulier
rerum dotalium aestimationem
consequi possit, certum tunc u-
tique est uxori nequaquam ve-
4. titum esse actione utili in subsi-
dium agere contra tertios pos-
sessores pro recuperatione rei
ejus viro in dotem datae, quan-
tumvis supponeremus eam in
actu traditionis fuisse aestima-
tam aestimatione, ut dicitur
faciente emptionem, et vendi-
tionem, ut bene animadvertit
Bersan. de Viduis d. cap. 4.
quaest. 14. *n.* 6. 7., *et seq.* ubi
licet subdat, quod in hujusmo-
di casibus viduae facta excus-
5. sione adversus haeredes mari-
ti, obtinere debent adversus
omnes alios creditores, haec
tamen excussio superflua, et in-
utilis in nostro casu indubi-
tanter fuisset, attentis praeser-
tim concludentibus probationi-
bus datis circa insufficientiam,
et non solubilitatem viri, seu
6. ejus haereditatis, ex quibus
cum clare constet, quod uxor
praedicta oleum, operamque
perdidisset in excutiendis bo-
nis mariti, ideo, ut dixi, est
concludendum omissionem prae-
dictae excussionis in nihilum
officere, et probationes praedi-
ctas in ejus locum succedere
ex vulgatis.

ARGUMENTUM.

Quaeritur, an praesens venditio-
ni rei propriae, et non con-
tradicens sibi praejudicet, et
agitur etiam de venditione rei
alienae.

SUMMARIUM.

1. *Praesens, et non contradicens, dum poterat contradicere sibi praejudicat.*
2. *Contrarium tamen alii sustinent.*
3. *Praesens venditioni rei propriae, et non contradicens sibi non praejudicat.*
4. *Praesens venditioni rei propriae actum illum impedire non potest.*
5. *Venditio rei alienae fieri non potest ad praejudicium domini, qui agere potest primo contra rem, deinde in subsidium contra pretium.*
6. *Dominus rem suam evincere potest, etiam si emptor bona fide emisset.*
7. *Venditio facta a non domino, si postea efficiatur, dominus valet.*
8. *Venditio tamen praedicta inter ipsos contrahentes valet, ita ut qui bona fide emit agere possit contra venditorem pro restitutione pretii, et ad damna, et interesse.*
9. *Vendens rem cum reservatione dominii, si deinde illius venditioni praesens inveniatur, sibi non praejudicat.*
10. *Ubi constat aliquem ad contractum accessisse, non animo consentiendi, sed ad alium finem, sibi non praejudicat.*
11. *Et adducuntur hanc propositionem multifariam exemplificantes.*
12. *Praesens, et non contradicens, sibi praejudicat, quando ultra praesentiam concurrit aliquis actus positivus, vel ubi agitur de favore religionis, piae causae, etc., vel quando qui praesens fuit tenebatur consentire, vel quando venditor rem alienam tanquam propriam vendit, et dominus praesens tacet.*

CONSULT. LVII.

Licet ardua, et acerba inter
Juristas sit disputatio utrum
praesens, et tacens habeatur
pro consentiente, et sibi prae-
judicet, nec ne, dicentibus cir-
ca hujusmodi punctum nonnul-
1. lis praesentem, et non contra-
dicentem dum poterat contra-
dicere utique sibi praejudicare,
ut sustinet *Cyriac. contr.* 425.
n. 77. ubi testatur hanc esse
communiorem sententiam; aliis
vero ajentibus praesentem, et
non contradicentem, nequa-
2. quam sibi praejudicare, cum
ex sola praesentia cum tacitur-
nitate in praejudicialibus non
bene arguatur consensus, nisi
accedat aliquis actus positivus,
ut notat *Merl. de pign. lib.* 4.
tit. 3. *quaest.* 109. *n.* 51. *Michalor. de frat. part.* 3. *cap.* 43.
n. 6. His tamen in nihilum ob-
stantibus omnem censeo cessa-
re dissidentiam in casu, qui
nunc controvertitur inter Do-
minum Romulum de Albergot-
tis, et Franciscum de Guiduciis,
quoniam cum, ut partes asse-
runt, et exponunt, in eo aga-
tur de contractu emptionis, et
venditionis inter dictum Domi-
num Romulum emptorem, et
Albertum Ceconum venditorem
celebrato, adhibito pro teste

dicto Francisco de Guiduciis rei venditae domino, tutum propterea pro meo judicio undequaque est assertum, quod in hujusmodi hypothesi praesen-
3. tia, et taciturnitas nequaquam in aliquo praejudicare valeat, sed quod emptor utique sibi imputare debeat, si antequam ad emendum accessit necessarias diligentias in se informando omisit, et ad hanc firmandam propositionem ea praecipue moveor ratione, quia cum certum, et indubitatum sit praesentem venditioni rei propriae
4. nequaquam contradicere, nec hujusmodi actum impedire posse, etiam si vellet, sequitur ideo, per consequens necessarium, quod sibi in aliquo praejudicare non debeat, etiam admissa sententia illorum, qui sustinent, praesentem, et non contradicentem, dum poterat contradicere sibi praejudicare.

Quod autem ut nunc fuit dictum praesens venditioni rei propriae nequaquam contradicere, et actum illum impedire valeat, manifeste convincitur haec veritas ex illa trita, et nimis nota juris conclusione, qua scilicet concluditur, quod etsi venditio rei alienae fieri non pos-
5. sit ad praejudicium domini, ita ut dominus agere primo valeat contra rem venditam, et deinde in subsidium actionem habeat contra pretium ex re vendita retractum, ut docet *Ursell. conclus.* 88. *n.* 17. *cum ibi congest. Salgad. Labyr. Cred. part.* 2. *cap.* 9. *n.* 75., *et* 80. ubi ait quod dominus rem suam libere evincere, et ven-
6. dicare potest, etiam si emptor bona fide emisset, quando n. vendens non est dominus, non potest dominium, quod non habet in emptorem transferre, et a contrario sensu arguendo conferunt tradita per *Urceol decis. flor.* 8. *n.* 6. *et seq.* ubi ait, quod alienatio facta a non do-
7. mino, si postea efficiatur dominus valet, et per dominii supervenientiam confirmatur, quoniam jus superveniens in personam auctoris, potens est confirmare jus in persona emptoris possessoris; etsi, inquam, in his casibus certum sit venditionem non valere ad praejudicium domini, hoc tamen procul dubio non procedit quoad ipsos contrahentes, in-
8. ter quos venditio praedicta valet, ita ut emptor, qui bona fide ad emendum accessit agere possit contra venditorem pro restitutione pretii, nec non ad damna, et interesse, ut docte ostendit *Salgad. Labyr. Cred. part.* 2. *cap.* 22. *n.* 11., *et conferunt tradita per Mangil. de evict. quaest.* 31. *n.* 46. Unde si igitur verum, prout ex hactenus dictis, verissimum esse constat, quod venditio rei alienae ad praejudicium vendentis fieri potest, et valet, quomodo ideo dominus hujusmodi venditioni praesens poterit contradicere, et actum illum impedire? propthereaque his omnibus bene

perpensis in terminis emptionis, et venditionis in hanc sententiam ivit quoque *Cyriac. contr. for.* 379. *n.* 7., *et seq.*, *et contr.* 425. *n.* 79., *et* 80. ubi multos in hoc votum conspirantes allegat, quibus addo etiam *Merl. de pign. lib.* 4. *tit.* 3. *quaest.* 109. *n.* 51., *et seq.* ubi tamen loquitur in terminis venditionis rei alicui hypothecatae, subdens propterea, quod
9. vendens rem cum reservatione dominii, et specialis hypothecae donec pretium solvatur, si deinde praesens inveniatur illius venditioni, et taceat sibi non praejudicat; quibus porro juris determinationibus in hac nostra hypothesi eo facilius est adhaerendum, ex quo, ut ex facto colligitur, dictus Guiducius praefatae venditioni praesens fuit, uti testis, et consequenter ad alium finem, quam eidem venditioni consentiendi, constans enim jure est propositio, quod ubi constat aliquem verisimiliter ad contractum non
10. accessisse animo consentiendi, sed ad alium effectum, tunc inquam sic praesentem sibi nequaquam praejudicare, ut bene in terminis notant *Cyriac. d. contr.* 379. *n.* 20. *Michalor. de frat. par.* 3. *cap.* 43. *n.* 15., *et*
11. *seq.* ubi hanc propositionem pluribus modis exemplificat.

His autem sic praelibatis nullum porro pro meo judicio obtendunt obicem ex adverso deducta, nam tunc demum, sibi locum arrogare possent, semper scilicet, quod ultra praesentiam domini rei venditae concurreret aliquis actus, ex quo dignosceretur ipsum venditioni
12. consensisse, vel ubi ageretur de favore Religionis, piae causae, et similium, vel quando qui praesens fuit, et tacuit, tenebatur consentire, vel denique quando taciturnitas domini praesentis dolosa dici posset, veluti dum quis vendit rem alienam tanquam propriam, vel uti liberam, et dominus his omnibus praesens est, et tacet, de quibus, aliisque similibus consulere est *Michalor. de frat. part.* 3. *cap.* 43. *Merl. allegata quaest.* 109. *n.* 61., *et seq.* *quibus addo etiam Bersan. de Viduis cap.* 2. *quaest.* 5. *n.* 19. ubi loquitur in terminis vendentis rem alienam, uti propriam praesente domino, et tacente.

ARGUMENTUM.

Examinatur in hac consultatione articulus, an propter moram emptoris in re recipienda, et pretio solvendo, locus sit resolutioni contractus, et multa circa dictam moram considerantur, cum aliis, de quibus in summario.

SUMMARIUM.

1. *Contractus est nullus ubi est infectus labe verae simulationis.*
2. *Distinguitur simulatio inter licitam, et illicitam.*

3. *Quando quis induendo nomen, et personam alterius contrahit, si iste contractum ratificat, cessat omnis difficultas nullitatis contractus.*
4. *Ratificatio inducitur per solam petitionem pretii, et eo fortius per receptionem.*
5. *Inter mercatores una persona alterius negotia gerere solet, et illius nomine uti.*
6. *Data incompatibilitate actuum per necesse infertur novatio.*
7. *Illa interpraetatio est sumenda, quae actum substinet.*
8. *Sermo debet referri ad magis proxima.*
9. *Modica mora nunquam attenditur, maxime quando non est cum damno alterius irreparabili.*
10. *Morae incursus relinquitur judicis arbitrio.*
11. *Supposita interpellatione cum protestatione inadimplementi, tunc dicitur initium morae.*
12. *Quaelibet levis causa excusat a mora etiam data interpellatione.*
13. *Etiam post effluxum octiduum quis dici potest non morosus.*
14. *Et haec propositio ampliatur, et exemplificatur.*
15. *Venditor vini antequam facultatem habeat illud effundendi ob lapsum diei praefixi emptori ad illud recipiendum, alia requiritur mora incurrenda per novam interpellationem.*
16. *In venditione ad pondus, seu ad mensuram periculum est venditoris.*
17. *Ob lapsum diei mora non officit, quando non adest pactum resolutivum, maxime allegato probabili impedimento.*
18. *Supposita vera mora, adhuc illius purgatio est admittenda, ut hic explicatur.*
19. *Tempus introductum alicujus gratia, non potest contrarium effectum operari ad inducendum moram illius.*
20. *In correspectivis non attenditur id, quod unus ex contrahentibus in animo habuerit.*
21. *In mercatoribus debet exuberare bona fides.*
22. *Receptio etiam partis pretii praecludit viam allegandi contractus resolutionem.*
23. *Et ad hunc effectum traditio non requiritur, sed sufficit numeratio partis pretii.*
24. *In promissione de vendendo ob solutionem etiam non integram pretii dicitur sublata facultas resiliendi a contractu, ut hic declaratur.*
25. *Tunc permissum est venditori recedere a contractu, quando non potest consequi finem, ob quem motus est ad vendendum.*
26. *Ante sequutam rei traditionem contractus non videtur perfectus.*
27. *Emptor, vel venditor si agat pro implemento contractus, et ipse pro sui parte non impleverit, contra eum obstat talis exceptio.*
28. *Si emptor statim pretium non solvit, et de eo non fuit habita fides, an sit locus repetitioni rei venditae, vel consecutioni pretii, et quid si de eo habita sit fides, et sit contractum super re tradenda.*

29. *Contractus empt., et vend. indubitanter in hoc ultimo casu est indissolubilis etiam re non tradita, et pretio non soluto.*
30. *Contractus nominati ex defectu tantum causae finalis resolvuntur.*
31. *In contractu ultro citroque obligatorio non dicitur res integra, quando res emptori est tradita, vel solutum est pretium venditori.*
32. *Contractus venditionis consistit in re, consensu, et pretio, quod fortius inter mercatores procedit.*
33. *Qui prius est in culpa non exequuti contractus, ille dicitur morosus.*
34. *Emptor, et venditor sunt correlativi.*
35. *Emptori debentur fructus ad rationem pretii soluti.*
36. *In mercatoribus ultra sex, octo, et decem, non est excessiva taxatio interesse.*
37. *Emptor tenetur erga venditorem ad fructus, si rem, et pretium retinet.*
38. *In omni contractu compensatio sistit cursum usurarum.*
39. *Quis admitti debet ad purgandam moram ex probabili excusatione, quod judicis arbitrio remittitur.*
40. *Hoc tamen intellige modo ille, in cujus odium mora purgatur non remaneat in damno, etc.*

CONSULT. LVIII.

Seu decis. Rotae Lucen. in praeceden. Consult. pluries allegata.

Vendidit sub die 14 Junii, anni 1689. Jacobus de Grandis Commessadiensis Laelio Cases pondera tria mille aquae ardentis pro pretio lib. quinque cum dimidia pro singulo ex ponderibus recipienda, et ponderanda domi dicti de Grandis, ejusque expensis traducenda ad ripam fluminis designatam repartitim tamen tradenda; pondera nempe mille pro totum mensem Julii una cum doliis providendis per ipsum Grandis pro ponderibus 600., solvendo tamen per dictum Cases, et assumpto onere per dictum Grandis faciendi diligentias pro inveniendis doliis pro aliis ponderibus 400., quorum tamen justus valor erogandus pariter erat pér Cases: alia vero duo mille pondera, tradenda in mensibus Augusti, et Septembris, cum eodem pacto adhibendae diligentiae per Grandis pro doliis inveniendis, reficiendique eorum valorem per Cases una cum pretio aquae ardentis in actu consignationis, et ubi dictus Grandis non valuisset dicta dolia reperire, unusquisque remaneret in sua libertate: recepitque dictus Grandis pro arrha, et computo solutionis lib. 650. promittens dicto Cases providere dictam aquam ardentem suis expensis, et damno, ubi temporibus inter ipsos statutis ipse paratus non fuisset illam tradere in bonitate, et qualitate conventa, et haec sub obligatione, etc. receptis etiam per Grandis lib. 650. pro arrha, et parte pretii.

Die prima, et octava Julii rece-

pit dictus Grandis lib. 1200. repartitim pro praeparandis doliis sive ad ipsorum computum.

Defecit dictus Grandis in traditione ponderum mille intra tempus praefixum, et dilatione petita, usque sub die 13. Augusti a dicto Cases, iste illam concessit etiam majorem, modo ei consignarentur pondera 1300. ut onerariam navim mittere possit absque dispendio, et die 12. ejusdem mensis idem Grandis recepit a Cases in civitate Mantuae lib. 2500. pro parte pretii dictae aquae ardentis, convenitque, quod accederet Cases die 17. subsequentis ad recipienda dicta pondera, et solvendum residuum pretii, quod cum ommisisset dictus Cases, idem Grandis die 19. se contulit ad civitatem Mantuae ubi monito dicto Cases de habendo contractu pro resoluto, et oblata eidem restitutione dictarum lib. 2500. recusata tamen illas deposuit Grandis penes tertium.

Devenere hinc ad judicialem controversiam, in qua dictus Cases convenit dictum Grandis ad tradendum dicta tria mille pondera aquae ardentis una cum damnis expensis, et interesse.

Constructoque processu in partibus placuit illustrissimo, et excellentissimo domino Duci Sablonetae, et Principi Bozuli dictae controversiae decisionem nobis demandare, qui diligenter omnibus inspectis, et perpensis una cum jurium allegationibus, hinc inde replicando exaratis firmitatem contractus declaravimus, et alia de qua in sententia, non obstante quod duo opposuerit Grandis, nempe simulationem contractus, et ejus resolutionem.

Neutrum tamen omnino nobis visum fuit subsistere: quicquid enim nullitas contractus sit inevitabilis si infectus sit labe ve-
1. rae simulationis, quae illa est quando actus extrinsece celebratur, sed revera ex partium mente, et voluntate nihil actum intelligitur *l. nuda ff. de regul. jur. Mantica de Tacit., et ambig. lib.* 13. *tit.* 35. *n. prim. versic. tertio quando*, et n. 2. distinguatur inter licitam, et illicitam, *Cost. de retrotract. cap.* 8. *cas.* 26. *num.* 3. primae speciei non est esitan-
2. dum esse simulationem non solum de una specie contractus ad aliam *Gratian. descept. for. cap.* 321. *num.* 9., sed etiam de persona, ad personam *Cost. ubi supra num.* 3. ubi quod retrotrahatur etiam ad tempus stipulationis praeambulae *Rot. coram Merlin. decis.* 321. 423. *et* 714. *num. primo, et in recentior. decis.* 198. *num.* 1., *et seq. p.* 14., *et decis.* 54., *p.* 17. *Gratian. discept. for. cap.* 950. *num.* 46. *Sperel. decis.* 28. *num.* 5., et ex ratificatione facta per Laelium gestorum per Leonem, licet uteretur nomine ejusdem Laelii cessat difficultas excitata, seu, quae excitari potuisset ex eo quod dictus Grandis non

3. contraxisset cum Leone licet inscius cum ipso contraxerit, credens cum Laelio contrahere accedente approbatione contractus cum eodem Laelio, et persona ejusdem, ex receptione partis pretii ab eodem, et aliis, quae animadversa fuere in facto ab eruditissimo advocato Pellicano pro dictis Cases in secunda ejus allegat., ex quibus omnimodo scientia dicti Grandis eruitur, per quam inducitur legitima ratificatio, *Surd. consil.* 335. *num.* 13., *et consil.* 576. *num.* 24. *Rot. coram Cavaler. decis.* 276. *n.* 4. et etiam si aliqua nullitas potuisset considerari, per solam petitionem
4. pretii, et multo magis per receptionem ratificatio inducitur, *Sabell. in Sum. tract.* §. *ratificatio num.* 17. *ubi pulchre congerit.*

Nec novum est, et inusitatum inter mercatores, quod una per-
5. sona negotia gerat alterius, et illius nomine, non autem proprio utatur, etiam in subscribendo *Magon. decis. Lucens. prima num.* 27. *Sabell. in summa* §. *simulatio num.* 2. *versic.*, *item licita est.*

Nec magis urgere videbatur alterum obex ex doctissime adductis per celeberrimum dominum Bondenum pro dicto Grandis ad demonstrandam resolutionem contractus ex culpa dictorum Cases, et ea duplici nitebantur fundamento: alterum super facultate utrique parti reservata recedendi a contractu ubi dolia reperiri non potuissent ex illis verbis scripturae, ibi (*caso che detto sig. Grandi non potesse ritrovare le botti bisognevoli s' intenderà ognuno in libertà*); alterum vero super mora, et in adimplemento dictorum Cases tum in accedendo die 17. Augusti ad recipiendam dictam aquam ardentem, tum in non solvendo pretium.

Quo enim ad primum tolli videtur obiectum ex pluribus in facto: si enim paratus erat dictus Grandis tradere aquam ardentem, et pro morosis habuit ipsos Cases in illa recipienda cessabat intuitus doliorum non praeparatorum, et ex tot tractatibus concordatis post dictam scripturam circa ipsa dolia, pecuniis ad hunc effectum receptis ab eodem Grandis, instantia per ipsum facta dictis Cases de transmittenda calce pro ipsis doliis adaptandis patet recessisse ipsum a dicta facultate rescindendi contractum ex hac causa quatenus adhuc illa adfuisset.

Quicquid enim asseratur novationem non induci nisi expresse;
6. aut ex aequipollentibus conjecturis, data tamen incompatibilitate actuum per necesse illa infertur, *Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 134. *num.* 39. *Maur. de Fidejus. sect.* 5. *cap.* 4. *num.* 21. §. 4. *num.* 21. *Gratian. discept. for. cap.* 290. *num.* 17. *Altograd. consil.* 17. *num.* 30., *et sequent. lib. prim. Rota part.* 9. *recentior. decis.* 432. *num.* 2., *et sequent.*

Ex quibus declinatur pariter quaestio num dicta facultas respiciat tantum doliorum praeparationem juxta assumptum domini Pellicani, an vero referenda sit etiam ad contractum principaliter juxta sensum domini Bondeni, quia inverisimile esset quod simul, et semel perficiatur contractus aquae ardentis, et relinquatur arbitrium late patens ab illo recedendi ex accessorio potius quam ex defectu causae finalis ad contrahendum, quae fuit ipsa aqua ardens emenda, et vendenda, et movit contrahentes ad paciscendum *Mantic. de tacit. et ambig. lib.* 3. *tit.* 12. *num.*, et alii plurimi, qui allegari possent, ita ut neque pro impulsiva habuimus doliorum praeparationem; ideoque etiam cessantibus superius deductis pro recessu ab ista facultate, illam coarctandam fuisse existimavimus ad ipsa dolia praeparanda, et etiam ad ipsos Cases ubi diligentiae dicti Grandis sufficientes non fuissent, quas in effectu patet ex processu confectas etiam fuisse ab ipsis Cases scienter, et non renuente
7. ipso Grandis, cum illa interpretatio sit danda, quae actum substineat, non autem infringat *Osasc. decis.* 38. *num.* 11. *Decian. consil.* 132., *lib.* 3. *n.* 21.
8. ex vi etiam sermonis, qui semper referri debet ad magis proxima *Seraph. decis.* 1290. *n.* 6. *Barth. consil. unic. post dec. num.* 94. *Rota coram Lodovis.*, *decis.* 33. *num.* 3. *et decis.* 455. *num.* 13. *post resolut.* 61. *n.* 47.

Moram autem, et inadimplementum dictis Cases non fuisse adscribenda putavimus, ut inde liceret dicto Grandis poenitere invitis ipsis.

Prius enim firmandum erat moram intercessisse, et successive illa sequuta licuisse venditori poenitere reluctantibus emptoribus.

Lapsus enim unius diei aut bidui in non accedendo ad levandam
9. dictam aquam ardentem non operatur talem moram, ut desides, ac contraventores dici possint dicti Cases, et rei inadimplemento quia modica mora nunquam attenditur maxime quando non est cum damno alterius irreparabili *l. quoties, C. de precib. Imperat. offeren. l. debitoris ff. de Judic. Cost. de reintegr. distinct.* 86. *n.* 11. *et* 12. ubi non dicitur morosus, qui differt absque partis praejudicio; ideoque morae incursus relinquitur ar-
10. bitrio Judicis *Menoch. de arbitrar. Jud., cas.* 220, *num.* 23. *Cyriac. controvers.* 474. *num.* 47. *et est text. apertu. in leg. Mora ff. de Usur. D. Mans. consultat.* 58. *num.* 58. *tom. prim.*, et ubi etiam interpellati fuissent dicti Cases sub protestatione inadimplementi, adhuc initium morae
11. dicti deberet, non vero mora *Rota d.* 640. *num.* 2. *part.* 4. *recentior. D. Mans. ubi supra num.* 66. data enim etiam justa interpellatione quaelibet le-
12. vis causa excusat a mora *Spe-*

Alia pulchra de mora vide apud *Rosa consult.* 68. *n.* 22., *et seq.*

rell. decis. 40. *num.* 69, *et seq. cum pluribus deductis a dicto D. Mans. ubi supra* 54. caute igi-
13. tur judices se gerunt in declarando incursum morae ob lapsum temporis, quia etiam post effluxum octiduum, quis posset dici non morosus *ex allegatis per D. Pellicanum in prima allegat.* immo in decurs. 27. dierum ad mentem Rotae in
14. fortioribus terminis litterarum cambii post earum acceptationem non habitus fuit mercator pro moroso in non exigendo litteras ut coram *Burat. decis.* 486. *num.* 5., *et decis.* 213. *part.* 16. *recentior.* confert Textus in *l. prima ff. de peric., et commod. rei emptae*, ubi antequam venditor vini facultatem habeat post moram incursam per lapsum diei praefixi emptori ad illud tollendum, vinum effundendi
15. alia requiritur mora incurrenda per novam interpellationem, et adhuc sobrie uti hac facultate monet text. ubi Anton. Fab. notat, quo ad mensuram sufficere praefinitionem diei, quo vero ad effusionem ultra diei lapsum necesse est, quod denuntietur emptori quod, vel tollat vinum, vel sciat futurum, quod effundatur.

Et quamvis de dicto Grandis non esset praesumenda haec jactura, sufficit tamen quoad resolutionem contractus evitandam moram, nec interpellationem interfuisse specifice sub hac comminatione, aut sine ipsius damno illam purgari potuisse, quod agnovere ipsi Cases, dum bonam fidem secuti se obtulerunt stare simplici assertione dicti Grandis sub diminutione ejusdem aquae ardentis recedentes in hoc a rigore juris sta-
16. tuentis in venditione rei ad pondus, seu ad mensuram ante mensurationem, et ponderationem periculum spectare ad venditorem *l. p. versic. priusquam enim admetiatur vinum quasi nondum venit ff. de peric., et commod. rei venditae l.* 5. *ibidem*, *et in l. prima C. eodem.*

Ulterius mora non officit, quia non aderat pactum resolutivum ex
17. lapsu diei, ut ex pluribus congestis per *D. Saminiat. controvers.* 81. *num.* 42., *et decis. Rotae Lucens. num.* 34. quae est ibidem *controvers.* 82. maxime quia ad novam actionem non anhelabant Judaei evitantes simpliciter obiectum eisdem factum morae incursae, et allegato probabili impedimento ex casu fortuito *Mantic. decis.* 270 *n.* 12. *dicta decis. Lucen. n.* 32.

Et si etiam in vera mora fuissent dicti Haebrei, adhuc ad purgationem illius fuissent admitten-
18. di *Gratian. discept. forens. cap.* 658. *num.* 24. *cap.* 842. *n.* 26. *Scanarol. de visit. carcerat. lib.* 3. *cap.* 5. *ubi plura*, et hoc suadere visum fuit aequitatem, quæ etiam in Haebreis est adhibenda *Scanarol. ubi supra Sabell. in Summa §. Judaeus num. primo versic. quod gaudeant*, qui plures alios adducit concordantes: Si enim a tempore limitato ad

exequendum contractus partem
ad favorem dicti Grandis reces-
sere Haebrei, verisimile pariter
est, quod ipsi opinari potue-
rint sibi fuisse prorogatum tem-
pus ad illos reddendos moro-
19. sos, statim illo elapso: dum
tempus introductum alicujus
gratia non potest contrarium
effectum operari ad inducen-
dam moram illius *l. si*, *et per
Emptorem §. quod si fundum ff.
de act. empt. Jason. in l. si ex
legati causa num.* 14. *ff. de ver-
bor. obligat.* Et licet habere po-
tuerit in animo dictus Grandis,
quod pro resoluto haberetur
contractus elapso dicto die, in
correspectivis tamen non est
curandum, id quod unus ex
20. contrahentibus in animo ha-
buerit, nisi alteri contrahenti
communicetur, et innotescat *de
Luc. de empt., et vend. discurs.*
4. *num.* 8. *ubi alios adducit* vul-
gatum enim satis est, quod in
mercatoribus debet exuberare
bona fides, et a circumventio-
21. ne debent iidem abhorrere
Adden. ad decis. 16. *p.* 8. *recen-
tior. num.* 120., *et* 121., *eadem
Rota decis.* 229. *num.* 10. *part.*
6. *recentior.*

Respectu autem non adimplemen-
ti, quod est secundum assum-
ptum ad substinendam resolu-
tionem contractus non erat il-
lud objiciendum dictis Cases,
tum quia de ipsorum reniten-
tia non constat, sive respicia-
tur accessus ad tollendam a-
quam ardentem, sive solutio
22. integralis pretii, cujus partem
dum recepit Grandis, contra-
ctus resolutionem, non poterit
allegare, *Magon. decis. Lucens.*
17. *num.* 16., *et* 17. *ubi addu-
cit. Cravett. consil.* 106. *Alto-
grad. dicto consilio* 9. *ad favo-
rem dicti Grandis Allegato num.*
11. *Urceol. consult. forens. cap.*
5. *num.* 33., *et* 34. ubi quod
redditur irrevocabilis ex lite
contractus, et alii concordan-
tes *ibidem Rota coram Ceno. de-
cis.* 687. ubi traditionem non
23. requiri, sed sufficere nume-
rationem partis pretii *eadem
Rot. decis.* 183. *p.* 9. *recentior.
num.* 18., *et decis.* 616. *num.*
11. *par.* 5. quae solutio etiam
non integra pretii, tantae est
efficaciae ut etiam in simplici
promissione de vendendo in qua
traditio inspecta dici non po-
test, sublata sit facultas resi-
24. liendi a contractu, si non
adsit limitatio temporis ad ven-
dendum *ut in addit. ad decis.*
523. *coram Pamphilio sub. num.*
17., et ratio est satis aperta,
ex causa nempe finali hujus
contractus, quae in venditore
est, ut pretium recipiat *Alto-
grad. consil. prim. tom. prim.
num.* 3., *et num.* 7. *Ferentil. ad
decis. Buratt.* 646. *num.* 29., *et
sequentibus ubi plures. Rot. decis.*
676. *part.* 2. *recentior. num.* 2.
subdens tunc permitti venditori
recedere a venditione quando
non potest consequi finem, pro-
25. pter quem motus fuit ad ven-
dendum, ut num. 6. ibidem,
ne careat re, et pretio, immo
sufficit consequutio interesse ex

Textu in L. Bona fides ff. de actio empt. et num. 9. quando enim quis illud solvit satis adimplere dicitur *Rota coram Cavaler. decis.* 217. *num.* 6.

Hinc tolluntur ea, quae subtiliter non minus, quam docte adducit D. Bonden. circa resolutionem contractus, quando non
26. est sequuta traditio rei venditae quasi non dicatur perfectus ante executionem *ex Becc. consil.* 45. *num.* 35., *et* 36. ubi hoc incidenter firmat prout etiam ex *Altograd. dicto consil.* 9. *num.* 24., ubi ex non solutione pretii non habebatur res pro tradita, quia ex diversitate facti utrinque considerabili evanescit obiectum quando enim non est sequuta traditio non tenetur adimplere emptor si conveniatur a venditore, qui
27. excipiendo potest opponere de inadimplemento venditoris, quod etiam in venditore est statuendum, si agat emptor ad rem venditam, et pretium non solverit *adden. ad Lodovis. decis.* 130. *num.* 5. et hoc non admittit esitationem, et ita consulebat *Beccius* prout omnes alii sunt intelligendi, qui in his terminis allegari possunt: prout etiam si emptor non habita fide de pretio statim illud non solvit, remanet locus controversiae an sit locus repetitioni rei venditae, aut consecutioni pretii, et in hac facti
28. specie scribebat *Altograd.* In nostra autem hypothesi tam emptor, quam venditor sequuti sunt ad invicem bonam fidem contrahendo super re tradenda, et pretio solvendo, qua ita data circa pretium non inficiatur *Altograd. num.* 5. ibidem contractum esse perfectum.

Redimus enim ad principia Juris statuentia indissolubilem esse contractum emptionis, et venditionis etiam non tradita re, et non soluto pretio, *ut ex Textu in §. aliae autem Instit. de Donat., et aliis juribus, et auctoribus late, comprobat, et exornat Altograd. consil.* 45. *num.* 49. 50., *et* 51., *et consil.* 90. *n.* 20. *lib.* 2., *et antea dixerat in consil. prim. lib. primo, et*
30. ex causae finalis defectum tantum resolvi contractus nominatos *ultra Ludovis. dicta decis.* 130. *n.* 4. *et Adden. ibidem n.* 6. plures alii possent cumulari in conclusione factis vulgata pro ut etiam in contractu
31. isto ultro citroque obligatorio non dici rem integram, quando aut res emptori sit tradita, aut solutum sit pretium *ut ex l. prim. l. secunda C. quando liceat ab emptione, disced. scribi Arnold. Corvin. in summar. C. dicto tit.*

Mantic. autem, et alias auctoritates adductas per D. Bondenum ad suum dictum convalidandum post relatos per extensum Becc., et Altograd. non applicabiles existimavimus huic inspectioni.

Nec rei traditio inter Grandis et Haebreos poterat esse illa, quae perfectionem contractus indu-

ceret, cum in consensu, re,
32. et pretio illa consistat ex vulgatissimis Juribus, et maxime inter mercatores, qui obligantur solo pacto nudo *D. Mans. consult.* 19. *num.* 13. quod pactum rei interventum non requirit, *Bich. decis.* 500. *n.* 20. saltem antequam vestiatur, sed consumationem potius attingat, quae etiam si fuisset attendenda, non defecere Haebrei dum illi jam initium dedere, et non tenebantur, aut poterant integraliter adimplere nisi in actu traditionis aquae ardentis, qua
33. per dictum de Grandis recusata, retorquenda non est culpa in Haebreos dum pro moroso, et non adimplente est habendus ipse, qui prior est in culpa non executi contractus *Becc. dicto consil.* 45. *n.* 47. Prima enim mora seu culpa est illa quae nocet *Rota part.* 9. *recentior. decis.* 471. *n.* 23, nec talis est dicenda in ordine illa, quae attribuitur dictis Haebreis in differendo accessum, quia ultra jam adducta in dicta dilatione non consistebat principaliter adimplementum, aut defectus causae finalis, attento quod sublata non erat adhuc spes, aut possibilitas, quod posset adimpleri per emptores ut considerat *Rot. in dicta decis.* 676. ad effectum non liberandi venditorem ab observantia venditionis.

Nec diversimode interpretationem dandam esse credimus, cum e-
34. nim correlativi sint inter se emptor, et venditor *Staiban. de interesse tit.* 9. *quaest.* 2. *num.* 8. *Cagnol. in l. secunda num.* 172. *C. de rescindend. vend. Cost. de facti scien. et ignor. distict.* 35. *n.* 11. non patitur aequitas ut soluta parte pretii per emptorem sit in facultate venditoris tradere, vel non tradere rem emptam, ut contractum rescindat, vel firmet ad sui placitum sub pretextu colorato, cum remedia habeat a lege adigendi emptorem deficientem ad pretium, aut iu subsidium servatis servandis alienare rem emptam ultra consequutionem interesse, et damnorum.

Verum quia inter contrahentes damna, et interesse ratione mercaturae consideranda sunt, cum in rescripto, habito etiam intuitu ad protestationes, et petitiones super interesse, de quibus in processu nobis datur facultas judicandi etiam super connexis, et annexis causae principaliter, taxavimus ad favorem Haebreorum pro pecuniis, quas intuitu aquae ardentis, et doliorum numeraverunt dicto Grandis interesse ad ra-
35. tionem octo pro centenario, cum emptori debeantur fructus ad rationem pretii soluti, *Cost. de facti scient., et ignorat. distinct.* 32. *num.* 4. *secutus Bartol. in lege Julianus §. offerri, ff. de act. empt. Nat. consil.* 34. *num.* 10., *Cagnol. ad l. curabit num.* 2. *C. de act. empt. vend. Covar. lib.* 3. *cap.* 4. *versic. dicitur quinto*, et cum in merca-

36. toribus ultra sex, octo, et decem pro centenario non sit excessiva taxatio interesse *Gratian. cap.* 387. *num.* 26., *Surd. decis.* 327. *num.* 55. *lib.* 3. *Laurent. de Rodulph. de usur. quaest.* 12., *Socin. consil.* 88. *lib.* 4. *Corneus consil.* 221. *lib.* 2. *num.* 23. *Castrens. in l. secunda C. de Usur.* illam in Haebreis ultra sex extendendam esse ratiocinabiliter censuimus tum ratione lucri majoris quod ex foenore assuescunt recipere, et ex aliis quotidianis, et minutis negotiationibus licitis, in quibus opera, et industria junctis pecuniis solent lucri facere ut ex communiter accidentibus notorium dici potest.

Quo vero ad aliud interesse, quod liquidare potuissent respectu lucri cessantis, et damni emergentis ex non tradita dicta aqua ardenti aequum existimavimus, omnino compensandum cum interesse pretii adhuc retenti a dictis Haebreis, si enim isti caruere aqua ardenti, caruit pariter Grandis reliquatu pretii quod remansit penes illos, et sane non otiosum; callide enim illud nec obtulerunt, nec deposuerunt ut existimavimus, unde, et ne duplex lucrum percipiant ex pecunia retenta, ex re non tradita, ad-
37. aptatur trita conclusio, quod emptor non facit fructus suos rei venditae, si pretium penes se retineat *Ludovis. decis.* 247. *num. prim.*, maxime quia adhaeremus compensationi, quae in quacunque specie contractus si-
38. stit cursum usurarum, et de facili est inducenda, *Leotard. dicto tract. quaest.* 84. *num.* 9., 10., 11., 12. *ubi loquitur de emptore.*

Dilationem autem concessam dicto Grandis de praeparanda aqua ardenti intra bimestre ae-
39. quitati innixam esse habuimus, attenta purgatione morae ad quam ex probabili excusatione quis admitti debet *D. Mans. consult.* 58. *num.* 53., *et* 54. *num. prim.* ubi ex pluribus, quod debet esse inexcusabilis mora ad effectum ut quis teneatur ad interesse, quod intelligimus de rigoroso, quam purgationem dicto Grandis concedendam arbitrati sumus, dum judicis arbitrio hoc relinquitur ex jam adductis recedentes in hoc a rigore juris ad favorem ejusdem; quae tamen tunc pro-
40. cedent modo non remaneat in damno ille, in cujus odium purgatur mora, *Bich. decis.* 485. *n.* 30., dum praejudicium non est irreparabile; hoc enim casu aliud dicendum esset *idem Bich. decis.* 132. *num.* 42. Haebreorum indemnitati satis prospexisse credimus ex refectione expensarum litis, quae in judiciis damnorum appellatione continentur, *Sabell. in Summa §. damnum num.* 17., et interesse pecuniae solutae taxato etiam pro dicto bimestri. Et ita etc.

Petrus Paulus de Germanis de Lilio Auditor.
Joannes Albertus de Comitibus Auditor.
Matthaeus Luchesius Auditor.
} *Judices Appelat. Rotae Lucensis.*

ARGUMENTUM.

Resolvuntur in hoc loco difficultates, an emptio facta a patre insimul cum filio integraliter patri spectet, et an acquisitio facta a socio nomine particulari sed ex pecuniis socialibus jure communi, et pro negotio facta dicatur.

SUMMARIUM.

1. *Res empta a filio dicitur integraliter ei acquisita, etiamsi cum ejus patre acquisiverit, si ipse filius pretium exbursavit, et ut hic declaratur.*
2. *Vera est in se propositio, quod emptio facta a patre insimul cum filio integraliter patri spectat.*
3. *Haec tamen propositio non procedit quando filius alia bona habet praeter substantiam paternam, veluti quando gaudet commodo alicujus fideicommissi, ut hic, vel est mercator, industriosus, etc.*
4. *Filius qui gaudet commodo fructuum fideicommissi, quos ex praecepto testatoris investire debet, si aliquam acquisitionem expleat cum dd. fructibus, ea censetur pro fideicommisso facta, etiamsi ab alia persona deinde reimbursetur de pretio exsoluto.*
5. *Pertinentia pecuniarum licet regulariter tribuat jus crediti, non autem dominii, hoc tamen fallit in socio acquirente ex pecunia sociali, quia tunc acquisitio etiam nomine particulari stipulata, dicitur facta pro negotio.*
6. *Et haec conclusio eo fortius procedit, quando ex partitis librorum, aliisque adnotationibus, constat acquirentem voluisse pro negotio, et jure communi acquirere.*
7. *Et iterum eo libentius est amplectenda ubi acquirens usus fuit pecunia sociali etc.*

CONSULT. LIX.

Seu decis. Sac. Rot. Rom. in praecedentibus consult. allegat.

R. P. D. URSINO

Bonon. fideicommissi de Bavosiis.
Mercurii 19. *Januarii* 1695.

Cum in ultimo, sub quo decesserat elogio Joannes Bavosius, instituta haerede usufructuaria Hippolyta uxore, demandasset omne superextan. ex fructibus suae haereditatis, demptis quibusdam annuis praestationibus spatio duodenii investiri ad commodum fideicommissi, quod in ipsis investimentis sic ordinatis instituere proponebat, onus hoc post Hippolytae decessum, ac etiam antea per voluntariam administrationis dimissionem ab ea gestam, transivit ex lege testamenti in Vincentium Bavosium, qui spatio duodenii re fideicommissaria ministrata subinde in socium assumpsit Hieronymum fratrem, cui intuitu agnationis conservandae (cum sobolem mascu-

linam non haberet, sed unicam tantum foeminam nomine Lauram jam nuptam de anno 1629. cuidam Roffeno cum dote lib. 3om.) donatione, quae dicitur inter vivos, medietatem propriorum bonorum elargitus est, ac ulterius praeventiva bona fideicommissaria restituit cum consuetis clausulis constituti in eadem donatione appositis, quam tamen non simpliciter acceptavit Hieronymus sed sciens Vincentium defecisse in investimentis a fideicommittente demandatis, declaravit bona Vincentii donantis velle primo loco possidere titulo, et jure fideicommissi Bavosii, et, si quid superesset, potiri titulo donationis sub hac limitatione, et cautela acceptatae *Sum. Actorum primae propositionis num.* 1.

Cum autem adversus hanc declarationem insurrexisset Laura Vincentii filia, contendens patrimonium patris satis pingue, et opulentum sibi pro medietate titulo intestatae successionis deferri debere, hinc excitata fuit super statu haereditario Vincentii judicialis contentio, quae primitus initiata in partibus, confectisque inventariis, ac tribus electis peritis ad formandum statum, subinde in dubio manutentionis ad nostrum auditorium delata fuit coram bon. me. Buccabella, et post ad clar. me. Cardinalem Cerrum in illius locum suffectum, coram quo bis Rota respondit, constare de bono jure Hieronymi ad effectum manutentionis, ut ex decisionibus inter illius impressas la 33., et 52. in quibus firmato, Vincentium debitorem esse fideicommissi in conspicua summa, pro qua ejus bona libera non suppetebant, merito bonum jus Hieronymi haeredis fideicommissarii canonizzabatur, ut deinde declaratum fuit in definitiva sententia ad formam decisionum prolata, in qua constare de bono jure Hieronymi pronunciatum extitit, quod omnia, et singula alia bona, et jura comprehensa in inventariis compilatis de ordine arbitrorum, et de partium consensu post obitum Vincentii, ac in relatione tertii periti, ut lectura sententiae praesefert exhibitae in citato *Sum. num.* 2.

Confirmatum fuit judicatum Cardinalis Cerri in gradu appellationis coram Ghislerio, ac successive expeditum mandatum de manutenendo, cujus vigore coepit Hieronymus possessionem tam bonorum fideicommissi, quam aliorum corporum, super quibus hodie contenditur, ut in praedicto *Sum. num.* 3 iterumque provocante Laura in devolutivo, commissaque causa Cardinali Verospio, coram isto Rota respondit, sententias Rotales reformandas esse quo ad medietatem capitalium; sed non expectata decisione, nec ulterius prosequuta causa consultius partes crediderunt ad

transactionem devenire, in qua, extrajudicialiter adhibito Vincentio Rivano quarto perito de communi partium consensu electo, iste tres status, sive tria computa efformavit alterum juxta sensum decisionum Cerri, et Ghislerii, et in hoc affirmat. *Quando si dovesse soddisfare al fideicommisso secondo il primo stato, che è di lire* 312*m. con li sopradetti effetti dello stato del sig. Vincenzo, che è di lire* 227*m. resterà in tal caso debitore lo stato del sig. Vincenzo al fideicommisso di lire* 84*m.* Secundum computum regulavit juxta primam praetensionem Laurae, quae credebat, utilia artis sericae, et aromatariae non esse reinvestienda, licet contrarium semper nostrum tribunal responderit tam coram Cerro, quam penes Ghislerium, et juxta hunc calculum Vincentii statum debitorem adhuc fecit in lib. 21m. Tertium denique calculum efformavit cum supposito, quod spatio duodenii Vincentius teneretur tantum reinvestire annua scuta 1000 quam tamen praetensionem in antedictis decisionibus Rota semper rejecit, ut videre est in *decis.* 33. *num.* 11. *vers. minus, et secundo, et decis.* 52. *num.* 10. *vers. quod autem, coram Cerro*, et ad istius computi normam concludit Peritus, superesse (detracto debito) ex asse haereditario Vincentii lib. 20m. aequaliter inter Hieronymum donatarium, et Lauram haeredem dividendas.

Hoc autem ultimo statu minime considerato, nec expectata relatione Arbitrorum, qui electi fuerant ad controversiae decisionem, Laura dimisit Hieronymo uti creditori ex titulo fideicommissi omnia bona haereditaria Vincentii patris, quorum possessioni jamdudum inhaerebat vigore mandati Rotalis, contenta sola reservatione lib. 80, menstruatim solvendarum ejus vita naturali durante, ut clare transactio edocet per extensum hodie, et in prima propositione exhibita.

Ad transactionis limites continuavit Hieronymus bona fideicommissi detinere, donec post illius decessum aperta successione ad commodum Thomae, et Francisci Mariae pariter de Bavosiis, ac altero istorum vita functo; altero vero ob alienationes factas in caducitatem a testatore comminatam incurso, Vincentius Maria, aliique hodierni actores coram me immissionem obtinuerunt adversus creditores Hieronymi Bavosii universa bona fideicommissi occupantis, praeviis duabus decisionibus emanatis die Ven. 16. Junii 1690., et lunae 12. Martii 1692. in quarum prima cum nostrum tribunal, ut particulariter videretur de corporum fideicommissariorum identitate demandasset in illius rescripti sequelam usque sub die 6. Februarii anni elapsi, Dominis proposui dubium. (An, et de quorum bonorum identitate con-

stet? quod tunc non resolutum ob informitatem probationum, quae adducebantur, quasque proinde coadjuvari hinc inde demandarunt, cum extractione partitarum citata parte, et citatione aliorum possessorum, hodie, his omnibus adimpletis, in nova repropositione affirmativam sortitum est resolutionem) *constare de identitate bonorum.*

Siquidem cum ex proposita facti specie constiterit bona omnia Vincentii fideicommisso appropriandam fore, et appropriata fuisse tam a sententiis Rotalibus, quam positive ab ipsomet Hieronymo transigente cum Laura nepte, juxta superius narrata in necessarium sequitur consequens, constare de identitate bonorum in communi tribus existentium, et aromatariae ad insigne pomi aurei, cum omnia probentur a Vincentio acquisita, sicque cadentia sub reintegratione fideicommisso debita, et obtenta a Hieronymo in Judicio substentato cum legitimo contradictore, quod afficit, et facit statum etiam adversus creditores non citatos, uti habentes jus secundarium, et consequutivum ad notum *Text. in l. ingenuum de stat. hom.* in his praecisis terminis sequutum *a Rot. in Firmana Censuum* 11. *Decembris* 1793. *§. minus obstat coram R. P. D. meo Priolo.*

Non relevante, quod in relatione Rivani quarti Periti adhibita in transactione confecta juxta ultimum calculum, detracto debito, bona libera Vincentii ascendunt ad lib. 20. m. Nam hoc computum, uti erroneum, ac efformatum tantum juxta praetensiones minus subsistentes Laurae, non fuit a partibus observatum, sed ad sensum nostri auditorii firmatum in decisionibus, et sententiis Cerri, et Ghislerii omnia bona Vincentii, uti debita fideicommisso illi appropriata extiterunt, et solae librae 80. menstruae fuerunt Laurae ad vitam reservatae. Unde ex facto partium liquido constat, ultimum Rivani calculum fuisse pro minus legali agnitum, nec ad illius tramites regulatam transactionem, sed contrario prorsus themate, univoco tamen judicatis, et decisionibus nostri auditoris processum fuisse.

Hoc praehabito, descendendo ad particularem inspectionem uniuscujuscumque ex corporibus, quae cadunt sub hodierna controversia, liquet omnia fuisse a Vincentio acquisita, nam primum praedium emptum ab e-
1. xecutoribus testamentariis Dorotheae Laurae Cavatiae ostenditur quaesitum a Vincentio mediante publico instrumento emptionis, in quo licet cum Thoma patre acquirere dicatur, cum tamen subinde solutio pretii fuerit a Vincentio peracta, ut ex publico documento in hodierno *Sum. Actorum nu.* 1. ac in illius sequelam integra praedii possessio in Vincentio pertransierit, et ipsius haere-

ditatis dominium relatum fuerit a Bosio tertio perito juxta relationem approbatam a Rota in decisionibus saepius laudatis Cardinalis Cerri, comprobatur quod fuerit integraliter acquisitum a Vincentio, et fideicommisso suppositum ad ea, quae in his terminis tradit *Rot. in Spoletana Donationis, seu fideicommissi* 20. *Februarii* 1693. *§. final. coram Reverendissimo Decano, et in Senogallien. seu Auximana fideicommissi* 12. *Junii ejusdem anni §. alteram praestabat coram R. P. D. meo Caprara.*

Licet namque vera sit in suis terminis propositio acquisitionem,
2. sive emptionem factam a patre insimul cum filio integraliter patri spectare ad theoricam textus *in leg.* 2. *ibique gloss. C. de Patr. potest. decis. Patau.* 25. *nu.* 1. *et* 2. (*) Haec tamen procedit, quoties filius non habet alia bona praeter substantiam paternam, quibus acquisitionem explere valeat, secus, quando
3. ut in themate, potitur commodo fructuum fideicommissi, quos ex praecepto testatoris reinvestire tenetur, et effective illis utitur in emptione, et solutione pretii rei emptae, nam tunc praeciso usufructu, qui patri pertineat, dominium filio spectat, ut in consimilibus terminis filii industriosi, et mercatoris docuit *Rota decis.* 926. *num.* 1. *per tot.* ubi concordantes *coram Merlin.*

Parumque refert, Thomam patrem ex post reimbursasse Vin-
4. centium de pretio exsoluto; nam expleta acquisitione illico ea censetur in causam investimenti pro fideicommisso facta ad sensum Rotae coram Cerro *decis.* 33. *num.* 2. *et decis.* 57. *num.* 7., *et* 8., *et decis.* 42. *num.* 3., *et seq. part.* 16. *recent.* et in *Pedemontana, seu Albanen. bonorum* 15. *Junii* 1683. *§. reliqua, et* 9. *Septembris* 1686. *§. Si quando coram me, et in Anconitana Dotis* 11. *Decembris.* 1693. *§. Ex pluribus etenim, coram Reverendissimo Decano.* Unde in praejudicium Jurium fideicommissariorum subsequuta reimbursatio non alterat primaevam acquisitionem: nec illam immutat, potissimum concurrente observantia in Hieronymo auctore creditorum, qui obtinuit in sententia Cerri praedium hoc pro fideicommisso declarari, ac in judicati sequelam possessionem etiam apprehendit.

Clarius autem convincuntur pro Vincentio acquisita, ac in consequens pro fideicommisso, alia quatuor corpora in communi tribus posita, quia etiam si emptiones recenseantur a solo Hieronymo factae, cum tamen constet pretium exsolutum fuisse ex pecuniis negotii Aromatariae ad pomum aureum prius ad solum Vincentium, deinde socia-
5. li nomine ad Hieronymum etiam spectantis, non est ambigendum rei dominium specialiter quoque acquisitum fuisse, quia etsi pertinentia pecunia-

(*) Circa hanc conclusionem alia videat Lector *in decis.* 403 *par.* 13. *et decis.* 24. *par.* 14. *rec.*

rum tribuat jus crediti, non dominii, hoc tamen non militat in socio acquirente cum pecunia sociali, et communi, quia tunc acquisitio etiam particulari nomine stipulata dicitur facta pro negotio, et jure communi, ad theoricam *Bartol. in l. Si Patronus num.* 5. *C. Comm. utriusque Jur. Hector. Felic. de societ. cap.* 3. *num.* 45. *ad* 48. *Gratian. discept.* 852. *num.* 43. *Rota decis.* 183. *num.* 7. *part.* 7., *et decis.* 226. *num.* 9. *part.* 9. *recent., et in Auximana, seu Senogallien. fideicommissi* 12. *Junii.* 1693. *§. Moti quoad primam cum seqq., et in §. minus relevat coram R. P. D. meo Caprara.*

Comprobatur ulterius animus Hieronymi acquirendi pro negotio communi ex adnotatione in lib. ejusdem negotii apposita, in
6. quibus sic intitulatur bona, super quibus cadit quaestio (*Beni stabili acquistati dal Sig. Vincenzio, e Girolamo Bavosi*) et successive describuntur partitae solutionis pretii, et instrumenta acquisitionum cum connotatione (*Beni stabili acquistati da Noi*) quae partitae, cum satis superque probent contra scribentem ad firmata per *Genu. de script. privat., et de lib. Mercat. quaest.* 2. *cap.* 23. *num.* 4. *de Luc. ad Grat. discept.* 171. *num.* 9. *vers.* 18. *quando, et Rot. decis.* 80. *num.* 3. *part.* 18. *recent.* in dubium praeseferunt argumentum dominii communiter quaesiti super re empta cum pecuniis socialibus.

Crescitque orationis pondus ex facto ipso Hieronymi, qui cum, in exsolvendo residuo pretii quorumdam ex istis corporibus, usus fuerit tot nominibus de-
7. bitorum negotii, noluerit currere periculum inexigibilitatis eorum demonstrat extinxisse debitum sociale, non proprium, ut monet *Castrens. cons.* 242. *num.* 2. *vers. praedicta procedunt. lib.* 1., *et Rot. in Roman. seu Veliterana Domus* 16. *Junii* 1690. *§. et tamen coram bo. me. Benincasa.*

Id ipsum concludentissime, evincitur ex quo in emptione unius ex istis corporibus Hieronymus in partem pretii bonificavit venditori sortem census lir. 500. Vincentio spectan. ut ex instrumento *Sum. Actorum. num.* 4. quod certe non egisset, si acquisitio particulari illius commodo cederet, ut patet ad sensum.

Stabilito itaque ex tot positivis documentis, acquisitiones fuisse communi (*) nomine peractas, non relevat impugnare fidem librorum.

(*) Residuum decisionis omittitur quia ad rem nostram non facit etc.

SUMMARIUM.

1. *In contractu empt. et vend. dari possunt arrhae, ita quod qui eas dedit si deficiat in implemento easdem amittit, qui vero recepit eas duplicatas restituere debet.*
2. *Datio arrharum est contractus innominatus, et separatus ab empt. et vend.*

3. *Quod tamen limitatur ubi arrhae sunt datae pro parte, et in diminutionem pretii.*
4. *Qui deficit in implemento ultra arrhas tenetur etiam ad interesse, si hoc excedit arrhas.*
5. *Quando uterque contrahens est negligens in observando conventa, non est locus lucro arrharum.*
6. *Venditione perfecta, venditor praecise compelli potest ad rem venditam tradendam si eam tradere potest, ut hic explicatur.*
7. *Amplia stante juramento, vel precario, et constituto.*
8. *Venditor qui est in mora rem tradendi non debet audiri in petitione pretii, quinimo est condemnandus ad damna, et interesse, ut hic.*
9. *Et quid an teneatur ad interesse extrinsecum lucri cessantis.*
10. *Ubi emptor est morosus ad speciem emptam recipiendam, potest venditor eam vendere, et deinde agere contra eundem emptorem pro supplemento pretii conventi, ut hic declaratur.*
11. *Venditor debet admonere emptorem de omnibus, quae possunt eum retrahere ab emendo.*
12. *Et hoc exemplificatur in eo, qui scit vinum certo tempore corrumpi, vel pretium grani statim esse minuendum, et simil.*
13. *Facta emptione fundi censiti a domino census, idem census ipso jure remanet extinctus, remanente tamen domino praedicto jus praelationis adversus alios.*
14. *Haec tamen conclusio declaratur.*
15. *Haeres vendens res haereditarias pretio excessivo ob stultitiam emptoris, tenetur solum de pretio justo.*
16. *Haeres vendens haereditatem, quae solvendo non erat, non tenetur erga legatarios.*
17. *Emens a procuratore, et alia simili persona, non viso illius mandato, non praescribit, quod tamen hic declaratur.*
18. *Emptio rei propriae non tenet.*
19. *Quando tamen emptio est facta bona fide, potest emptor etiam solo animo sibi mutare titulum, ac possessionem, et agere pro consecutione pretii, damnorum. etc.*
20. *Ubi vero emptor scienter emit, ei regulariter nulla competit actio.*
21. *Censuarius potest obtinere associationem etiam contra tertium fundi censuati emptorem pro fructibus decursis, et in futurum decurren., ut hic declaratur.*
22. *Et negligentia modici temporis in capienda possessione post mortem impositoris census in hoc casu non nocet, sed requiritur praescriptio* 30. *annorum.*
23. *Scriptura, in qua quis fatetur vendidisse alteri rem certam pro certo pretio probat perfectionem contractus, si utriusque partis consensus accessit, si vero confitentis tantum, probat adhuc, solum tamen contra confitentem.*
24. *Res quae consistit in solo jure, ac spe, quae inanis reddi possit, non dicitur incerta, ita ut vendi nequeat, et ideo periculum est emptoris.*
25. *Limita tamen quando spes redditur inanis culpa venditoris, vel venditor sciebat spem reddituram inanem.*

26. *Causa studii, aliaque simili cessante, res empta simpliciter pro filio est, post mortem patris, cum aliis fratribus communicanda, vel saltem ejus valor de tempore mortis patris, nisi fortasse habeantur conjecturae donationis.*

27. *Res empta pro filio ob causam studii ex. gr. libri, si ei tradita fuit, post mortem patris non est conferenda, ut hic declaratur.*

28. *Pro re empta a patre ad effectum alendi familiam remanet obligata uxor, et filii, si pater non erat solvendo, et constat de versione rei in dictum usum.*

29. *Promissio de vendendo non est vera venditio.*

30. *Gabella debita in casu venditionis non debetur, facta promissione de vendendo.*

31. *Laudemium non debetur ex simplici promissione de vendendo, nec ob hanc promissionem (inconsulto domino directo) incurritur caducitas.*

32. *Promissio de vendendo, et emendo rem certam pro certo pretio, vera et perfecta venditio est.*

33. *Secus vero quando fit solum promissio de vendendo etiam accedente stipulatione, quae non obligat promissarium ad emendum.*

34. *Promissio de vendendo evanescit ubi certum tempus est appositum, et intra illud non est sequuta venditio, quod ampliatur etiam si promissor partem pretii recepisset.*

35. *Contractus emptionis resolvitur ob lapsum temporis, quando non est perfectus, etiam si tradita esset arrha.*

36. *Facta venditione pro pretio declarando, si personae electae declarationem facere non possint, potest cogi venditor ad novam venditionem faciendam, ubi praecessit promissio pura de vendendo.*

37. *Pretium non est taxandum de tempore factae promissionis, sed faciendae venditionis.*

38. *Facta promissione de vendendo, et emendo rem certam pro certo pretio, et pure, periculum rei tunc spectat ad emptorem.*

39. *Secus vero est in simplici promissione de vendendo, ut hic declaratur.*

40. *Ex relatione peritorum in arte valor rei probatur.*

41. *Item ex instrumentis venditionis praediorum vicinorum, si sunt ejusdem qualitatis.*

42. *Instrumentum venditionis facit praesumptivam probationem justi rei valoris, donec probetur contrarium.*

43. *Emptor cum pacto retrovendendi, qui post tempus effluxum pretium a venditore recepit ut hic, censetur d. tempori renunciasse.*

44. *Quando pactum redimendi prorogatur a principe, non potest agi executive in vim prioris obligationis.*

45. *Secus vero si prorogatur ab emptore.*

46. *Minori datur restitutio adversus lapsum temporis ad redimendum, nisi veniat uti venditoris haeres.*

47. *Mulier, persona nobilis, rusticus, etc. non praesumuntur habuisse animum foenerandi.*

48. *Venditione facta a pluribus cum*

pacto redimendi, quilibet eorum potest agere ad redemptionem totius rei, ut hic declaratur.

49. *Pactum per quod venditor non potest redimere nisi post certum tempus inducit praesumptionem fraudis.*

50. *Vendens cum pacto redimendi non potest cogi ad redimendum.*

51. *In pacto retrovendendi omne incrementum, et decrementum est emptoris.*

52. *Et praedicta propositio declaratur, et exemplificatur in terminis juris offerendi.*

53. *An autem sufficiat sola oblatio pretii quando redimere quis vult allegantur Doctores.*

54. *Emptor cum pacto retrovendendi, an possit directe, et executive cogi a legatario venditoris ad revendendum.*

55. *Arbores vi ventorum evulsae in agris emptis cum dicto pacto ad quem spectent.*

56. *Item allegantur DD. circa tempus necessarium ad praescribendum dictum pactum.*

57. *Et quid si sit conceptum per verba* semper, et quandocumque, *vel medio juramento renunciatum sit cuicumque praescriptioni.*

58. *Item, an pactum praedictum transeat ad haeredes, et sit cessibile etiam ad extraneos.*

59. *Item, an fructus veniant in judicium, quo venditor agit pro recuperatione rei venditae cum dicto pacto.*

60. *Item, an redimi possit contra tertium, cui a primo emptore sit venditum.*

61. *Venditione facta cum pacto redimendi infra certum tempus, et cum successiva locatione, si elapso d. termino tacite prorogetur locatio, an etiam censeatur prorogatum pactum praedictum.*

CONSULT. LX.

Miscellanea.

Multis resolutis quaestionibus in superioribus consultationibus circa materiam emptionis, et venditionis, nunc denique nonnulla alia satis notabilia in hac Miscellanea consultatione colligendo, huic primae parti finem imponere cupiens; dico propterea primo, quod cum arrhae dari possint in quocumque contractu, ideo etiam in emendo, et vendendo datio arrharum erit permissa. Unde si perfecta venditione, et arrhis datis, emptor vel venditor recuset implere promissa, qui
1. arrhas dedit illas amittit, si ipse deficiat in implemento, et si non implementum procedat ex parte illius, qui arrhas recepit, duplum reddere tenetur ex iis, quae ponderat *Gratian. discept. for. cap.* 748. *n.* 23. *Bertazol. de claus. claus.* 31. *glos.* 7. *n.* 3. *Surd. decis.* 260. *n.* 25. Et quamquam in contractibus nominatis, prout est emptio et venditio, videatur amissionem arrharum locum nequaquam habere posse, sed potius agendum esse ad implementum ex juribus vulgatis; obiectum ta-

men prorsus eliminatur recte ponderando praedictam dationem arrharum esse contractum
2. innominatum, et separatum ab emptione, et venditione, ut edocet *Bertuzol. loco citato n.* 3. Quapropter difficultas tunc solum forsan procedere posset, ubi scilicet arrhae fuissent da-
3. tae pro parte seu in diminutionem pretii; cum in tali casu utique videatur hujusmodi arrharum dationem non esse contractum separatum ab emptione, et venditione. Caeterum, si quis peteret an, data hypothesi, quod quis promissa implere recuset, et deinde conveniatur pro arrhis, an inquam, teneatur etiam in tali casu in id, quod interest, censerem breviter ea distinctione respondendum, videlicet, quod si interesse excedit arrhas praedi-
4. ctas, utique possit qui contractum implere recusat conveniri, et condemnari etiam ad interesse in excessu praedicto, ne id quod est inductum favore illius, qui lucrum arrharum facere debet, in ejus odium retorqueatur, tollendo ei remedium ordinarium de jure competens, ut ponderat *Surd. in allegata decis.* 260. *n.* 25. ubi, quod haec verior, ac magis recepta sententia est. Demum circa hanc materiam arrharum
5. sciendum est quoque quod quando uterque contrahens est negligens in observando conventa, permittendo contractum resolvi, tunc non est locus lucro arrharum, ut bene firmavit *Rota coram Panfil. decis.* 523. *cum annot.*

Dico secundo, quod, venditione perfecta, venditor praecise compelli potest ad rem venditam
6. tradendam, si eam tradere potest; cui propositioni licet ex diametro obstent tradita per *Fachin. contr. jur. lib.* 2. *cap.* 30. *per tot., quem sequitur Christin. decis. Belgic.* 60. *n.* 2., *et* 3. aientes venditorem teneri ad rem tradendam, vel ad interesse, tamen a prima sententia non est recedendum, quoties venditor rem venditam, vel quam promisit vendere, alteri non vendidit, sed eam habet penes se, et tradere potest, tunc enim cogi potest praecise ad implendum factum promissum, captis pignoribus de ordine judicis, vel ab eodem judice poterit res promissa, vel vendita promittenti auferri, et promissario concedi; vel si res consistat in animo promittentis, et in ea cadere possit suppletio judicis, poterit etiam judex in tali casu declarare rem haberi pro praestita ex juribus, et rationibus cumulatis per *De Luc. in supplem. lib.* 16. *part.* 2. *tit. de empt., et vend. disc.* 48., *et latius per Amat. var. resol. resol.* 34. *t.* 1. ubi quod tanto fortius poterit venditor cogi ad
7. rem praecise tradendam stante juramento, quod semper servandum est, quoties servari potest sine interitu salutis eternae *cap. cum contingat. de jure. jur.*,

et in hoc concordant tradita per Fachin. lib. 3. *contr.* 17. Sicuti etiam praedicta eo libentius veniunt amplectenda stante precario, et constituto, ut optime subdit *Amat. loc. cit.* ubi fuse de hac materia, etc.

Dico tertio quod quoties patet venditorem fuisse, et esse in mora tradendi rem venditam emptori, tunc nedum ipse audiri non debet in petitione pretii, sed omnis suadet ratio, ut potius condemnetur ad interesse, et
8. damna passa ob non factam emptori consignationem in tempore (mora n. ut dici solet debet moroso nocere), et quidem habita ratione quantiplurimi res potuisset vendi, ut egregie notat *Rota Decis.* 471. *n.* 1. *et* 2., *et decis.* 489. *n.* 2. *part.* 9. *tom.* 2. *rec.* ubi videri etiam potest quid requiratur ad effectum constituendi venditorem in mora, de qua re alia quoque videnda sunt in *Consult.* 58. Cæterum an sub dicto interesse veniat, et venire debeat, nec ne, lucrum cessans,
9. veluti quia emptor si habuisset ex. gr. frumentum, vel vinum tempore convento, potuisset illud ducere ad aliam civitatem, et ibi cariori pretio vendere videndus est *De Marin. resol.* 241. *n.* 3., *et seq. lib.* 2.

Dico quarto, quod vendens speciem ex. gr. frumentum, vinum, et similia recipienda ab emptore infra certum, et determinatum tempus, si emptor sit morosus, et tempore convento non compareat ad illud recipiendum, communis DD. sensus est, quod possit venditor in tali casu etiam absque de-
10. creto judicis illud vendere, et insuper agere contra emptorem pro supplemento pretii conventi, quandoquidem debet sibi imputare emptor, si tempore convento rem non recepit, ut patet ex *l.* 1. *§. licet autem vers. commodius est ff. de peric., et commod. rei vend. Rot. rec. par.* 5. *tom.* 1. *decis.* 219. *n.* 18. *et* 19. *cum ibi congestis.* Ubi tamen hoc intelligit dummodo venditio facta fuerit pro eodem pretio, quo tunc res ejusdem qualitatis, et bonae conditionis communiter vendebatur, et circa hæc videnda sunt etiam, quae habentur in *Consult.* 58. *n.* 15.

Dico quinto, quod vendens rem aliquam, cum praesumatur illius qualitates, et onera scire, propterea omnis suadet ratio,
11. ut de illis clare, et specifice admonere debeat emptorem, ut in superioribus consult. quoque fuit expositum; unde si venditor sciat ex. gr. vinum certo tempore corrumpi, debet hanc qualitatem detegere emptori, ut videre est penes *Gratian. discept. for. cap.* 260. *n.* 21. et 22. et quod dicitur de hac qualitate est intelligendum etiam de aliis similibus, et de quocumque alio onere, quod verisimiliter retrahere potuisset emptorem ab emendo, vel a solu-

tione tanti pretii. Ex quibus sub-
12. dit *Gratian. loco citato*, quod
vendens ex. gr. frumentum, si
sciat ejus aestimationem esse
minuendam statim post venditionem, debet hoc detegere emptori, et circa hoc videnda est
etiam *discept*. 361. *n*. 17.

Dico sexto, quod per emptionem fundi censiti factam a domino census rationi utique consonum est, ut census ipso jure remaneat extinctus, quoniam alias in eodem subjecto daretur a-
13. ctio, et passio, et servitus in
re propria contra dispositionem *Textus in l.* 1. *ff. quemadmodum servitus amitt.*, *et auctoritate gravissimorum DD. comprobat Urceol. consult. for.* 4. *n*. 40. *et seq.* ubi tamen ait, quod emptio praedicta tribuit domino census praelationem, manutentionem, et jus retinendi adversus alios creditores.

Illud tamen pro intelligentia praedictae principalis conclusionis est hic sciendum, quod licet praefata conclusio in se verissima sit, tamen sibi locum non arrogat, quoties dominium rei
14. revocabiliter est emptori quaesitum, et ejusdem rei emptae evictio sequitur, tunc enim censum reviviscere sustinet, et docet *Auctor citatus in* 2. *appendic. ad d. consult.* 4. *n*. 7., *et* 8., ubi dicit hanc declarationem maxime procedere si essent reservata jura anterioritatis.

Dico septimo, quod haeres vendens res haereditarias pretio excessivo propter stultitiam em-
15. ptoris, solum tenetur haereditati de pretio justo, et excessivum sibi retinere potest tanquam fructum suae industriae *ad tradita per Urceol. consult. for cap.* 100. *n*. 51. *cum ibi congestis.* Ubi etiam ait quod, si haeres vendit haereditatem, quae solvendo non erat, si postea legatarii petunt legata, i-
16. pse non tenetur illa solvere, quia magis ex stultitia emptoris, et propria industria, quam ex defuncti bonis habere videtur.

Dico octavo, quod emens a procuratore, aliaque simili persona, sicque a contrahente nomine alieno non viso illius man-
17. dato, dicitur in mala fide, et non praescribit, ut latius videre est penes *Salgad. Labyr. Cred. part.* 2. *cap.* 4. *n*. 29. 30., *et* 31. ubi quod nec minus lucratur fructus, subdens tamen ex doctrina *Pereia*, quod videtur excusandus emptor a mala fide, si probabiliter crediderit adesse mandatum, veluti quia hoc ei fuisset affirmatum a personis fide dignis.

Dico nono, quod quamvis certa sit juris conclusio, quod em-
18. ptio rei propriae sive facta sit scienter, sive ignoranter, nequaquam sustinetur *l. suae rei ff. de contrahen. empt. Rot. decis* 39. *n*. 6. *part*. 5. *tit*. 1. *rec.* sciendum tamen est, quod inter unum, et alterum casum maxima cadit differentia, quando quidem si emptio est facta

bona fide, et ignoranter, utique potest emptor ex primaeva
19. causa, et etiam solo animo sibi mutare titulum, et possessionem statim ac habet notitiam rem esse propriam, et etiam agere ad restitutionem pretii una cum omnibus damnis, et interesse, ut animadvertit *Magon. decis. flor.* 48. *per tot.*, *et decis.* 62. *n.* 2. *Menoch. de praesum. lib.* 3. *praesum.* 117. *n.* 9. Si vero emptor scienter emit, probabilius mihi videtur
20. nullam ei competere actionem contra venditorem, nisi sibi prospiciat de evictione, et ratio est, quia emptor scienter emendo rem propriam, videtur jus suum remisisse, et talem emptionem fecisse animo donandi pretium venditori, ut notat *Menoch. supra n.* 1. 9., *et per tot.* ubi tamen plures casus distinguit in terminis legatarii, ac fideicommissarii ementis rem legatam, vel fideicommissariam, ad quem lectorem remitto.

Dico decimo quod, vigore clausulae constituti in contractu census appositae, quae continet facultatem capiendi possessionem propria auctoritate, potest censuarius, ac illius haeredes obtinere associationem, etiam contra tertium fundi censuati emptorem, et possessorem ad effectum sibi satisfaciendi de fructibus decursis, et non solutis, et in futurum decur-
21. ren. si constat de dominio, et possessione impositoris census, ut est famosa *decis.* 187. *n.* 1. *et seq. par.* 10. *rec.*, *et coram Bich. impress. post Salgad. Labyr. Cred. decis.* 16. *n.* 1. *et seq.* ubi quod vis constituti non expirat ex eo, quod post mortem impositoris census censuarius non acceperit naturalem fundi censuati possessionem, quinimo permiserit eum ab alio occupari, quia negligentia capiendi possessionem praedictam tunc demum noceret, ubi scilicet associatio peteretur ratione civilis possessionis, constitutarius n. patiendo rem ab alio naturaliter possideri, utique amittit civilem; non sic vero ubi constitutarius petit associationem vigore facultatis capiendi pos-
22. sessionem propria auctoritate, quia haec est compatibilis cum possessione alterius, et negligentia modici temporis in hoc casu non officit, sed requiritur praescriptio 30. Annorum.

Dico undecimo, quod cum contractus empt. et vend. tria necessario requirat, videlicet consensum, rem certam, et certum pretium, ut pluries in praecedentibus consult. fuit dictum; hinc ideo fieri potest locus dubitandi, an si quis in una scriptura fateatur vendidisse ex. gr. Titio rem certam pro certo pretio, an inquam, ex hac scriptura probetur praedictam venditionem esse perfectam, et circa hujusmodi dubium responsio est, quod si in confectione dictae scripturae accessit consensus utriusque contrahentis,
23. quod tunc utique perfectio

contractus remanet probata; si vero consensum tantummodo confitentis accessisse supponimus, et in hujusmodi casu adhuc ex dicta confessione perfectio contractus probatur ad praejudicium tamen tantummodo confitentis, ut docte fuit decisum per *Sac. Rot. Rom. decis.* 37. *n.* 1., *et seq. par.* 4. *tit.* 2. *rec. cum ibi relatis* ubi ait quod, licet in scriptura praedicta appareat solum de consensu unius partis, et contractus empt., et vend. non perficiatur cum consensu tantummodo unius partis, hoc tamen procedit in scriptura ex nunc obligativa, secus in declarativa actus de praeterito, quae procul dubio probat perfectionem actus ad praejudicium declarantis.

Rursus circa certitudinem rei hic utiliter quaeri potest, an data hypothesi, quod res vendita, vel vendenda consistat ex. gr. in jure, et sola spe, quae ab eventu inanis reddi possit, an inquam, tunc res vere dicatur incerta, ita ut vendi nequeat, et quantum ad hoc attinet commune doctorum consortium
24. in eam inclinat sententiam, quod praedicta res nequaquam dicatur incerta, ita ut vendi non possit, ut pulchre notat *Pacion. de locat.*, *et conduct. cap.* 45. *n.* 73., *et seq.* ubi ideo ait, quod in hoc casu damnum ad emptorem pertinet, nisi tamen spes inanis reddatur
25. culpa venditoris, vel ipse venditor sciret spem fore, et redditurам inanem.

Dico duodecimo, quod quando patres familias pro uno, vel pluribus ex eorum filiis rem aliquam emunt, si hinc patris morte sequuta quaeratur, an dicta res empta veniat cum aliis filiis, et fratribus respective communicanda, et dividenda causa studii, aliaque simili cessante, regula est apud juristas, quod res empta simpliciter pro
26. filio post mortem patris est conferenda cum aliis fratribus, vel saltem ejus valor facta aestimatione de tempore mortis patris, nisi fortasse habeantur conjecturae donationis veluti quia pater dederit filio amplam facultatem disponendi de re empta, aliaeque similes conjecturae, ut bene ponderat *Rot. post Merl. de legit. decis.* 157. *n.* 9., *et* 158. *n.* 13.: dixi autem causa studii cessante, quoniam ubi pater familias aliquid pro filio, vel filiis emit ob causam studii ex. gr. libros, illosque filio, et filiis tradidit, certum
27. tunc utique est rem emptam neutiquam cum aliis fratribus conferendam esse, si filius lauream doctoralem assequatur vivente patre, vel studia continuando etiam post ejus mortem, nullaque in contrarium concurrat conjectura, ut late ponderat *Merl. de legit. lib.* 2. *tit.* 2. *quaest.* 22, *n.* 53. ubi alia circa hanc materiam cumulat, et est etiam videndus *Mantic. de tacit., et ambig. lib.* 13. *tit.*

14. *n.* 8. *Menoch. de praesum. lib.* 3. *praesum.* 30. *n.* 17. *ubi praedicta pluribus modis ampliant.*

Decimo tertio dico, quod cum frequenter, et fere in dies contingat, ut pariter patres familias contrahant debita pro alenda familia, veluti dum emunt frumentum, vinum, vel quid simile ad effectum praedictum, dico inquam, quod in hujusmodi casibus si res ita se habet, ut pater non esset solvendo,
28. et constet de versione rei in usum familiae, tunc remanent obligati erga venditorem, vel venditores praedictos filii, et uxor, et ideo contra eorum bona poterit concedi executio, ut bene notat *Gratian. discept.* 107. *per. tot.* ubi evidentem adducit rationem, et alia docet circa modum probandi d. versionem.

Decimo quarto circa eam frequentem, utilemque quaestionem, an scilicet promissio de vendendo dicatur vera venditio, est hic primo, circa hujusmodi du-
29. bium notandum, quod regulam generalem negativam firmant communiter juristae, videlicet, quod nequaquam promissio de vendendo sit vera venditio, ut aliis sub silentio omissis, notat *Urceol. decis. flor.* 1. *n.* 12. *ubi multos dat concordan. et docte animadvertit quoque D. Corradin. de jur. praelat. quaest.* 20. *n.* 4. 5.*, et seq.* ubi propterea subdit, quod stante statuto, ut de contractu
30. venditionis certa solvatur gabella, illa non debetur facta promissione de vendendo, eademque ratione ait, quod lau-
31. demium neutiquam debetur ex simplici promissione de vendendo, et quod emphyteuta non incurrit caducitatis poenam, si sine domini consensu vendere promittat, et alia ad propositum.

Secundo adnotandum est pro praedictæ regulæ intelligentia, quod licet in abstracto sumpta verissima sit, certis tamen casibus recte sibi locum non arrogat, et primo non procedit, quando
32. facta fuit promissio de vendendo, et emendo rem aliquam pro certo, et determinato pretio, hanc n. veram, et perfectam venditionem ad circuitus evitandos dici debere pulchre notat *De Marin resol.* 239. *n.* 2. 3.*, et seq., et concordant. tradita per D. Corradin. loc. supra cit. n.* 19. *Urceol. decis. flor.* 1. *n.* 18. *qui omnes alios dant. concordan.,* et ea etiam in proposito favet evidentissima ratio, quia in hujusmodi casu videntur concurrere omnia substantialia venditionis, videlicet res certa, certum pretium, et consensus ambarum partium emendi, et vendendi respective; secundo ad sensum nonnullorum locum non habet, nec procedere potest in hypothesi, quod facta fuerit etiam simplex promissio de vendendo, tunc n. dicunt isti, quod certo pro ea expresso pretio, et accedente stipulatione promissio de ven-

dendo dicitur vera, et perfecta venditio. Circa quam tamen propositionem, ut verum ingenue fatear, mihi videtur respondendum, nequaquam promissionem
33. praedictam dici posse, nec deberi veram, et perfectam venditionem, quoniam licet simplex promissio de vendendo obligare possit promittentem ad vendendum, non tamen obligat eum, cui facta fuit promissio praedicta ad emendum, non obstante dicta stipulatione, quae non est contractus ultro, citroque obligatorius, et tamen si contractus undequaque perfectus esset, eum quoque obligare deberet, ut de se patet, et pulchre firmavit *D. Corradin. supra n.* 9., *et* 17. ubi contrarium sentientes rejicit, et dicit eorum sententiam dumtaxat procedere quando ambo contrahentes promiserunt observare contenta in promissione, alter scilicet vendere, et alter emere.

Tertio ad ornamentum hujus materiae est rursus hic notandum, quod facta promissione de re vendenda intra certum tempus, si deinde d. tempore venditio non sequatur, verissimum mihi videtur, quod promissor am-
34. plius cogi non possit ad vendendum, etiamsi pendente dicto termino partem pretii ab emptore recepisset, et pro hac re ea adducitur efficax ratio, quoniam per lapsum temporis a partibus praefiniti, censetur praedictae promissioni renunciatum, eademque promissio dicitur resoluta, ut egregie firmavit *Rot. coram Panfil. decis.* 523. *cum annot.* ubi quod contractus emptionis resolvitur per lapsum temporis, quando non est perfectus, et ait ulterius
35. praedicta procedere etiam in hypothesi, quod tradita esset arrha, ita ut in dicto casu minime locus sit lucro d. arrhae, quia huic non est locus, quando uterque contrahens est negligens in observando conventa, et permittendo contractum resolvi.

Quarto est iterum notandum, quod quatenus contingeret, ut quis alteri pure promitteret rem aliquam vendere, si deinde inter dictas partes sequeretur ejusdem rei venditio pro pretio declarando per certas personas, et personae electae declarationem praedictam facere nollent,
36. aut non possent, agi tunc procul dubio posset, ut ad aliam venditionem puram, et liberam deveniretur, ut prudenter dixit *Rot. decis.* 172. *et* 248. *part.* 6. *rec. cum ibi congest.*, et circa hoc est etiam sciendum quod insurgente disputatione, et controversia circa quantitatem pretii, quae non fuit
37. expressa in promissione de vendendo, tunc pretium non videtur considerandum de tempore factae promissionis, sed potius de tempore faciendæ venditionis, ut notat *D. Corradin. loc. cit. n.* 27., *et seq. ubi alia ad propositum habentur.*

Quinto, et ultimo sub silentio non
est omittendum circa d. pro-
missionem de vendendo, et e-
mendo pro certo, et determi-
nato pretio, quod quoties ini-
ta est pure, tunc cum talis
promissio, ut superius solidis-
simis doctrinis, et etiam ratio-
ne fuit ostensum, ad circuitus
evitandos dicatur vera, et per-
38. fecta venditio, hinc ideo se-
quitur periculum rei in tali ca-
su ad emptorem spectare, quic-
quid circa hoc in contrarium
scripserit *D. Card. de Luc. in
supplem. lib.* 16. *part.* 2. *tit.
de empt., et vend. disc.* 48.,
et disc. 49. *n.* 7. Quoniam ipse
eo fundamento superinnititur,
quod scilicet dominium in hoc
casu non dicitur in emptorem
translatum, et consequenter nec
rei periculum, pro certo cre-
dens translationem dominii esse
necessariam ad effectum, ut rei
periculum in emptorem trans-
eat, quod tamen quam a verita-
te alienum sit, manibus quodam-
modo tangi potest ex iis, quae
late fuerunt scripta in consult.
11., quibus nunc addo, quod
adversariorum sententia, solum
39. procedere potest semper quod
ageretur de simplici promissio-
ne de vendendo, aut de ven-
dendo, et emendo, certo non
stabilito pretio, in quibus ter-
minis loquitur etiam *Corradin.
supra n.* 10.

Decimo quinto dico, quod cum,
ut edocet praxis, passim acci-
dat, ut de valore rei venditae
controvertatur, propterea hic
quoque lectorem monitum vo-
lo hujusmodi valorem multifa-
riam probari posse, et praeci-
40. pue probatur ex relatione pe-
ritorum in arte ad late tradita
per *Gratian. cap.* 600. *n.* 5. 20.,
et seq. Cyriac. contr. 453. *n.* 20.
Item ex instrumentis venditio-
41. nis praediorum vicinorum, si
probetur talia praedia esse e-
jusdem qualitatis, et bonitatis
praedii, de quo agitur, ut no-
tat idem *Gratian. discept.* 461.
n. 14. Item ex venditione ejus-
dem rei, quae licet vere non pro-
bet justum rei valorem, facit
tamen probationem praesum-
42. ptivam, cui utique standum
est, quousque contrarium pro-
betur ab eo, qui dicit pretium
non esse justum, ut ponderat
Rot. decis. 232. *n.* 3. *et seq.
par.* 15. *rec.* ubi quod hoc pro-
cedit, etiamsi instrumentum sit
unicum, aliisque similibus mo-
dis late apud D. D. videndis.

Denique nonnulla alia, super
quibus passim disputatio cadit,
possent in hoc loco subnecti
circa venditiones cum pacto re-
dimendi; verum quia super his
pactis plenum fere posset com-
poni opus, ideo breviter dico,
quod videndus est *Mongiorg. de
pact. francan.* Item aliqua do-
cet *Urceol. consult. for., et si-
gnanter cap.* 59. *n.* 15. ubi a-
it, quod quando emptor cum
pacto retrovendendi recepit pre-
tium a venditore in extinctio-
43. nem dicti pacti, si tempus
redimendi est effluxum, cense-
tur per receptionem ejusdem

pretii d. tempori, seu termino renunciatum, ac mora remissa, et multos, ne dicam infinitos dat concordan. *D. Ciriac. discept.* 71. ubi inter alia *sub n.* 18. *vers. sed hoc casu* ait, quod si pactum dum adhuc durat prorogatur a principe, non po-
44. test amplius executive in vim prioris obligationis cameralis agi, sed ordinaria actione, quae oritur ex rescripto principis, si vero prorogatur ab emptore, utique agi potest in vim prioris
45. obligationis cameralis, quia talis prorogatio censetur cum omnibus qualitatibus, actus prorogati; ulterius *sub. n.* 19. *firmat.* Minori competere restitutionem adversus lapsum temporis ad redimendum, et con-
46. trariam sententiam procedere ait in minore venditoris haerede, cum nihil cum eo tunc gestum sit, cum aliis apud eum videndis *Gratian. discept. for. cap.* 600. *ubi inter alia sub n.* 12., *et* 13. ait, quod mulier, personae nobiles, rusticus, et
47. similes personae ementes cum pacto retrovendendi non praesumuntur habuisse animum foenerandi, quod dixit etiam *Rot. decis.* 737. *n.* 3. *par.* 18. *rec.* Dictus *Gratian. discept.* 330. *n.* 1. *et seq.* ubi, quod venditione facta a pluribus cum pacto re-
48. dimendi, quilibet eorum potest agere ad redemptionem totius, toto pretio soluto praestita cautione de restituendo caeteris suam portionem; rursus videndus est *Auctor citatus in discept.* 258. *n.* 1. ubi inter alia ait, quod quando pactum de retrovendendo est conce-
49. ptum in favorem emptoris, videlicet, quod venditor redimere non possit nisi post certum tempus, inducit praesumptionem fraudis, *et discept.* 740. ubi sub n. 31. firmat quod ven-
50. dens cum pacto redimendi, non potest cogi ab emptore ad redimendum; item videndus est *Fachin. contr.* 6. *vers. tertia est Sententia lib.* 2. ubi inter alia ait, quod in pacto retrovendendi omne incrementum, et de-
51. crementum cedit commodo emptoris, quod dixit etiam *Thesaur. decis.* 140. ubi quod venditor redimere volens, debet solvere emptori aestimationem augmenti, sive augmentum proveniat a natura, sive ab homine, et videndus est etiam *Merl. contr.* 93. *n.* 11., *et seq. lib.* 1. ubi loquitur in termi-
52. nis emptoris, vel creditoris, a quo res vendicatur per jus offerendi; alia quoque tradit dictus *Fachin. contr.* 42. *lib.* 2. ubi quaerit, an sufficiat sola oblatio pecuniae, vel requira-
53. tur actualis depositio, quando venditor vult redimere, de qua re est etiam videndus *Pacif. de Salv. interdict. inspect.* 4. *cap.* 1. *n.* 166. *et seq. D. Ciroch. discept.* 71. *n.* 20. ubi etiam quid dicendum perempto deposito; alia quoque videnda sunt apud. *Merl. decis.* 104., *et signanter n.* 5. ubi an emptor detinens rem emptam cum pa-

54. cto retrovendendi possit dire-
cte, et executive, cogi a legatario venditoris ad revendendum, et an contra eum detur mandatum de associando. *Ludovic. decis. Perus.* 5. *per tot.* ubi an arbores vi venditorum e-
55. vulsae in agris emptis cum pacto redimendi spectent ad emptorem, vel venditorem *Rot. decis.* 311. *n.* 2., *et seq. par.* 10. *et decis.* 232. *par.* 13. *rec.* ubi quanto tempore praescribatur
56. pactum de retrovendendo, etiam conceptum per verba semper, et quandocumque, et juratum, et circa hoc videnda est etiam *Rot. coram Merl. d. decis.* 104. *n.* 2., *et in rec. decis.* 307.
57. *part.* 12. ubi quid dicendum, quando per pactum juratum fuit cuicumque praescriptioni renunciatum, *et in dicto decis.* 104. quaeritur etiam an pactum
58. de retrovendendo transeat ad haeredes, cum aliis ibidem videndis, *Rot. decis.* 502. *n.* 1., *et seq. par.* 2. *rec.* ubi an sit transmissibile, et cessibile etiam ad extraneos haeredes, *Fontanell. decis.* 72. 73., *et* 74. ubi an fructus veniant in judi-
59. cio, quo venditor agit pro recuperatione rei venditae in vim pacti de retrovendendo, et quid ante factum depositum pretii, et quid post, et est videnda etiam *decis.* 79., *et* 80. ubi an facultas redimendi possit a venditore exerceri contra
60. tertium possessorem, cui a primo emptore fuerit venditum, circa quam quaestionem videri etiam meretur *Marin. resol.* 161 *n.* 3. *lib.* 2. Alia quoque docet *Cyriac. contr.* 257. *ubi signanter sub n.* 29., *et* 30. quaerit an venditione facta cum pacto redimendi infra certum tempus, si deinde res empta locetur
61. venditori pro eodem tempore, et eo elapso prorogetur tacite locatio, an etiam censeatur prorogatum pactum de retrovendendo; et alia denique videnda sunt in his meis consult. videlicet *Consult.* 5., *et* 53., et apud DD. in dd. locis cumulatos, aliosque per lectorem videndos.

FINIS CONSULTATIONUM, QUAE IN PRIMA PARTE HUJUS OPERIS CONTINENTUR.

INDEX GENERALIS

Rerum, et conclusionem, quae in prima parte hujus Operis continentur.

A

Accollatio

Accollatio succedit loco solutionis adeo, ut emptor, qui debita venditoris in se accollavit, non possit cogi ad illorum extinctionem Consult. 21, n. 1. et 3.

Emptor non tenetur solvere debita in causam pretii accollata, quando bona empta penes ipsum non remanent ibid. n. 4. et ampliatur n. 5. Vide alia verbo Emptor in genere.

Actio.

Actio personalis non datur contra singularem successorem qualis est emptor. Consult. 6. n. 3. et cons. 37. n. 2.

Sed haec intentari debet contra venditorem; ibid. n. 4.

De actione redhibitoria vide verbo Redhibitoria.

De actione quanti minoris vide aliqua verba emptor rei non liberae, et redhibitoria.

Emptor inveniens rem emptam mobilem vitiosam potest agere contra venditorem actione quanti minoris, et redhibitoria, consult. 16. n. 1.

Administrator.

Administrator, an emere possit rem ejus, cujus bona administrat V. verbo emptio in genere

Administratores, tutores, etc. an habeant hypothecata propria bona pro redditione rationis. V. cons. 45. n. 3.

Alienatio.

Per alienationem rei legatae censetur revocatum legatum, consul. 55. n. 1.

Limita quando alienatio fit aliqua impellente necessitate, ibid. n. 2.

Et ubi sumus in dubio, et alienatio facta fuisset titulo oneroso, praesumeretur ex causa necessaria, et onus probandi contrarium haeredi incumberet, ut ibid. declaratur n. 3.

Secus vero si ageretur de alienatione titulo lucrativo, ibid. n. 4.

Alia vide verbo testator.

De differentia inter venditionem, et alienationem vide consult. 11. n. 5.

Alimenta.

Pro alimentis venditis quando quis omnibus aliis praeferatur super re, quae alimonium sumpsit V. verbo venditio, et venditor in genere.

Arrhae.

In contractu empt. et vend. dari possunt arrhae, cons. 60. n. 1. ubi de illarum amissione, et duplicatione.

Datio arrharum est contractus innominatus; et separatus ab empt. et vend. n. 2. ibid., quod tamen explicatur n. 3.

Qui deficit in implemento, tenetur ultra arrhas etiam ad interesse, si hoc eas excedit n. 4. ibid.

Quando uterque contrahens neglexit observare conventa, non est locus lucro arrharum ibid. n. 5.

Augmentum.

Augmentum rei emptae, quae emptori aufertur per jus offerendi, vel in vim pacti de redimendo V.

Jus offerendi, et emptor in genere.

B.

Beneplacitum Apostolicum.

De beneplacito apostolico V. verbo venditio rerum ecclesiae.

Bona fides.

Emptor dicitur in bona fide ubi articulus est dubius Cons. 51. n. 7.

Emens a Procuratore, vel alia simili persona non viso mandato, an dicatur in bona fide V. cons. 60. n. 17.

C

Census, et Censuarius.

Dominus census est omnibus praeferendus in emptione fundi censuati, cons. 13. n, 1., quod tamen limita ut n. 2., et V. consult. 32. n. 21.

Domino census debet per mensem ante fieri denunciatio venditionis cum omnibus qualitatibus, et pactis ibid. n. 3.

Deficiente denunciatione, dominus rem retrahere potest intra 30. annos, ibid. n. 4.

Quoties res censita venditur, semper oritur nova actio pro d. praelatione, quae perpetuatur per 30. annos, d. cons. 13. n. 5.

Dicta praelatio habet locum etiam in venditione ad hastam n. 6. ibid.

An dominus census possit, immo debeat retrahere alia bona cum fundo censito vendita, et restituere emptori melioramenta facta V. ibid. n. 10., et 11.

Dominus census emens fundum censitum habet jus retinendi adversus posteriores, cons. 29. n. 2.

Facta emptione fundi censiti a domino census, idem census remanet extinctus, et solum jus praelationis restat d. domino adversus alios, cons. 60. n. 13., quod tamen declaratur n. 14.

Censuarius potest obtinere associationem etiam contra tertium possessorom fundi censuati pro fructibus decurs., et decuren., et negligentia modici temporis in capienda possessione post mortem impositoris non nocet, sed requiritur praescriptio 30. annorum, cons. 60, n. 21., et 22.

Alia V. ibid. n. 13., et 14.

Compensatio.

In omni contractu, compensatio sistit cursum usurarum. Cons. 58. n. 38.

Conjecturæ.

De conjocturis subvertentibus venditionem cum pacto redimendi vide verbo venditio cum pacto redimendi

Constitutum.

Constitutum transfert possessionem in constitutarium, cons. 6. n. 8.

Limita quando contractus non est validus ibid. n. 16.

Secundo limita quando constitutarius est negligens in apprehendenda possessione naturali, ut declaratur n. 17.

Tertio limita, ut n. 18., et 19.

Contrahentes.

Pacta, quae respiciunt substantialia contractus reservari nequeunt in arbitrium contrahentium, consult. 20. n. 8. 9.

Secus autem est in accidentalibus, et dantur exempla ibid. n. 10.

Stantibus verbis *con li patti che li contraenti saranno d' accordo*, quaenam pacta sint apponenda, vide ibid. n. 11., et 12.

In correspectivis non attenditur id, quod unus ex contrahentibus in animo, habuerit V. cons. 58. n. 20.

Contractus.

Quando quis induendo nomen, et personam alterius contrahit, si iste contractum ratificat, cessat omnis difficultas nullitatis contractus, consult. 58. n. 3.

Et quomodo inducatur ratificatio vide ibid. n. 4.

Alia vide verbo simulatio.

De contractus resolutione, vide nonnulla verbo pretium, et promissio de vendendo, et venditor in genere.

Contractus venditionis indissolubilis est etiam re non tradita, et pretio non soluto, indubitanter quando est contractum super re tradenda, et habita fide de pretio, consul. 58. n. 29., et consult. 46. n. 7.

Contractus nominati ex defectu tantum causae finalis resolvuntur ibid. n. 30.

In contractu ultro, citroque obligatorio non dicitur res integra quando res est tradita, vel solutum est pretium ibid. n. 31.

Quando contractus venditionis dicatur, perfectus vide verbo venditio.

Contractu perfecto non potest ab eo recedi absque novo consensu partium, etsi dominium non sit translatum, consult. 20. n. 2.

Verba *con li patti, che li contraenti saranno d' accordo*, respiciunt accidentalia contractus ibid. n. 7.

Alia vide verbo contrahentes.

Scriptura, in qua quis fatetur vendidisse rem alteri pro certo pretio, an probet perfectionem contractus. V. cons. 60. n. 23.

Contractus emptionis resolvitur ob lapsum temporis quando non est perfectus, etsi tradita esset arrha, cons. 60.

Quando res detegitur pro parte non libera, an locus sit rescissioni contractus in totum, vide cons. 14. n. 16.

Correspectivitas.

In correspectivis non attenditur id, quod unus ex contrahentibus in animo habuerit, cons. 58. n. 20.

Creditor.

Uxor pro sua dote praefertur ei, qui dedit pecuniam pro re, emenda cum speciali hypotheca super eadem re consult. 8. n. 1.

Et quid si mulier non esset anterior n. 2. ibid.

Adducitur casus sub n. 3. in quo qui dedit pecuniam ut supra, praefertur etiam uxori.

Dispositio l. licet C. qui pot. in pign. an, et quando procedat quoad dotes anteriores ibid n. 4.

Qui dedit pecuniam, ut supra pro re emenda, indubitanter praefertur omnibus creditoribus emptoris non privilegiatis concurrentibus requisitis, de quibus d. consult. 8. n. 8.

Creditor tanquam tertius admitti debet ad licitandum, et offerendum in publica subhastatione, consult. 27. n. 7., et seq. ubi multa etiam de jure offerendi, de quibus dixi etiam verbo jus offerendi.

Curator.

Curator, et tutor an emere possit rem illius, cujus bona administrat V. verbo emptio in genere.

De hypotheca bonorum curatoris V. verbo hypotheca.

D.

Decretum.

Decretum judicis facit praesumere omnia rite facta, ita ut sufficiat producere instrumentum cum d. decreto, et ideo causa praesumitur vera si de ea non soleat fieri probatio per scripturam, facit praesumere urgentiam creditorum, et transfert onus probandi contrarium in alteram partem, consult. 35. n. 10. 11., et seq.

Limita quando vere constat rem aliter se habuisse ibid. n. 14.

Judices cauti esse debent in interponendis decretis ibid. n. 15.

Detractiones.

Detractiones venditori competentes an parent emptori defensionem dixi verbo emptor in genere.

Dolus.

Dolus in dubio non praesumitur, sed est ab allegante probandus, consult. 2. n. 8.

Sufficiunt tamen ad illum probandum conjecturae ibid. n. 9.

Dominium.

Dominium rei venditae nunquam transit in emptorem, nisi venditore satisfacto, consult. 2. n. 1.

Hoc tamen non procedit quando de pretio habita fuit fides, et res emptori tradita ibid. n. 2.

Nam in hoc casu remanet solum actio venditori ad consecutionem pretii, seu interesse ibid. n. 3.

Alia vide verbo venditio habita fide de pretio, etc.

Traditio rei transfert dominium, consult. 6. n. 2.

Et hoc est verum etiam supposita sola promissione de vendendo ibid. n. 7., et cons. 11. n. 12.

Translatio dominii, et rei traditio pertinet ad executionem, non ad substantiam contractus, consult. 11. n. 2.

Qui rem emptori nondum tradidit, ipse dominus est ibid. n. 4.

Dominium est de natura, non autem de substantia venditionis, ad differentiam alienationis ibid. n. 5.

Ex venditione tantae ratae, et partis certi praedii, quae ad certam summam ascendat, non transfertur dominium in emptorem licet locum non habeat poenitentia cons. 34. n.5.

Antequam dominium in emptorem transeat venditor potest illius translationem certo modo limitare, consult. 35. n. 27.

De translatione dominii in venditione pro pretio declarando V. verbo venditio pro pretio declarando.

Dos.

Venditio bonorum fideicommissi ascendentis permittitur pro dotanda faemina descendenti tam primi, quam ulterioris gradus, cons. 52. n. 1.

Amplia etiam pro dote reconstituenda, ut ibid. declaratur n. 2.

Amplia secundo etiam si venditio esset a Testatore vetita ibid. n. 3.

Amplia tertio etiam pro restituenda dote, pro acconciis, jocalibus, et aliis, de quibus ibid. n. 4.

Amplia quarto tam pro dote carnali, quam spirituali ibid. n. 5.

Limita tamen quando adsunt bona libera ibid. n. 7.

Ante factam venditionem pro dote constituenda onus probandi bona libera non adesse, incumbit agenti ad dotem, post vero venditionem fideicommissario, si venditio facta fuit expresse pro constituenda dote ibi n. 8.

Et quid si ad d. effectum expresse facta non fuit ibid. n. 9.

Si in haereditate non adsunt corpora commode divisibilia, potest vendi unum ex minus damnosis etsi majoris valoris dote constituenda, investiendo residuum, n. 10. ibid.

Divisibilitas in Urbanis non praesumitur, quicquid sit in rusticis d. cons. 52. n. 11.

Proprietas fideicommissi alienari potest pro dote si fructus non extant, et malitiose consumptos esse non probetur ibid. n. 12. ubi haec propositio ampliatur.

Uxor post mortem viri, qui fundum dotalem vendidit, habet actionem contra ejus haeredes, et contra tertios possessores, consult. 56. n. 1.

Quando dos fuit aestimata, ea aestimatione faciente emptionem, et venditionem, tunc agi non potest contra tertios possessores rei sic in dotem datae, sed contra haeredes viri pro ejus aestimatione ibid. n. 2.

Ubi maritus de tempore factae aestimationis non erat solvendo, nec post ejus mortem aliqua bona reliquit, tunc aestimatio dotis non facit emptionem, et venditionem ibid. n. 3.

Supposita traditione dotis ea aestimatione faciente emptionem, et venditionem, adhuc uxor actione utili, et in subsidium agere potest contra tertios possessores rerum in dotem viro traditarum ibid. n. 4.

Ita, ut viduae facta excussione adversus haeredes mariti obtinere debeant adversus omnes alios creditores n. 5.

Praedicta tamen excussio, an semper sit necessaria declaratur n. 6.

E

Ecclesia.

De venditione bonorum ecclesiae V. verbo venditio.

Emphyteusis emphyteuta.

De venditione rei emphyteuticae V. verbo venditio.

Ob solam promissionem de vendendo inconsulto domino, emphyteuta non incurrit caducitatem, nec ob eam debetur laudemium cons. 60. n. 31.

Emptio facta ex aliena pecunia nomine proprio, vel ex propria pecunia nomine alieno.

Pertinentia pecuniarum regulariter tribuit solum jus crediti, quod tamen fallit in socio acquirente ex pecunia sociali, quia tunc acquisitio etiam nomine particulari stipulata dicitur facta pro negotio consult. 59. n. 5. sed vide infra.

Amplia quando constat acquirentem voluisse acquirere pro negotio ibid. n. 6. Fortiusque ubi acquirens usus est pecunia sociali ibid. n. 7.

Emens ex aliena pecunia nomine tamen proprio regulariter sibi acquirit consult. 1. n. 1.

Amplia, ut nec minus res empta cadat in hypotheca ad favorem ejus, cujus est pecunia ibid. n. 2.

Sed illi solum refundenda est pecunia, ibid. n. 3.

Et conclusio procedit etiam in terminis uxoris ementis ex pecunia mariti nomine tamen proprio ibid. n. 4.

Et idem dicitur de marito emente ex pecuniis dotalibus nomine proprio n. 5.

Socius omnium bonorum si nomine proprio acquirit, tenetur hoc non obstante rem cum aliis Sociis communicare n. 6.

An autem res acquisita sit societatis judicio communicanda, vel ipso jure incidat in communionem vide n. 7.

Et n. 8. adducitur differentia inter unum, et alterum casum.

Emens ex pecunia Ecclesiae, Piae Causae, militis, pupilli, et similium rem sibi libere non acquirit, sed probata identitate pecuniae datur dictis personis hypotheca cum praelatione n. 9., ibid.

Immo in eorum arbitrio est petere pecunias, vel res sua pecunia emptas, ibid. n. 10.

Haeres gravatus emens ex pecunia haereditaria pro se, et haeredibus sibi non acquirit libere, sed haereditati, si habet praeceptum a testatore pecuniam investiendi ad commodum haereditatis n. 11.

Et n. 12. allegatur ratio.

Secus vero si haeres d. praeceptum non habet n. 31. ibid.

Emptum ex pecunia dotali non efficitur dotale si Maritus pro se acquisivit n. 14.

Limita tamen quando Maritus dixit emere de pecunia dotali, et Mulier fuit praesens, et consensit n. 15., ibid.

Item limita ubi ex conventione partium tacita, vel expressa hoc colligi potest, et adducuntur exempla n. 16.

Rursus limita in subsidium, ibid. n. 17.

Quod tamen declaratur n. 18.

Emens rem spectantem ad aliquam societatem debet illam cum aliis sociis communicare, etiam si societas non esset omnium bonorum, d. consult. 1. n. 19.

Secus vero si res ad societatem non pertineat etiam si socius emens nomine proprio emeret cum pecunia sociali, ibid. n. 20.

Habens mandatum ad emendum si emat nomine proprio, adhuc tenetur explere mandatum, et rem mandanti tradere d. consult. 1. n. 21.

Et procurator praedictus non liberatur praestando interesse ibid. n. 22. alia vide V. Procurator.

Emens ex propria pecunia nomine alterius, illi acquirit. n. 23.

Et dominium dicitur quaesitum ei, pro quo fuit emptum sequuta ratificatione n. 24.

Ita ut non sufficiat stipulatio notarii nomine absentis, ibid. n. 25.

Quae tamen declarantur n. 26.

Maritus emens ex pecuniis propriis nomine uxoris, uxori acquirit d. cons. 1. n. 27.

Praesumptio l. Quintus Mutius non obstat quando marito praesente, sciente, et stipulante mulier acquirit n. 28.

Et explicatur quem effectum operatur d. lex n. 29.

Maritus non prohibetur emere pro uxore, ibid. n. 30.

Emptio in dubio praesumitur facta de pecuniis illius, cujus nomine emptio est stipulata, ibid. n. 34.

Item in dubio praesumitur facta nomine ementis n. 35.

Nisi tamen ex conjecturis aliter appareat ibid. n. 36.

Quae tamen an procedant, in Administratore, Tutore, Haerede, Procuratore, et similibus vide n. 37., ibid.

Emptio rei furtivae.

Emens rem furtivam debet illam domino reddere etiam sibi non refuso pretio, et etiam si emptor bona fide emisset, et in publicis nundinis cons. 4. n. 1. 2., et 3.

Limita quando emptor publicare fecit proclamata super emptione facienda, ibid. n. 4.

Item limita ubi quis emit cum protestatione, quod casu quo res sit aliena, inten-

dit eam emisse pro domino, cujus tamen contrarium sustinetur n. 6., ibid.

Protestationes, et diligentiae non operantur, nisi sint factae publice per proclamata, ibid. n. 7.

Rursus limita principalem conclusionem quando pretium fuit versum in utilitatem domini, ibid. n. 8.

Item limita stante statuto, vel consuetudine contrarium disponente, ut videmus favore Judaeorum, quod tamen declaratur n. 10., et 11.

Emens ab hostibus, vel furibus remotae gentis non tenetur rem restituere sibi non restituto pretio, d. cons. 4. n. 12.

Idem dicitur de emente rem pignoratam bona fide, et a persona non suspecta n. 13.

Idem juris est quando emptor rem vendidit, vel bona fide consumpsit, nam tunc tenetur solum in foro conscientiae ad id, in quo factus est locupletior, ibid. n. 14.

Et datur exemplum d. consumptionis n. 15.

Emptor mala fide rem consumens, vel vendens, adhuc tenetur ad illius pretium, in hoc tamen casu pretium non potest ab emptore tanquam furtivum avocari, ibid. n. 16. 17.

Emptio rei non liberae.

Emptor inveniens rem emptam non liberam potest agere contra venditorem, ut eam liberet, et si pretium non est solutum potest illud ad d. effectum retinere cons. 14. n. 1. et 2.

Et hoc ampliatur etiam si lis non fuerit mota, ut tamen declaratur n. 3.

Rei liberatio quomodo fiat vide n. 4. ibid.

Quando onus est omnino clarum, non tenetur emptor ad solutionem pretii etiam data per venditorem cautione n. 5., ibid.

Emptor ad effectum rem liberandi, solvere potest creditori venditoris, d. cons. 14. n. 6.

Emptor inveniens rem non liberam agere potest actione quanti minoris contra venditorem, quae actio est aestimanda arbitrio Judicis facta aestimatione per Peritos, ibid. n. 7. et 8.

E contra si aliqua qualitas, et commoditas detegatur, quae adesset de tempore contractus, potest venditor contra emptorem agere ibid. n. 9.

Emptor qui docet rem emptam subiectam esse fideicommisso etiam conditionali, vel alteri hypothecat. potest agere directe, vel indirecte ad rescissionem contractus n. 10. ibid.

Quae propositio declaratur, et ampliatur, ut n. 11.

Amplia, ut praedicta procedant etiam supposita oneris ignorantia in venditore d. cons. 14. n. 12.

Stante scientia emptoris rem liberam non esse, an possit agere contra venditorem, et quid si molestiae moveantur ab ipso venditore vide n. 13., et 14., et an scientia debeat esse specifica, et praecisa n. 15.

Quando res detegitur pro parte tantum non libera, an locus sit rescissioni contractus solum pro ea parte vide n. 16. ibid.

Ubi constat de insubsistentia jurium agentis, et molestias collusive fuisse suscitatas, emptor debet solvere pretium una cum fructibus etiam absque cautione n. 17. ibid.

Et circa hos fructus vide verbo fructus.

Emptio pro persona nominanda.

Contractus empt. pro persona nominanda est de jure permissus consult. 19. n. 1.

Dominium rei, ut supra emptae ante factam nominationem dicitur emptori irrevocabiliter quaesitum n. 2., ibid. et hoc ampliatur n. 3.

Emptio pro persona nominanda est conditionalis ibid. n. 4.

In emptione praedicta sequuta nominatione, verior sententia est, quod dominium, et possessio illico transeat in nominatum resoluto jure nominantis ibid. n. 6., et unica tantum debetur gabella n. 7.

Nominatio retrotrahitur ad tempus celebrati contractus, et jus nominantis resolvitur, ac si dominium, et possessio penes ipsum unquam extitisset, et ideo, nullum jus dicitur quaesitum creditor. ibid. n. 8., 9., et 10.

Emptor dum nominat debet restituere omnes fructus perceptos ibid. n. 11.

Nominans non potest aliud onus invito imponere praeter contenta in instrumento venditionis d. cons. 19. n. 12.

Nominans non tenetur de evictione cum nominatus assumat vires primi emptoris n. 13. ibid.

Conditio pro persona nominanda non est voluntaria, sed necessaria, et emptor cogi potest ad nominandum ibid. n. 14., et 15.

Et contraria locum habent quando emptor habuit intentionem sibimet acquirendi n. 16. ibid.

Nominatio debet fieri intra annum alias emptor sibi acquirit, ac si pro se solo contraxisset d. cons. 19. n. 18.

Nominatio debet fieri ab emptore alias dicitur novus contractus ibid. n. 19.

An nominatus ratam habere debeat nominationem expresse, vel tacite vivo emptore, et quid si post mortem emptoris ibid. n. 20.

Non est necessarium, ut nominans nominationem notificet venditori, ut ibid. videre est. n. 21.

Emptio haereditatis.

Empta haereditate illius emptor ultra vires haereditarias non tenetur, etsi inventa-

rium non confecerit, cum ad illud non teneatur consult. 24. n. 1.

Quod fortius procedit ubi venditor illud confecerat ibid. n. 2.

Emptor haereditatis', qui non se obligavit solvere debita, non potest a creditor. invitus conveniri, sed isti agere debent contra venditorem, qui deinde recuperat ab emptore omne, quod solvit n. 4. ibid.

Limita tamen, ut n. 5. 6. 7, et 8.

Haeres tamen vendens, tenetur erga creditores, non obstante, quod emptor illa solvere promiserit ibid. n. 9.

Et in hoc casu creditores convenire possunt haeredem actione personali, et emptorem hypothecaria ibid. n. 10.

Alia vide verbo evictio.

An jus accrescendi transeat in emptorem haereditatis vide d. cons 24. n. 15.

Emptio rei locatæ.

Regulariter emptor non tenetur stare locationi, et conductori remanet actio personalis contra locantem cons. 37. n. 1. et 2.

Colonus cogi non potest ad perseverandum ab emptore ibid. n. 4.

Multos casus, in quibus emptor tenetur, et respective non tenetur stare locationi V. in d. consult. 37. n. 5. ad finem ubi tota materia.

Emptio facta a filio una cum Patre.

Res empta a filio, an dicatur ei integraliter quaesita etiam si cum ejus patre acquisiverit, vide consult. 59. n. 1.

Vera est in se propositio; quod emptio facta a patre insimul cum filio integraliter patri spectat ibid. n. 2.

Sed haec propositio declaratur n. 3.

Emptor, et Emptio in genere.

Emptor an, et quando teneatur solvere debita venditoris in causam pretii accollata, vide verbo accollatio.

Emptor praesumitur qualitatum rei ignarus consult. 22. n. 10.

Quando inter emptorem, et venditorem certa summa est conventa pro toto pretio, non est ad majorem summam solvendam cogendus cons. 23. n. 4.

Etiam si emptor pro dictà summa assumpsisset onus solvendi omnia debita venditoris ibid. n. 5.

Emptor qui se obligavit solvere debita venditoris, liberatur si pretium venditori solvat dummodo non intercesserit delegatio ibid. n. 6.

De emptore haereditatis vide supra.

Administrator, Tutor, Curator, etc. an emere possint rem ejus, cujus bona administrant V. consult. 28. n. 11.

Emptor solvens creditoribus anterioribus venditoris, vel eadem debita in se accollans, an sit tutus a posterioribus etiam nulla reportata cessione jurium, et quid ad effectum agendi, vel solum excipiendi consult. 29. n. 1. 3., et 4. ubi etiam de domino census emente fundum censitum.

Emptor potest sponte solvere creditoribus praedictis, dummodo venditor expresse non contradicat, et creditores solutionem acceptare debent, et cedere debent jura talia qualia, etc. alias locus est depositio, et d. cessio pro facta habetur n. 5. 6., et 7.

An emptor tutus sit quando credebat creditores, quibus solvit esse anteriores, vel solvit partim anterior. partim posterior. ibid. n. 8. 9., et seq. ubi an, et quando locus sit immissioni pro indiviso ob solutionem factam posterioribus.

Emptor solvens posterioribus non est tutus etsi emerit sub hasta quod declaratur, ut n. 12. 13. et 14. ibid.

Emptor, ut praeferatur, non debet solvere pretium libere venditori, sed onere injuncto illud exbursandi creditor. anterior., vel ipse debet illud solvere iisdem creditor. d. consult, 29. n. 15. et 16.

An autem debeat in d. primo casu ostendere quod eadem pecunia ad dd. creditor. pervenerit, vide n. 17. ubi alia circa d. identitatem.

Quando emptori res aufertur per jus offerendi, est refundendum omne augmentum a natura', vel ab homine proveniens consult. 29. n. 18. et 19.

Emens ab ecclesia, vel minore, an debeat esse solicitus de versione pecuniae, item ubi agitur de praejudicio tertii adducendo exempla, vel ubi onus est injunctum emptori pro forma, et conditione, vel per viam modi, et quid in simplici venditione de his omnibus vide in consult. 30. n. 1. 2., et seq.

Emens ab executoribus, qui habent facultatem vendendi pro solvendis legatis, tutus est si eis exbursavit pretium ibid. n. 9.

Versio pecuniae an sit probanda a contrahente cum minore, vel ex adverso negativa versionis V. ibid. n. 10.

In statu ecclesiastico fiscus cogere potest consanguineos, et communitates ad emendum bona confiscata eo modo, quo declaratur cons. 32. n. 14.

Idem est in consanguineis debitorum communitatum, qui possunt cogi ad emendum bona dd. debitorum ibid. n. 16.

Minor emere potest sine solemnitatibus cum pacto retrovendendi, ut declaratur consul. 35. n. 26.

De emptione rei locatae V. verbo emptio rei locatae.

Emptor transigendo cum creditore potest reportare cessionem totius crediti, et dein-

de agere tam pro summa soluta, quam non soluta, ut explicant relati n. 13. cons. 41., et quid dicendum quando venditor assumpsit in se litem n. 14.

Emens ab ecclesia, fisco; etc, an teneatur ad gabellas stante statuto de illis solven. V. verbo gabella.

Emptor, et venditor ad invicem correlationem habent, et privilegium venditori concessum prodesse debet emptori, ut explicatur n. 4., cons. 47., et cons. 58. n. 34.

Emptor potest uti, et se defendere omnibus juribus, et exceptionibus competentibus venditori etiam non facta cessione jurium consult. 49. n. 6. et cons. 24. n. 3.

De emptore moroso ad rem recipiendam V. verbo mora.

Emens a procuratore, et alia simili persona non viso mandato, an dicatur in bona fide V. cons. 60. n. 17.

Emptio rei propriae non tenet ibid. n. 18.

Inter ementem scienter, et ignoranter maxima cadit differentia, quae assignatur d. cons. 60. n. 19., et 20.

An, et quando res empta a patre pro filio sit cum aliis filiis communicanda V. cons. 60. n. 26., et 27.

Pro re empta a patre pro alenda familia, an remaneant obligati filii, et uxor vide ibid. n. 28.

Emptor cum pacto retrovendendi, qui post tempus effluxum pretium recepit, an dicatur d. tempori renunciasse cons. 60. n. 43.

In pacto retrovendendi, an omne incrementum, et decrementum sit emptoris V. cons. 60. n. 51., et seq. ubi etiam quid in casu juris offerendi quando scilicet res aufertur ab emptore per jus offerendi.

Emptor cum d. pacto, an possit directe, et executive cogi ad retrovenden. a legatario venditoris ibid. n. 54.

Arbores evulsae a ventis in agris emptis cum d. pacto ad quem spectent V. ibid. n. 55.

Alia de pacto retrovendendi V. fuse verbo venditio cum pacto redimendi.

Detractiones venditori competentes justam emptori parant defensionem consult. 52. n. 6.

Emptor agens pro implemento V. verbo implementum.

De emptore inveniente rem non liberam V. verbo emptio rei non liberae.

Fideicommissarius, qui onus habet investiendi fructus, si aliquam emptionem cum dd. fructibus faciat, ea censetur facta pro fideicommisso, etiam si ab alia persona deinde reimbursaretur de pretio exsoluto cons. 59. n. 4.

Qui dedit pecuniam pro re emenda cum reservatione specialis hypothecae super eadem re, quibus creditoribus emptoris praeferatur V. verbo creditor.

Surdus etiam emere potest consult. 20. n. 6.

Maritus non prohibetur emere pro uxore cons. 1. n. 30.

Emptor inveniens thesaurum in re empta V. verbo thesaurus.

De emptione facta a patre insimul cum filio V. cons. 59. n. 1., et seq.

Quando mulier marito praesente emit; an obstet praesumptio l. Quintus Mutius consult. 1. n. 28., ubi alia de d. l.

Evictio.

Quando nominis venditi promissa fuit evictio, et intentatur actio de evictione, non est curandum de diligentiis contra debitorem cons. 9. n. 16.

Emens pro persona nominanda, si deinde nominat, non tenetur de evictione cons. 19., n. 13.

Venditor qui promisit evictionem pro dato, et facto suo tantum, non tenetur si evictio sequatur ex facto extranei cons. 22. n. 1.

Et quid si vendat rem talem qualem, etc. n. 2.

Emptor qui litem venditori non denunciavit nequit agere de evictione ibid. n. 3.

Venditor qui dicit nolle teneri de evictione nisi pro dato, et facto suo, an adhuc teneatur ad pretii restitutionem ibid. n. 4., et 5.

Vendens rem talem qualem, etc. tenetur ad pretii restitutionem, si agitur non de jure dubio, sed re certa, et haec emptori evincatur d. consult. 22. n. 6. quod tamen quomodo procedat vide n. 7., et 8.

Vendens rem ut dicitur, *per un sacco d' ossa*, tenetur ad pretii restitutionem re emptori evicta ibid. n. 15.

Denunciatio litis non est necessaria si constat de justitia evictionis, quinimo in hoc casu emptor nec minus appellare tenetur n. 16., et 17. ibid., et vide infra.

In praedicto casu potest etiam emptor cum evincente transigere, et deinde omnia damna a venditore recuperare, ut declaratur n. 18. ibid.

Vendens jus quod habet in haereditate non tenetur de evictione consult. 24. n. 11.

Vendita haereditate, evictio debetur si sequatur in tota haereditate, aut in quota, secus si aliqua membra singulariter evincantur ibi n. 12., et 13.

Quod tamen ultimum limitatur sub n. 14.

Evicto uno ex pluribus corporibus venditis, an possit agi tantum pro eo V. verbo venditio plurium corporum, etc.

Re empta evicta agi potest contra venditorem de evictione, et potest emptor agere etiam contra tertios possessores si litem denunciavit, et scientiam oneris non habuit cons. 41., n. 1. etiam si de sola possessionis avocatione ageretur n. 2.

An, et quando scientia onerum praecludat viam agendi de evictione V. n. 3. ibid.

Est necessaria litis denunciatio, ut fuit dictum, et sufficit quod fiat auctori principali, non autem tertiis possessoribus vel fideicommissor. ibid. n. 4., et 5.

Limita quando emptor agit non de evictione, sed pro liberatione a molestiis, et traditione rei liberae n. 6. ibid.

Item limita quando emptor, et venditor in eodem judicio conveniuntur, vel denunciationi fuit renunciatum, vel quando constat venditori nullam competere defensionem n. 7. 8., et 9. ibid.

Ubi evictio est justa, emptor non tenetur nec minus appellare ibid. n. 10.

Emptor ante sententiam, quinimo, et litem motam potest transigere cum creditore habente actionem claram ad rem venditam, et deinde a venditore repetere quod fuit solutum ibid. n. 11.

Quando denuntiatio fuit ab emptore omissa, ei onus incumbit probandi justitiam evictionis d. cons. 41. n. 12.

Emptor an transigendo cum creditore possit reportare cessionem totius crediti, et deinde agere etiam pro summa non soluta cum omnibus damnis, etc. V. ibid. n. 13., et quid ubi venditor jam assumpsit in se litem n. 14.

Litis denunciatio sufficit ut fiat etiam in gradu appellationis ibid. n. 15.

Et ea facta si venditor emptorem non defendit, tenetur ad omnia damna, et interesse, et emptor contra eum agere potest ex iisdem actis, et sententia ibid. n. 16., et 17.

Et hoc est verum etsi emptori res indebite, et injuste evicta fuisset, et etiam si res posita ad hastam per creditorem venditoris fuisset injusto pretio vendita n. 18., et 19. ibid.

Facta denunciatione praedicta, si venditor compareat, ea omnia facere potest, quae emptori permittebantur n. 20. ibid.

F.

Fideicommissarius.

Fideicommissarius quando possit revocare venditiones ab haerede gravato fact., cujus ipse sit haeres V. verbo haeres.

Fructus.

Fructus melioramentorum emptori debentur etiam post superventam malam fidem cons. 51. n. 8.

Emptori debentur fructus ad rationem pretii soluti consult. 58. n. 35.

Emptor tenetur erga venditorem ad fructus si rem, et pretium retinet cons. 58., n. 37.

Vendita re litigiosa an venditor teneatur ad fructus vide verbo venditio rei litigiosae.

Emptor qui ob laesionem rem restituit, non tenetur ad fructus nisi a die motae litis, ad differentiam contractus nulli cons. 12. n. 20.

Emptor eligens justum pretium supplere, et rem retinere, non tenetur pro eo ad fructus recompensativos nisi post moram ibid. n. 21.

Quando laesio est ultra bessem, veniunt fructus a die contractus ibid. n. 22.

Quoties emptor rem, et pretium penes se retinet, tenetur ad fructus recompensativos, etiam si conventum sit, quod emptor non teneatur pretium solvere donec a venditore caveatur de evictione cons. 14. n. 18., et 19. vide etiam cons. 15. n. 1.

Emptor non excusatur a dd. fructibus sub praetextu, quod deposuerit pretium si depositum non est integrum, vel liberum cons. 15. n. 2.

Fructus praedicti debentur etiam in venditione animalium, et aliorum mobilium fructiferorum, et quando res est apta in actu primo producere fructus, etsi facto debitoris percepti non sint, et dantur exempla ibid. n. 3. et 4.

Dispositio l. curabit procedit tam in emptore, quam in venditore n. 5. ibid., et etiam si venditor ex pretio nihil fuisset lucraturus n. 6.

Emptor qui retinet pretium ob imminentem evictionem, vel aliam similem causam tenetur ad dd. fructus n. 7. cum declaratione tamen de qua n. 8.

In venditione de tanta rata, et parte certi, et specificati fundi quae ascendat ad certam summam habent locum fructus praedicti, nec non in promissione de vendendo, et emendo ibid. n. 9. 10.

Dispositio d. l. procedit solum quando fructus fuerunt percepti, dummodo absit culpa possessoris n. 11., et 12. ibid.

Empta re sterili, an fructus recompensativi debeantur vide n. 13.

Et an concessa dilatione ad solvendum habeant locum d. fructus n. 14., et 15.

Est permissa conventio fructuum non obstante dilatione, dummodo non excedatur quantitas fructuum, qui ex re percipiuntur n. 16. ibid.

Conventio praedicta si non apparet, an ex libris, an aliter probari possit n. 17.

Facta obligatione solvendi pretium ad omne placitum venditoris, an habeant locum d. fructus d. consult. 15. n. 18.

Quando fructus a partibus non fuerunt taxati quomodo, et usque ad quam quantitatem judex illos taxare debeat n. 19. 20., et 21.

Quando vero fuerunt taxati debentur jux-

ta hujusmodi taxationem, modo non excedat fructus, qui ex re percipiuntur, alias in d. excessu non sustineretur n. 22. et 23. ibid.

Est tamen standum taxationi donec contrarium probetur ibid. n. 24.

Fructus praedicti excessive soluti imputantur in sortem, vel repeti possunt n. 25. ibid.

Fructus recompensativi an exigi possint recepta sorte vide d. consult. 15. n. ult.

Emptione pro persona nominanda facta, si emptor nominat, debet restituere omnes fructus consult. 19. n. 11.

Vendito fundo omnes fructus sunt emptoris sive maturi, sive immaturi sint consult. 26. n. 1.

Amplia etsi fundus esset locatus, et venditor recepisset affictum dummodo conductor fructus non percipisset ibid. n. 2.

Fructus ad venditorem spectant quando plene maturi erant, et se paraverat, et manum apposuerat cum scientia emptoris ad recollectionem d. cons. 26. n. 3.

Ex magnitudine pretii, aliisque conjecturis praedicta mensurantur ibid. n. 4.

Fructus qui dietim praecipiuntur quomodo sint dividendi, item quomodo sit facienda divisio fructuum in venditione cum pacto redimendi vide n. 5. 6. 7., et seq. ibid.

Fructus partis colonicae non veniunt sub venditione, nisi venditor sua manu, et expensis coleret fundum, et hoc etiam ampliatur n. 12., et 13. ibid.

Quando contractus est nullus fructus sunt restituendi, secus vero si laesivus ibid. n. 14., et 15.

In venditione conditionali fructus, ad quem pertineant, et quid facta vera, vel ficta rei traditione d. cons. 26. n. 16. 17.. et seq.

In venditione tantae ratae, et partis, quae ascendat ad certam summam habent locum fructus recompensativi cons. 34. n. 6.

An ecclesia, minor, etc. possint rem nulliter venditam vindicare una cum fructibus V. verbo venditio rerum ecclesiae, pupilli, et minoris.

An fructus veniant in judicio, quo venditor agit pro recuperatione rei cum pacto redimendi venditae V. consult. 60. n. 59., et consult. 26. n. 5. 6., et 7.

Fur, et Furtum.

Fur si pecuniam derubatam ejus creditoribus solvit, nisi probetur eam non fuisse immixtam cum aliis pecuniis dominus non potest agere contra dictos creditores consult. 4. n. 15.

An redactum ex re furtiva dicatur furtivum vide ibid. n. 17.

G

Gabella

Emptione facta pro persona nominanda unica debetur gabella etiam sequuta nominatione consult. 19. n. 7.

Gabella regulariter ab emptore solvenda est, nisi aliter sit conventum cons. 39. n. 7.

An gabella ab emptore soluta eidem sit restituenda quando contractus rescinditur V. ibid. n. 8.

Alia V. verbo plurium rerum venditio an una, vel plures dicantur venditores.

Ecclesia, et ecclesiastici non tenentur solvere gabellas impositas a statuto laicali cons. 47. n. 2.

Et hoc procedit etiam in ementibus a dd. personis n. 3. ibid.

Qui emit a fisco non tenetur ad gabellas n. 5. ibid.

In dubio judicandum est contra gabellas n. 6. ibid.

Gabella debita in casu venditionis non debetur pro promissione de vendendo cons. 60. n. 30.

H

Haeres.

Contra haeredem, qui factum defuncti vult impugnare, multae obstant exceptiones, quod tamen limita quando d. factum est nullum ob contrarium testatoris praeceptum vel contrariam legis dispositionem, fortius quando haeres est beneficiatus consult. 50. n. 1. 2. 3., et 5.

Haeres qui venditiones a defuncto factas vult revocare, debet tantundem emptori refundere quantum rei valor importat, si haereditas est solvendo ibid. n. 4.

Declaratur text. in l. filius fam. §. cum pater ff. de leg., et fid. primo ibid. n. 6.

Haeres vendens res haereditarias pretio excessivo ob stultitiam emptoris, tenetur solum de pretio justo cons. 60. n. 15.

Haeres vendens hereditatem, quae solvendo non erat non tenetur erga legatarios cons. 60. n. 16.

Hypotheca.

Administratores, negotior. gestores, tutores, etc. an habeant hypothecata propria bona pro redditione rationis V. cons. 45. n. 3.

Hora.

Per appositionem horae contractus redditur magis specificus, et aliis praevalet cons. 6. n. 30.

I

Implementum.

Emptor, vel venditor si agat pro implemento, et ipse pro sui parte non impleverit, obstat ei talis exceptio cons. 58. n. 27.

Qui deficit in implemento an ultra arrhas teneatur etiam ad interesse V. verbo arrhae.

Instrumentum.

Verba instrumenti sunt sumenda eo modo quo sonant cons. 51. n. 5., eisque est

standum donec contrarium probetur cons. 53. n. 1.

Instrumentum habet pro se plures praesumptiones, quae adducuntur ibid. n. 2.

Venditor an teneatur consignare emptori instrumenta creditum venditum justificantia, vel sufficiat indicatio V. cons. 9. n. 19.

In eodem instrumento non datur neque prius, neque posterius consult. 43. n. 6.

Ex instrumento venditionis an rei valor probetur V. verbo valor.

Interpraetatio.

Illa interpraetatio est sumenda, quae actum substinet cons. 58. n. 7.

Inventarium.

Inventarium operatur, ut haeres duplicem repraesentet personam etiam, ut possit facto defuncti contravenire cons. 50. n. 5.

Jus accrescendi.

Jus accrescendi an transeat in emptorem haereditatis V. verbo emptio haereditatis.

Jus Congrui

De jure congrui V. praelatio, et venditio in genere.

Jus Offerendi.

Emptori, seu creditori, cui res aufertur per jus offerendi an sit solvendo omne augmentum cons. 60. n. 52.

An tertius, qui emit sub hasta, vel creditor qui uti tertius ad emendum accedit sit tutus a jure offerendi, et an, et quando creditor dicatur accessisse tanquam tertius cum multis aliis circa hanc materiam V. cons. 27. per tot.

Secundus creditor an uti possit jure offerendi, quando fuit citatus ad subhastationem, et obtulit, aut fuit praesens tantum, aut non comparuit ibid. n. 18., et seq.

Secundus vel alius creditor potest praetendere praelationem per jus offerendi contra emptorem qui solvit anteriori, modo ei refundat omne augmentum, ut in consul. 29. n. 19.

Jus Patronatus.

Venditio juris patronatus principaliter, et de per se facta, est nulla, et vendens varias poenas incurrit cons. 7. n. 1.

Si plures sunt compatroni, et unus tantum vendit pro portione ad eum spectante, beneficium remanet liberum n. 2.

Donatio juris patronatus de per se facta valet cum consensu episcopi ibid. n. 3.

Et sufficit quod d. consensus superveniat post donationem dummodo tamen ante vacationem n. 4., et 5. ibid.

Redditur ratio, ob quam donatio juris patronatus de per se valet ibid. n. 6.

Venditio juris patronatus facta non de per se, sed in consequentiam rei universalis valet d. cons. 7. n. 7.

Et haec propositio exemplificatur n. 8., et 9.

Et in dd. casibus non est necessarius consensus episcopi n. 10.

Licet in donatione juris patronatus de per se requiratur consensus episcopi, non est tamen necessarius in donatione omnium bonorum, et jurium inter quae adsit jus patronatus n. 12. ibid.

Vendens si dicat vendo tibi tale castrum, et juspatronatus, venditio non valet, ibid. n. 13. Secus si omnia bona, et jura vendantur, et in his adsit juspatronatus. Vel si venditor dicat vendo villam, in qua adest juspatronatus, vel alio simili modo, ut explicatur n. 15.

Vendens juspatronatus sub universitate bonorum, si nihil habet praeter juspatronatus, vel parum plus, venditio non valet n. 16. ibid.

Quando juspatronatus est gentilitium, venditio extraneis facta non valet quoad juspatronatus, secus quoad caetera bona ibid. n. 17., et 18.

Jus tertio quaesitum.

Jus tertio quaesitum ei non potest auferri cons. 54. n. 1.

L

Laesio.

Laesio est probanda ab eam allegante consult. 51. n. 9., et consult. 12. n. 5.

Ubi contractus rescinditur propter laesionem, an tunc emptori debeantur melioramenta V. verbo melioramenta.

Testes deponentes de laesione deponere debent quanti res publice vendi potuisset cons. 53. n. 8.

Modicitas pretii, seu laesio non praesumitur, sed est probanda de tempore venditionis cons. 5. n. 10.

Ad effectum, ut pactum de retrovendendo perpetuetur debet esse ultra, vel circa dimidiam cons. 5. n. 11.

Et est habenda ratio ad d. pactum, quod rei valorem minuit ibid. n. 12.

Quando laesio probatur ex consideratione redituum, non debent reditus esse incerti, veluti quia testes deponant aliquando de magno, aliquando de modico reditu d. consult. 5. n. 15.

Quando agitur de re incerta, cessat laesio etiam si ille, qui praetendit se laesum esset minor ibid. n. 16.

Alia vide verbo valor.

Venditione adhuc imperfecta, si res empta fiat deterior, ob quod emptor remaneat laesus quid dicendum, et quomodo laesio sit consideranda, cons. 11. n. 29.

Contrahentes in foro externo possunt se decipere, modo laesio non sit ultra dimidiam,

quidquid sit in interno, consult. 12. n. 1., et 2.
Adducitur exemplum laesionis enormiss., ibid. n. 3.
Ob laesionem enormissimam emptor, et ejus haeredes agere possunt pro rescissione contractus n. 4., ibid.
Laesio est probanda per plenas, et necessarias demonstrationes, et de tempore contractus n. 6., et 7. adhibita tamen distinctione, de qua n. 8.
Ubi constat statum intrinsecum, et extrinsecum non esse mutatum, probatio praesentis valoris deseruit pro praeterito d. cons. 12. n. 9.
Et quando laesio concludenter probari nequit, an stetur judicis arbitrio n. 10., et hoc exemplificatur.
Pro judicanda laesione omnia corpora, partes, qualitates, et circumstantiae, habita etiam ratione ad locum, personas, et tempus, considerari debent n. 12., ibid., et haec propositio exemplificatur n. 13.
Remedium l. 2. habet locum etiam in mobilibus, si sunt notabilis valoris, secus si modici, nisi laesus sit minor d. cons. 12. n. 14., et 15.
An in emptoris arbitrio sit rem restituere, vel pretium supplere, et intra quod tempus V. n. 16., et 17.
Quando laesio est ultra bessem cessat d. emptio, et venditor petere potest manutentionem n. 18. ibid.
Eligente emptore rem restituere, corruunt omnes obligationes medio tempore contractae n. 19.
Non tenetur restituere fructus nisi a die motae litis ad differentiam contractus nulli n. 20. ibid.
Emptor qui justum pretium supplet, non tenetur pro eo ad fructus recompensativos nisi post moram ibid. n. 21.
Quando laesio est ultra bessem, veniunt fructus a die contractus d. cons. 12. n. 22.
Agi potest pro laesione non obstante promissione jurata de non contraveniendo n. 23. sed V. n. 24.
Vendens rem cum protestatione, quod si res quid plus valet intendit donare, an agere possit pro laesione V. n. 25., et 26.
Supposita specifica scientia valoris rei in laeso, non potest allegari laesio, nisi sit minor, vel persona similis n. 27. ibid.
An contra tertium possessorem titulo oneroso agi possit pro laesione V. n. 28. 29., et 30.
Venditor nequit praetendere se laesum fuisse, ex quo emptor reperierit thesaurum in re empta dixi verbo thesaurus.
Venditis pluribus corporibus, si laesio apparet in uno solum corpore, an fit locus rescissioni contractus quoad alia V. verbo venditio plurium corporum, etc.

Lex.

Lex neminem ad disperationem inducit consult. 2. n. 9., et cons. 12. n. 11.
Super virgulto, gallina, aliisque vilioribus jurisprudentia leges dicere dedignata non est cons. 47. n. 1.

Lis.

Quando res litigiosae, nec non jura litigiosa, et incerta vendi possint V. verbo venditio rei litigiosae.
De denunciatione litis vide verbo evictio.

Locatio.

Quando emptor teneatur stare locationi V. verbo emptio rei locatae.

M.

Melioramenta.

Emptori cum pacto retrovendendi reficienda sunt melioramenta consult. 51. n. 3. vide etiam cons. 29. n. 20. ubi alia.
Quando emptori res evincitur, ei sunt restituenda melioramenta, ibid. n. 4.
Fructus melioramentorum an, et quando emptori debeantur V. verbo fructus.
Ubi contractus rescinditur propter laesionem, etiam tunc melioramenta emptori debentur cons. 51. n. 10.
Quae tamen propositio declaratur ibid. n. 11.
Emens a minore non servatis solemnitatibus necessariis, petere nequit melioramenta utilia cons. 51. n. 12.

Mercator.

Inter mercatores, una persona alterius negotia gerere solet, et illius nomine uti cons. 58. n. 5.
In mercatoribus debet exuberare bona fides ibid. n. 21.
In mercatoribus ultra sex, octo, et decem, non est excessiva taxatio interesse ibid. n. 36.

Minor.

De venditione rerum minoris, et pupilli, et solemnitatibus adhibendis V. verbo venditio bonorum ad pupillos vel minores spectan.

Mora.

Si emptor est morosus ad rem recipiendam, an venditor possit eam vendere, et deinde agere pro supplemento pretii V. cons. 60. n. 10.
Modica mora nunquam attenditur, maxime quando non est cum damno alterius irreparabili consult. 58. n. 9.
Morae incursus relinquitur judicis arbitrio, ibid. n. 10.
Supposita interpellatione cum protestatione inadimplementi, tunc dicitur initium morae, ibid n. 11.

Quaelibet levis causa excusat a mora etiam data interpellatione, ibid. n. 12.

Etiam post effluxum octiduum quis dici potest non morosus, ibid. n. 13.

Et haec propositio ampliatur, et exemplificatur n. 14.

Alia vide verbo venditor in genere.

Ob lapsum diei, mora non afficit quando non adest pactum resolutivum, maxime allegato probabili impedimento d. cons. 58. n. 17.

Supposita vera mora, adhuc illius purgatio est admittenda, ut explicatur, ibid. n. 18.

Tempus introductum alicujus gratia, non potest contrarium effectum operari ad indicendam moram illius, ibid. n. 19.

Qui prius est in culpa non executi contractus, ille dicitur morosus consult. 58. n. 33.

Quis admitti debeat ad purgandam moram ex probabili excusatione quod judicis arbitrio remittitur, ibid. n. 39.

Dummodo ille, in cujus odium mora purgatur non remaneat in damno, ibid. n. 40.

Venditoris mora in re tradenda, ei nocet si interim res pereat, et idem dicitur de emptore in recipiendo consult. 11. n. 24., et 25. V. alia V. periculum.

Mulier.

De muliere vendente una cum viro an transferat jura dotalia in emptorem v. verbo venditio in genere, et an praesumatur recepisse pretium V. verbo pretium.

Mulier quae permittit rem sibi pro suis dotibus hypothecatam vendi, an possit contra eam amplius actiones suas dirigere V. cons. 49. n. 13., et seq.

N

Nomen debitoris.

De nomine debitoris vendito vide verbo venditio nominis debitoris.

Novatio.

Data incompatibilitate actuum, pernecesse infertur novatio consult. 58. n. 6.

O

Oblator.

Post perfectam venditionem ad hastam si novus oblator admitteretur, alii etiam essent admittendi consult. 54. n. 2.

Qui plus obtulit, et cui facta est adjudicatio, non potest amplius poenitere ibid. n. 3.

Si d. novus oblator esset admittendus, emptori quodamodo praeclusa esset via rem meliorandi ibid. n. 4.

Novus oblator nec minus admittitur favore minoris, communitatis, et fisci, quando contractus perfectus est, et debitae servatae sunt solemnitates, et justum intervenit pretium, praecipue si emptori possessio est tradita ibid. n. 5.

Ob favorem, et interesse creditorum in concursus bonis subhastatis contrarium aliqui sustinent n. 6.

Praedicti tamen DD. rejiciuntur, ibid. n. 7.

Obligatio Cameralis.

Obligatio cameralis arctius ligat, sed obligationem non auget nec sub ea continetur obligatio insolidum cons. 42. n. 4., et 5.

P

Pacta.

Pacta an possint reservari in arbitrium contrahentium vide verbo contrahentes, ubi alia etiam habebis.

Pactum l. Commissoriae.

De pacto l. Commissoriae V. verbo venditio habita fide de pretio, vel non, ubi allegatur consult. 2. n. 18., et 19.

Pater.

Pater ex justa causa potest vendere bona filii sine solemnitatibus V. consult. 35. n. 32., et seq., ubi quaenam sit justa causa.

Pater an vendere possit bona filii absque ejus consensu, et alia V. verbo venditio bonorum adventitiorum, ubi etiam de hypotheca ejus bonorum.

De re empta a patre pro filio, an post ejus mortem sit cum aliis communicanda, et an patre emente pro alenda familia remaneant obligati filii, et uxor V. emptio in genere.

Periculum.

In venditione ad pondus, seu ad mensuram periculum est venditoris consult. 58. n. 16., et vide infra.

Contractu perfecto quoad substantialia, et cessante culpa venditoris, periculum rei est emptoris, etiam non sequuta traditione cons. 11. n. 1.

Absurdum non est, quod rei dominium sit penes venditorem, et periculum penes emptorem ibid. n. 3.

Ad effectum transferendi periculum rei in emptorem requiritur perfectio non quoad naturalia, sed quoad substantialia ibid. n. 6.

Res debet perire domino suo n. 7. ibid.

Hoc tamen non procedit quando res alteri debetur n. 8. ibid.

In venditione cum reservatione dominii, periculum est emptoris n. 9. ibid.

Facta venditione conditionali, veluti pro pretio aestimando, periculum est venditoris donec aestimatio sequatur d. cons. 11. n. 10. quod tamen limitatur stante rei traditione n. 11.

Facta venditione ad tempus puta ad vitam, vel cum pacto retrovendendi, periculum est emptoris ibid. n. 14., quod tamen n. 15. declaratur.

Multos alios casus circa periculum rei venditae vide in summario d. cons. 11. ubi de venditione tantae ratae certi fundi ascenden.

ad certam summam. De emptione facta a procuratore cum conditione si domino placuerit. De venditione in genere generalissimo. De venditione ad mensuram cum declarat., et limitationibus. De periculo rei ob moram emptoris vel venditoris, et quid si ex. gr. emptor rem recipere recusavit, et postea mutato consilio se offerat, tunc autem venditor sit morosus. Item vide quid dicendum in casu solius deteriorationis rei, et quid ea penitus perempta. Item quid dicendum de periculo quoad pretium, et de periculo rei venditae sine solemnitatibus.

Post perfectam venditionem, damnum, et periculum sicut, et commodum est emptoris cons. 17. n. 2., et dixi supra.

In venditione conditionali, periculum solius deteriorationis est emptoris cons. 26. n. 19. sed vide supra.

De periculo rei in venditione pro pretio declarando V. v. venditio pro pretio declarando.

Quando venditur res, quae consistit in solo jure, et spe, cujus sit periculum cons. 60. n. 24., et 25.

In promissione de vendendo, cujus sit periculum V. cons. 60. n. 38.

Periti.

Periti aestimare debent secundum communem valorem cons. 53. n. 9., et idem dicitur de testibus ibid. n. 8.

Peritus non aestimat, nisi id, quod subjicitur ipsius oculis, vel quod vidit de tempore, juxta quod est facienda aestimatio cons. 5. n. 17.

Et hoc procedit etiam si peritus dicat assumpsisse informationes ab aliis, nam in hoc casu esset examinandus uti testis ibid. n. 18.

In materia morborum standum est judicio periti cons. 18. n. 9.

Facta venditione pro pretio declarando a peritis, si isti declarare nequeunt, an sit locus novae electioni V. verbo venditio pro pretio declarando.

Possessio.

Possessio probatur ex testibus deponentibus de actibus possessoriis cons. 6. n. 9.

Ex traditione clavium dicitur tradita possessio eorum, quae sunt sub clavibus, ut declaratur ibid. n. 10.

Constitutum transfert possessionem, ut dixi verbo Constitutum.

Praelatio.

De praelatione competente ei qui habet promissionem de re non vendenda nisi eidem V. verbo promissio de non vendendo nisi certae personae.

An qui dedit pecuniam pro re emenda, omnibus emptoris creditor: praeferatur V. verbo creditor.

De praelatione domino census competente, dum venditur res censuata V. verbo census.

Si consors, vel vicinus requisiti, an velint praeferri, respondeant quod non, vel negligant jure suo uti per 30. annos, an habeat locum praelatio V. cons. 31, n. 15.

Vicinus consors, et alii, qui volunt praeferri debent deponere pretium, ut declaratur d. cons. 31. n. 16.

Vicinus qui vult praeferri, seu retrahere, quomodo probare debeat dominium rei suae, et an sufficiat, ut sit dominus licet revocabiliter ibid. n. 17., et 18.

De praelatione favore domini directi, dum emphyteusis venditur V. verbo venditio rei emphyteuticae.

Alia vide verbo venditio in genere, et venditio cum pacto, ut res sit specialiter hypothecata alicui creditori emptoris.

Praescriptio.

Emens scienter rem alienam an praescribere possit V. cons. 45. n. 6.

Venditis bonis adventitiis filii a patre, eo vivo, non currit praescriptio contra filium n. 5. ibid.

Praescriptione 40. annorum tollitur omnis actio cons. 46. n. 3. quod tamen limita stante mala fide quae habet locum etiam in act. personal. ibid. n. 4., et 5.

De praescriptione pacti de redimendo V. verbo venditio cum pacto redimendi.

Praesens venditioni rei propriae.

De present. venditioni rei propriae an sibi praejudicet V. verbo venditio.

Pretium.

Receptio partis pretii praecludit viam allegandi contractus resolutionem consult. 58. n. 22.

Et ad hunc effectum traditio non requiritur, sed sufficit d. numeratio ibid. n. 2.

Ubi emptor pretium non solvit, et de eo non fuit habita fides, an sit locus repetitioni rei, vel consecutioni pretii, et quid si de eo habita sit fides, et sit contractum super re tradenda cons. 58. n. 28.

Pretium in empt., et vend. potest esse pro parte certum, et pro parte incertum cons. 23. n. 7.

Et quid si emptor modico pretio soluto promittit solvere debita venditoris ibid. n. 8., et 9.

De venditione pro pretio declarando, et an illud pendere possit a voluntate contrahentium, sicuti et res V. verbo venditio pro pretio declarando.

Quando mulier vendit cum viro, pretium praesumitur ad virum pervenisse, etsi ambo fateantur pretium recepisse cons. 49. n. 10.

In promissione de vendendo quomodo sit taxandum pretium V. verbo promissio de vendendo.

Princeps.

Princeps etiam supremus non potest sine urgenti causa tollere jus competens alicui de jure naturali, vel gentium cons. 5. n. 3.

Et ideo non potest tollere jus tertio quaesitum, quod dicitur de jure gentium ibid. n. 4.

Alia vide verbo subditus.

Procurator ad emendum, vel vendendum.

Procurator ad emendum si emit nomine proprio, interim sibi acquirit, et facit fructus suos, licet cogi possit ad rem tradend. act. personali cons. 28. n. 1. 2.

Procurator post susceptum mandatum debet illud executioni mandare, et non liberatur praestando interesse, ut declaratur n. 3. ibid.

Procurator emens nomine domini, vel simpliciter, ei rem tradere debet cum fructibus, etsi emerit propriis pecuniis ibid. n. 4.

Procurator ad rem emendam, si in ea ipse habeat aliquam portionem, eam mandanti dare debet d. cons. 28. n. 5.

Procurator si rem emptam carius vendat potest mandans praetendere totum pretium n. 6. ibid.

Quid autem dicend. si procurator habeat mandatum pro certo pretio, et ipso minus impendat, an lucrum ejus commodo cedat ibid. n. 7.

Procuratori ad venden. solvi potest pretium, quinimo potest ipse habere fidem de pretio, cum declarationibus tamen de quibus n. 8., et 9. ibid.

Procurator cum solo mandato ad vendend. potest pacisci etiam super accessorio ad venditionem, et hoc exemplificatur n. 10. ibid.

Procurator an dicatur inclusus in facultate sibi concessa de vendendo, et quid si essent duo procuratores, et quid de tutore, administratore, etc. vide d. cons. 28. n. 11.

Procuratore constituto cum solemnitatibus loci, ipse non debet eas in actu venditionis adhibere n. 12. ibid.

Emens a procuratore, et alia simili persona non viso mandato an dicatur in bona fide V. cons. 60. n. 17.

Promissio de non vendendo nisi certae personae.

Promissio praedicta de jure valida est cons. 40. n. 1.

Et obligat promissorem, et ejus haeredes ibid. n. 2.

Debet tamen ipse promissarius agere, non autem ejus particularis successor ibid. n. 3., et 4. ubi hoc exemplificatur.

Alia requisita adducuntur ad hoc, ut promissarius habeat praelationem n. 5. 6., et 7. ibid.

Facta d. promissione si alteri vendatur, habet promissarius actionem personalem contra promittentem, sed emptor praefertur d. cons. 40. n. 8. sed V. n. 7. allegat.

Promittens praedictus cogi non potest ad vendend promissario, nisi declaret velle vendere ibid. n. 9., et 10.

Promissio de vendendo.

In promissione de vendendo ob solutionem etiam non integram pretii dicitur sublata facultas resiliendi a contractu, ut declaratur cons. 58. n. 24.

Habens promissionem de vendendo non praefertur secundo habenti veram rei venditionem V. cons. 6. n. 23.

Promissio de vendendo non est vera venditio cons. 60. n. 29.

An gabella debeatur pro promissione de vend. V. verbo gabella.

Laudemium non debetur ex simplici promissione de vendendo nec ob hanc promissionem incurritur caducitas cons. 60. n. 31.

Promissio de vendendo rem certam, et de vendendo, et emendo certo stabilito pretio, an dicatur vera, et perfecta venditio, et de periculo rei V. cons. 60. n. 32., et seq.

Facta promissione de vendendo etiam accedente stipulatione, haec non obligat promissarium cons. 60. n. 33.

Promissio de vendendo evanescit, ubi certum tempus est appositum, et intra illud non sequitur venditio, etiam si promissor partem pretii receperit d. cons. 60. n. 34.

Facta venditione pro pretio declarando, si personae electae non possunt, aut nolunt declarare, an possit cogi venditor ad novam venditionem ubi praecessit promissio pura de vendendo V. cons. 60. n. 36.

Pretium non est taxandum, de tempore promissionis de venden. ibid. n. 37.

R.

Ratificatio.

Ratificatio quomodo inducatur V. verbo contractus.

Redhibitoria actio.

Emptor inveniens rem emptam mobilem vitiosam, agere potest contra venditorem actione redhibitoria, et quanti minoris cons. 16. n. 1.

Pro mobilibus animatis datur actio redhibitoria directa, et pro inanimatis utilis n. 2., et 3. ibid.

Actio redhibitoria, et quanti minoris alternative cumulari possunt, quinimo si haec secunda fuerit intentata, quod judex possit venditorem redhibitoria condemnare, vide quomodo hoc procedat n. 4., et 5.

Contra venditorem procedi potest, etsi ignoraverit vitium ibid. n. 6.

De protestatione venditoris dicentis nolle teneri de occultis, sed vendere ex. gr. equum

pro bulso, spalato, etc. vel talem qualem, etc. vide. n. 7., et 8.

Si venditor specifice manifestat vitia rei venditae, non tenetur, sicuti quando dicit nolle teneri de tali vitio n. 9. ibid.

Redhibitoria locum habet etsi animal consuptum sit super stallatico, vel mortuum sit ibid. n. 10., et habet locum etiam pro omnibus rebus insimul emptis, quod tamen quomodo procedat vide n. 11.

Emptor qui redhibitoriam intentat, an recuperet expensas, et quas vide n. 12., et seq.

Intentata redhibitoria non resolvuntur hypothecae, per emptorem medio tempore contractae d. cons. 16. n. 15.

Ad effectum agendi supradict: act: opus est, ut praecesserit venditio, vel alius contractus onerosus n. 16. ibid.

Item quod morbus sit gravis, et considerabilis ibid. n. 17., et vide etiam in cons. 17.

Et quod morbus dicatur gravis quando est curatu difficilis etsi non esset continuus vide n. 18. d. cons. 16.

Item requiritur, ut emptor probet morbum ante contractum, vel de tempore contractus ibid. n. 19., et vide etiam cons. 17., et 18.

Venditor excipiens rem effectam esse morbosam culpa emptoris hoc probare debet cons. 16. n. 20. ubi de modo probandi.

In dubio est judicandum, quod sit locus redhibitioni n. 21. ibid.

Quarto requiritur, quod morbus esset latens de tempore contractus, vel saltem equivocus, secus si omnino clarus, et omnibus manifestus, quae tamen declarantur, et limitantur ut n. 22. 23., et seq. ibid.

Tempus ad redhibendum est sex mensium, si redhibitoria intentatur propter morbum, si vero in vim pacti displicentiae est sexaginta dierum n. 27., et 28. ibid.

Tempus ad intentan: actionem quanti minoris civilem, et praetoriam quod nam sit vide n. 29. ibid.

Tempora incipiunt solum currere a die morbi reperti d. cons. 16. n. 30.

Qua cautela uti debeat venditor, ad hoc, ut recipiendo animal sibi ab emptore conductum, sibi non praejudicet vide n. 31.

Morbus sufficit, ut probetur incontinenti vel paulo post venditionem, quod tamen quomodo procedat, et quando morbus dicatur incontinenti probatus vide n. 34., et seq., et in cons. 18.

Pro vitiis animi tantum, non intrat redibitoria d. cons. 17. n. 7.

Vitium recalcitrandi, est animi tantum ibid. n. 8.

Pro vitiis animi tantum, locum habet redhibitoria quando sunt intollerabilia, vel venditor illa sciebat: item quando in contractu est appositum pactum displicentiae, ob quod res potest restitui intra 60. dies eo ipso, quod non placet, nisi aliud tempus sit conventum, aliisque casibus viden: ibid. n. 9. 10. 11., et seq.

Quando agitur de probando vitio non dicitur materia difficilis probationis cons. 18. n. 5., et vide verbo testes.

In materia morborum, seu vitiorum Periti judicio est deferendum n. 9. ibid.

Declaratur Statutum Bononiae disponens, quod morbus existens in animali non elapso mense post contractum, praesumatur adfuisse etiam de tempore venditionis ibid. n. 11.

Reservatio Dominii.

Reservatio dominii favore venditoris resolvitur in specialem hypothecam pro faciliori consecutione pretii consult. 51. n. 1., et cons. 8. n. 6.

Et ideo non impedit quin dominium in emptorem transeat, ibid. n. 2.

Translatio dominii est de natura venditionis, et ideo verisimilius est, ut dominium in d. casu transeat in emptorem, ubi in instrumento adest clausula constituti, ibid. n. 6.

Reservatio dominii tribuit praelationem vendenti etiam adversus creditorem ex causa dotis cons. 8. n. 5.

Alia vide verbo venditio cum reservatione dominii.

Retractus.

De materia retractus V. verbo praelatio, et venditio in genere.

Retrotractio.

In conditionibus voluntariis, non admittitur retrotractio in praejudicium tertii, cui fuit medio tempore jus quaesitum cons. 19. n. 5.

S

Scientia.

In praejudicialibus scientia est plena probanda cons. 22. n. 9.

Sententia.

Sententiae injustae non computantur in numero, nec faciunt rem judicatam etiam stante statuto de duabus conform. cons. 23. n. 1. 2.

Sermo.

Sermo debet referri ad magis proxima cons. 58. n. 8.

Simulatio.

Contractus est nullus ubi est infectus labe verae simulationis, cons. 58. n. 1.

Distinguitur simulatio inter licitam, et illicitam, ibid. n. 2.

Simulatio non praesumitur, sed est ab allegante probanda, cons. 1. n. 31.

Et debet constare de vera, vel verisimili causa simulandi, ibid. n. 32.

In emptione facta a marito ex pecuniis propriis nomine uxoris, non sufficit praesumptio donationis, quia est refundenda pecunia marito n. 33. ibid.

Solutio.

Solutione ejus quod debetur, tollitur omnis obligatio cons. 23. n. 3. Alia vide verbo emptor in genere.

Subditus.

Bona subditorum sunt Principis quoad protectionem, non quoad dominium, et a nemine sine causa auferri possunt cous. 5. n. 8.

Subhastatio.

Circa subhastationem vide nonnulla verbo Oblator.

Vendita re ad hastam pro satisfacien: creditor: si emptor deficiat in solutione pretii licitum est rem retrahere cons. 2. n. 28.

Praelatio concessa domino census dum res censita venditur militat etiam in subhastatione, vide verbo Census.

In venditione ad hastam factum judicis habetur pro facto partis consult. 13. n. 8.

Venditio quae fit ad hastam ob debitum sponte creatum a domino fundi videtur ab eodem domino fieri sponte, ibid. n. 9.

Creditor tamquam tertius admitti potest ad licitandum, et offerendum in publica subhastatione consult. 27. n. 7. ubi quando uti talis accedere dicatur, et alia pulchra circa jus offerendi.

Successor.

Successor dicitur particularis, quando titulus, quo mediante succedit est particularis consult. 37. n. 3. ubi loquitur in terminis emptoris, ut non teneatur stare locationi.

Surdus.

Surdus etiam emere potest consult. 20. n. 6.

T.

Testator.

Quando testator potuit mutare testamentum, et illud non mutavit videtur illud approbasse cons. 55. n. 5.

Quoties testator rem legatam libere non vendidit, non videtur voluntatem mutare voluisse, ibid. n. 6.

Testes.

Testes, et Periti respicere debent onus pacti de retrovendendo, cui res subijcitur, quod minuit aliquando circa sextam, et aliquando circa tertiam partem veri valoris, consult. 53. n. 10.

In causa redhibitoriae testis singularis non probat, maxime quando aliqua adest amaritudo cum eo, contra quem deponit n. 2. cons. 18.

Testis deponens de certa die per verba nifallor non concludit ibid. n. 3.

In materia difficilis probationis standum est etiam testibus singularibus, et non omni exceptione major. ibid. n. 4.

Testes plures, qui non sunt formiter repetiti, quam probationem faciant, vide cons. 18. n. 10.

Thesaurus.

Emptor de jure communi sibi acquirit Thesaurum in re empta repertum cons. 33. n. 1.

Thesaurus definitur n. 2., ibid.

Vendenti non competit remedium l. 2. C. de rescind. vend. ob d. Thesaurum ab emptore repertum, ibid. n. 3.

Emptor thesaurum sibi acquirit, etsi quando emit sciat eum in fundo reperiri n. 4. ibid.

Pecuniae an, et quando veniant sub nomine Thesauri V. n. 5., et 6. ibid.

Thesaurus inventus per suem, vel aliam bestiam, cui acquiratur, ibid. n. 7.

Thesaurus acquiritur ei, qui illum apprehendit, etsi alius primo viderit d. cons. 33. n. 8.

Transactio.

De transactione facta ab emptore cum creditore venditoris V. verbo evictio, et emptor in genere.

V.

Valor.

Ad probandum rei valorem ex consideratione redditnum pro dignoscenda laesione, debent dicti redditus concludenter probari per quinquennium ante contractum, et per quinquennium post, cons. 5. n. 13.

Quinimo aliqui loquuntur de decennio ante, et de decennio post n. 14.

Ex relatione peritorum in arte, valor rei probatur cons. 60. n. 40.

Pariter probatur ex instrumentis praediorum vicinorum, si constat esse ejusdem qualitatis, ibid. n. 41.

Instrumentum venditionis facit probationem praesumptivam justi rei valoris, donec probetur contrarium, ibid. n. 42.

In aestimando rei valore, ad quid sit habenda ratio, vide nonnulla verbo periti, et testes.

Venditio bonorum fideicommissariorum.

Venditio bonorum fideicommissariorum, an fieri possit pro dote constituenda, vide verbo Dos.

Venditio cum pacto redimendi.

Hujusmodi contractus non praesumitur foeneratitius, etiam si venditor remaneat in possessione rei venditae cons. 53. n. 3.

Et expresse approbatur a jure civili, ibid. n. 4.

Et est permissus etiam de jure canonico, et divino n. 5.

Contractus tamen praedictus potest esse foeneratitius ex concurrentibus conjecturis ibid. n. 6.

Successiva locatio non est conjectura sufficiens, nisi alia concurrat, veluti modicitas pretii, ibid. n. 7.

Pro aestimandis rebus, an sit habenda ratio ad onus praedictum V. verbo periti, et testes.

In venditione cum d. pacto laesio etiam juncta cum successiva locatione debet esse ultra dimidiam d. consult. 53. n. 11.

Ad subvertendum contractum praedictum conjecturae debent esse efficaces, dilucidae, et non hominis, ibid. n. 12.

Conjecturae ex quibus contractus arguitur simulatus, sunt elidibiles per alias contrarias, ibid. n. 13.

Quando contractus fit ex necessitate remanet exclusa simulatio, etiam si tunc concurrant conjecturae, quae alias sufficerent, ibid. n. 14.

Ubi constat de originali veritate contractus saltem per conjecturas, tunc nec pactum de retrovendendo, nec modicitas pretii, nec subsequuta locatio, nec aliae similes conjecturae officiunt, sed attenditur an ob laesionem locus sit remedio l. 2. C. de rescind. vend. ibid. n. 15.

Elapso termino praefixo, non potest amplius res redimi cons. 5. n. 1.

Et emptor tempore elapso potest de re libere disponere n. 2., ibid.

Quando pactum redimendi expiravit non potest Princeps illud suscitare, si vero durat, potest illud prorogare, ibid. n. 5.

Emptor cogi potest ad retrovendendum durante termino, alias non, ibid. n. 6.

Venditio cum pacto redimendi perpetuatur ob modicitatem pretii d. cons. 5. n. 9.

Et circa modicitatem pretii vide verbo laesio.

Judex ordinarius intra 36. dies post elapsum tempus potest admittere venditorem ad redimendum ibid. n. 19.

Limita stante pacto resolutivo contractus ob quod nec modica mora purgari potest ibid. n. 20.

Venditor cum pacto redimendi si vult redimere debet offerre omne incrementum a natura, vel ab homine proveniens cons. 29. n. 20.

Venditis pluribus corporibus cum pacto redimendi, an pactum exerceri possit in uno tantum corpore V. verbo venditio plurium corporum, etc.

Contractus venditionis cum d. pacto sive prorogetur a principe, sive ab emptore, an utrobique agi possit executive in vim prioris obligationis V. cons. 60. n. 44.

An minori detur restitutio adversus lapsum temporis ad redimendum ibid. n. 46.

In hoc contractu mulier, persona nobilis, rusticus, etc. non praesumuntur habuisse animum foenerandi ibid. n. 47.

Venditione facta a pluribus, an quilibet agere possit ad redemptionem totius V. d. cons. 60. n. 48.

Pactum, quo venditor non potest redimere, nisi post certum tempus inducit praesumptionem fraudis ibid. n. 49.

Vendens cum d. pacto non potest cogi ad redimendum ibid. n. 50.

In pacto retrovendendi, an omne incrementum, et decrementum sit emptoris d. cons. 60. n. 51., et seq. ubi hoc exemplificatur etiam in terminis juris offerendi.

An sufficiat sola oblatio pretii quando quis vult redimere ibid. n. 53.

Circa tempus necessarium ad praescribendum d. pactum, et quid si esset conceptum per verba semper, et quandocumque vel cum juramento renunciatum cuicumque praescriptioni; item an transeat ad haeredes, et sit cessibile etiam ad extraneos; item an fructus veniant in judicio, quo venditor agit pro recuperatione rei; item an redimi possit contra tertium, cui a primo emptore sit venditum; item an facta venditione cum d. pacto, et successiva locatione si elapso termino tacite prorogetur locatio, censeatur etiam prorogatum d. pactum, vide allegat. in consult. 60. n. 56., et seq.

Alia vide verbo emptor, et emptio in genere.

Venditio habita fide de pretio, nec non cum multis circa praelationem venditoris adversus emptoris creditores.

Quando res vendita fuit habita fide de pretio, et ulterius tradita est emptori, sunt praeferendi venditori creditores anteriores emptoris cons. 2. n. 4.

De aequitate contrarium sustinent aliqui n. 5.

Prima tamen sententia est verior n. 6.

Praefertur tamen venditor, quando emptor dolose, et fraudulenter emit ibid. n. 7.

Conjectura doli, et fraudis in proposito resultat ex eo, quod emptor de tempore emptionis agnosceret se non esse solvendo, et tamen emere voluit d. cons. 2. n. 10.

Alia conjectura resultat ex eo quod emptor de tempore emptionis fugam meditabatur n. 11.

Et n. 12. traditur modus probandi hanc praemeditationem.

Venditor praefertur quando non fuit habita fides de pretio ibid. n. 13.

Et n. 14. docetur quando dicatur habita fides de pretio.

Venditio mercium in nundinis non praesumitur facta habita fide de pretio ibid. n. 15. maxime ubi venditae sunt personis ignotis, et advenis.

In dubio non praesumitur habita fides de pretio d. cons. 2. n. 17.

Stante pacto, quod emptore non respondente tempore statuto, locus sit resolutioni contractus, et res inempta dicatur, potest venditor rem vendicare emptore non solvento ibid. n. 18.

Pactum praedictum suum operatur effectum volente eo, de cujus utilitate agitur ut declaratur n. 19.

In venditionibus ad hastam, nec non in eis, quas faciunt Tutores, Curatores, etc. non potest haberi fides de pretio, alias nullum jus quaeritur creditor. emptoris d. consult. 2. n. 28., et 29.

Alia circa praedicta vide verbo venditio cum reservatione dominii.

Venditio cum reservatione dominii.

Reservatio dominii favore venditoris usque ad pretii solutionem non impedit translationem dominii, ut declaratur consult. 2. n. 20.

Quia tamen resolvitur in specialem, et privilegiatam hypothecam venditor praefertur omnibus emptoris creditor. ibid. n. 21.

Et praelatio competit etiam contra eum, qui mutavit pecuniam ad rem emendam cum reservatione specialis hypothecae, et etiam favore causam habentis a venditore ibid. n. 22.

Et etiam adversus creditorem ex causa dotis ibid. n. 23.

Stante Statuto, quod venditor habeat dominium reservatum in re vendita, venditor habet privilegium d. praelationis ibid. n. 24.

Nullo jure prohibetur d. reservatio dominii ibid. n. 25.

Stante d. reservatione, venditor agere potest contra tertium possessorem rei venditae per viam Salviani n. 26. ibid.

Pactum reservationis dominii, ut tribuat venditori d. praelationem debet fieri in ipso limine contractus, et saltem in ipso actu traditionis ibid. n. 27.

Alia vide verbo reservatio dominii.

Venditio ad corpus, vel ad mensuram.

Quando venditio dicatur ad corpus, et quando ad mensuram, et de pretii augmento vel diminutione vide cons. 3. n. 1. 2., et 3., et seq. ubi etiam intra quod tempus sit petenda mensuratio.

Pretium non est minuendum si res reperiatur minor mensura expressa, si est tantae bonitatis, ut sit proportionata pretio convento cons. 3. n. 7.

Idem est quando res fuit vendita cum protestatione, ut quantacumque sit totum veniat in praesenti venditione ad corpus, etc. ibid. n. 8.

Amplia, ut idem juris sit quoties quantitas fuit expressa cum dictione *incirca* ibid. n. 9.

Quod tamen procedit cum distinctione, de qua n. 10. ibid.

Pretium non est minuendum ob minorem mensuram repertam ubi plura corpora insimul vendita sunt, et in uno mensura enunciata deficit, in altero vero excedit ibid. n. 11.

Mensuratio debet fieri expensis communibus, nisi aliter sit conventum d. cons. 3. n. 12.

Venditio ad mensuram dicitur imperfecta quoad dominium, et periculum, quod est venditoris donec mensuratio fiat, perfecta tamen est ad hoc, ut a contractu recedi non possit, et etiam quoad pretium, ad quod emptor tenetur, etsi deinde augeatur, vel minuatur ibid. n. 13. 14. 15.

Quando certum corpus fuit venditum cum distributione pretii in singulas partes, venditio dicitur perfecta etiam quoad periculum ante mensurationem secundum aliquos, sed contrarium est verius ibid. n. 16. 17.

Adversariorum sententia procedit quando pro toto corpore certum pretium est constitutum ibid. n. 18.

Et in tali casu instrumentum habet paratam executionem d. consult. 3. n. 19.

Venditio ejusdem rei pluribus facta.

Eadem re pluribus vendita, ille praefertur cui primo est tradita possessio cons. 6. n. 1.

Venditor in hoc casu tenetur ad damna, et interesse ibid. n. 4.

Cui fuit res tradita praefertur, etiam si ei esset facta venditio cum reservatione dominii, et habita fide de pretio ibid. n. 5.

Amplia etiam si haberet solum pro se promissionem de vendendo, et alteri esset de facto res vendita n. 6. ibid.

Si princeps eamdem rem pluribus vendat, primus emptor praefertur ibid. n. 11.

Item primus praefertur quando secundus, cui facta fuit traditio sciebat rem alteri esse venditam n. 12.

Alios tres casus, in quibus primus praefertur secundo habenti veram, et realem rei possessionem vide ibid. n. 13. 14., et 15.

Primus emptor, qui habet rei possessionem per constitutum, non praefertur si venditio ei facta fuit conditionalis, et ante purificatam conditionem res alteri pure vendita fuit, et ei tradita d. cons. 6. n. 18.

Alios quinque casus, in quibus primus emptor praefertur vide ibid. n. 20. 21., et seq.

Venditio nominis debitoris.

De nominibus debitorum actionibus, etc. disponi potest cons. 9. n. 1.

Consensus debitoris non est necessarius in venditione, sed bene in delegatione n. 2. ibid.

Vendens nomen debitoris tenetur illum ve-

rum debitorem, non vero exigibilem praestare ibid. n. 3. etiam si vendens promisisset defendere, et indemnem conservare emptorem n. 4.
Quando autem verus dicatur debitor vide n. 5., et 6.
Si vendens dixit nolle teneri de evictione nominis predicti, adhuc tenetur ad pretii restitutionem, quod ampliatur etiam si venditum esset tale quale, etc. n. 7., et 8.
Ad differentiam venditionis actionis incertae, seu juris, quod quis habet in re d. cons. 9. n. 9.
Si nomen debitoris promissum sit verum, bonum, et exigibile, an tale sit semper manutenendum, et quomodo vide n. 10. 11., et 12.
Emptor nominis praedicti antequam agat contra venditorem debet prius excutere debitorem, quod quomodo intelligatur vide n. 13. 14., et seq.
Quando emptor est negligens in exigendo nomen debitoris debet sibi imputare si interim fit non solvendo n. 17., et 18. ibid. ubi quod in hoc statur judicis arbitrio.
Venditor an teneatur consignare emptori instrumenta creditum venditum justificantia, vel sufficiat sola indicatio v. d. cons. 9. n. 19.

Venditio rei litigiosae, et jurium incertorum, et litigios.

Lite pendente, res litigiosae vendi non possunt, alias agi potest contra tertios emptores via recta, et absque novo processu cons. 10. n. 1. quod sub n. 2. ampliatur etiam si tertius bona fide emisset.
In hoc tamen casu citandus est dictus tertius possessor n. 3. ibid.
Vendita, et tradita emptori re litigiosa, adhuc venditor tenetur ad fructus, quos percepit d. rei emptor ibid. n. 4.
Vitium litigiosi contrahitur quando agitur de dominio, et rei vindicatione, vel possessorio, secus si de mera actione personali n. 5., et 6. ibid.
In hoc ultimo casu via recta agi non potest nisi supposita scientia acquirentis de ipsa lite, et aliis casibus, de quibus n. 7.
An autem praedicta procedant ubi a contractu abfuit fraus, et malus animus rei illudendi Actorem vide n. 8.
Et adducuntur exempla sub n. 9. 10., et 11.
Venditiones jurium, et actionum litigiosarum, et incertarum improbatae sunt d. cons. 10. n. 12.
Hoc tamen procedit in maligno litis redemptore, ita ut non possit agere contra debitorem nisi pro pecunia vendenti soluta, ut explicatur n. 13. ibid.
Quando agitur de venditione actionis certae, venditio valet in totum, ibid. n. 14.
Item valet quando constat a contractu abfuisse omnem calliditatem, et malum animum vexandi debitorem, ibid. n. 15.
Contra d. prohibitionem aliquibus locis dispensatur, ut n. 16.

Venditio rei incertae.

Res dicitur incerta ratione loci, et quotae quando venditur pars unius fundi ea tamen non concordata, nec circa quantitatem, nec circa locum, et contractus stante hujusmodi incertitudine non valet cons. 34. n. 1.
Limita quando res non est incerta in genere generalissimo, veluti dum venditur tanta rata, et pars certi fundi, quae ascendat ad certam summam n. 2. et 3. ibid.
Incertitudo rei reddit imperfectam venditionem quando est incerta in se, secus si est in se certa licet partibus ignota, ibid. n. 4.
Ex hac venditione non transfertur dominium in emptorem licet non sit locus poenitentiae, ibid. n. 5.
Alia V. verbo fructus.

Venditio rei alienae.

De hac venditione vide verbo praesens venditioni rei propriae.

Venditio rei legatae.

De venditione rei legatae vide verbo alienatio.

Venditio rei censitae.

De hac venditione vide verbo census.

Venditio haereditatis.

Vide verbo emptio haereditatis, et verbo evictio.

Venditio coacta.

Vide verbo venditio in genere.

Venditio bonorum ad pupillos vel Minores spectan.

Ut praedictae personae vendere valeant requiritur justa, et urgens causa cons. 35. n. 1.
Si venditio fiat pro solvendis debitis requiritur creditorum urgentia nisi debitum currat sub usuris, ibid. n. 2.
Multa requisita adducuntur in dd. venditionibus necessaria n. 3. 4. 5. et seq. ubi de praesentia tutoris, pupilli, veritate causae, de decreto judicis, aliisque.
Et V. verbo decretum.
Minor potest bona sua nulliter vendita vindicare etiam pretio non restituto, nisi probetur versio in ejus utilitatem d. cons. 35. n. 16., et hoc procedit etiam contra tertium n. 17.
Juramentum supplet defectum solemnitatum quod tamen non procedit stante statuto praesumente contractum simulatum, etc. ibid. n. 18. et 19. et rursus limitatur in Statu Ecclesiastico in vim Aegidianae, cum ampliatione de qua n. 20., et 21.
Multi adducuntur casus, in quibus bona praedicta vendi possunt sine solemnitatibus d. cons. 35. n. 22., et seq.

Alia V. infra verbo venditio rerum Ecclesiae.

Venditio rerum Ecclesiae.

De requisitis adhibendis in venditione rerum Ecclesiae V. cons. 36. n. 1., et 2.

In d. venditione potest reservari beneplacitum et, donec obtineatur, contractus stat in suspenso favore Ecclesiae, et locus est poenitentiae, non vero post, ibid. n. 3., et 4.

An, et quando in Statu Ecclesiastico d. beneplacitum praesumatur ob lapsum 30. annorum, ibid. n. 5., et 6.

Et quid dicendum quando contractus est inter duas Ecclesias, ibid. n. 7.

Etsi contractus sit nullus ob defectum solemnitatum, tamen Ecclesia potest ei velle stare, non obstan. Constitut. Paulina, et decreto irritanti, etc. d. cons. 36. n. 8., et 9.

Et hoc etiam dicitur de minore ibid. n. 10.

Potest tamen contrahens cum eis instare pro declaratione, an velint stare contractui, et d. declaratio est facienda cum solemnit., et sumpt. Ecclesiae ibid. n. 11., et 12., et 13. ubi quod hoc procedit etiam in contrahente cum minore.

Quando Ecclesia recedit a contractu, et rem vendicat, debet restituere pretium in quantum est facta locupletior, ita ut emptor hanc locupletationem probare debeat, et quomodo probetur V. n. 14. 15, et 16. ibid.

Stante nullitate contractus, Ecclesia potest rem vendicare una cum fructibus a die contractus dummodo ipsa solvat fructus recompensativos pro pretio in ejus utilitatem verso, et quid ubi contractus est nullus ob non servatam formam beneplaciti a commissario, ibid. n. 17. 18., et 19.

Multos tamen casus, in quibus non sunt necessariae d. solemnitates vide d. cons. 36. n. 21. usque ad finem.

Venditio rei emphyteuticae.

Emphyteusis vendi potest, quando emphyteuta hujusmodi facultatem habet a domino consult. 38. n. 2., et 3.

Emphyteuta qui, salvo jure, et consensu domini vendit, sed rem non tradit, vel cum sola clausula constituti, caducitatem non incurrit, ex quo non obtinuerit prius consensum domini, ibid. n. 4.

Venditio facta cum d. protestatione non dicitur conditionalis, sed in vim illius dicuntur praeservata jura domini n. 5., et 6.

Emphyteuta, qui non habet facultatem vendendi, et vendit, et rem cum effectu tradit, caducitatem incurrit non obstante clausula salvo jure, etc. nisi addantur verba, et non alias aliter, nec alio modo n. 7. et 8. ibid.

Vendita re emphyteutica cum d. clausula, venditor debet hujusmodi consensum impetrare, nisi aliter sit conventum ibid. n. 9.

Fieri potest venditio rei emphyteuticae quando res ab emptore facile recuperari potest, et haec propositio exemplificatur d. cons. 38. n. 10.

In venditione rei emphyteuticae necessaria, non requiritur consensus domini ad effectum evitandi caducitatem, sed tamen locum habet praelatio favore domini, et praedicta exemplificantur, ut n. 11. 12. 13. 14. ibid.

An, et quando bona emphyteutica possint alienari ad praejudicium successorum V. allegat. n. 15. et 16. ibid.

Venditio plurium corporum, an unica vel plures dicantur venditiones, et quaenam differentia cadat inter unum, et alterum casum.

Tot sunt venditiones, quot sunt corpora vendita, si venditio est facta pro pretiis distinctis, vel singula corpora fuerunt aestimata, nisi emptor non nisi omnia corpora insimul fuisset empturus consult. 39. n. 1.

Quod ampliatur etsi venditio in numero singulari fuisset appellata, et summae coacervatae, ibid. n. 2.

E contra vero quando in venditione unicum constituitur pretium dicitur unica venditio ibid. n. 3. quae tamen propositio limitatur, et declaratur, ut n. 4., et 5.

Ubi venditio plurium rerum habetur ut una, unica debetur gabella, secus vero ubi plures censentur venditiones n. 6. ibid.

Venditio plurium corporum, quando plures continet venditiones, et laesio apparet in uno corpore, est locus rescissioni solum quoad illud, ibid. n. 9.

Idem dicitur de venditione plurium corporum cum pacto redimendi n. 10. ibid.

Et quid dicendum de evictione, ubi scilicet unum tantummodo corpus evincitur V. ibid. n. 11.

Venditio facta a pluribus.

Cessante clausula in solidum, ubi plures accedunt ad vendendum, unusquisque tenetur pro virili, et hoc procedit etiam in rebus communiter venditis, et etiam in pluribus accedentibus ad emendum consult. 42. n. 1. 2., et 3.

Amplia non obstante obligatione camerali ibid. n. 4.

Venditio ad hastam.

Circa venditionem ad hastam vide verbo Subhastatio.

Vendens rem cum pacto, quod sit specialiter hypothecata alicui creditori emptoris.

Vendens cum d. pacto tribuit praelationem eidem creditori adversus alios, et d. pactum valet cons. 43. n. 1. et 2.

Et hujusmodi pactum emptor quoque in instrumento apponere potest, ibid. n. 4.

Amplia sive d. pactum apponatur in principio, sive medio, aut fine, ibid. n. 6.

Creditores tamen privilegiati praeferuntur non obstante d. pacto, nisi pactum sit taliter conceptum, ut privilegiatos excludat n. 7. ibid.

Venditio bonorum adventitiorum.

Venditio adventitiorum a patre facta est nulla, nisi per tertios possessores doceatur de justa causa, vel evidenti utilitate cons. 45. n. 1.

Et filii in d. casu habent electionem agendi vel contra tertios possessores, vel contra bona paterna, ibid. n. 2.

An bona patris in d. casu remaneant hypothecata V. ibid. n. 3.

Donec pater vivit, filiis est praeclusa via agendi d. cons. 45. n. 4.

Venditis dd. bonis a patre, praescriptio non currit contra filios, eo vivente ibid. n. 5.

Venditio pro pretio declarando.

Venditio pro pretio declarando a personis electis, vel eligendis valida est, si deinde ab ipsis fiat declaratio cons. 48. n. 2.

Pretii rei, ejusque partium integralium declaratio pendere nequit a voluntate contrahentium n. 3. ibid. ita ut locus sit poenitentiae donec sequatur declaratio etsi res sit tradita n. 4.

Ante factam declarationem, dominium et periculum non transfertur in emptorem n. 5. ibid. nisi vera traditio sit facta, ut explicatur n. 6.

De venditione facta simpliciter pro pretio, quod concordabitur V. consult. 48. n. 7.

Venditio pro pretio declarando non sustinetur si personae electae nolunt, aut non possunt declarare n. 8. ibid. nec in hoc casu aliae eligi personae, nec haberi recursus ad judicem, ut n. seq.

Ad judicem recurritur ob aliquod accidentale remissum in arbitrium tertii, puta pretii additio, etc., ut explicatur n. 10. ibid.

Ad novam electionem peritorum devenitur, quando electi fuerunt discordes ibid. n. 11.

Facta venditione pro pretio declarando, si personae electae nolunt, aut non possunt declarare, potest cogi venditor ad novam venditionem faciendam, si praecessit promissio pura de vendendo cons. 60. n. 36.

Venditio facta a muliere insimul cum viro.

De hac venditione V. verbo venditio in genere.

Praesens venditioni rei propriae.

Praesens, et non contradicens, dum poterat contradicere, sibi praejudicat cons. 57. n. 1.

Contrarium tamen alii sustinent n. 2.

Praesens venditioni rei propriae, et non contradicens sibi non praejudicat ibid. n. 3.

Praesens venditioni rei propriae actum illum impedire nequit ibid. n. 4.

Venditio rei alienae fieri non potest ad praejudicium domini, qui agere potest primo contra rem, deinde in subsidium contra pretium ibid. n. 5.

Dominus rem suam evincere potest etiam si emptor bona fide emisset n. 6.

Venditio facta a non domino, si postea efficiatur dominus valet ibid. n. 7.

Venditio praedicta inter ipsos contrahentes valet, ita ut qui bona fide emit, agere possit contra venditorem pro restitutione pretii, et ad damna, et interesse ibid. n. 8.

Vendens rem cum reservatione dominii, si deinde illius venditioni praesens inveniatur sibi non praejudicat ibid. n. 9.

Ubi constat aliquem ad contractum accessisse non animo consentiendi, sed ad alium effectum sibi non praejudicat n. 10. ibid.

Adducuntur hanc propositionem exemplificantes n. 11.

Praesens, et non contradicens sibi praejudicat certis casibus, qui referuntur ibid. n. 12.

De promissione de vendendo V. Promissio de vendendo.

Venditio, et venditor in genere.

Venditor vini, ut habeat facultatem illud effundendi ob lapsum diei praefixi emptori ad illud recipiendum, alia requiritur mora incurrenda per novam interpellationem consult. 58. n. 15.

Tunc permissum est venditori recedere a contractu, quando non potest consequi finem, ob quem motus est ad vendendum ibid. n. 25.

Venditor agens pro implemento vide verbo Implementum.

In venditione quando res dicatur integra, et quando locus sit resolutioni contractus, vide verbo Contractus.

Emptore non solvente tempore statuto, potest venditor rem vendicare stante pacto l. commissoriae, vide verbo Venditio habita fide de pretio, nec non.

Venditio actionis certae, valet in totam cons. 10. n. 14.

Vendens rem talem qualem, an ad quicquam teneatur vide cons. 22. n. 2.

Et de hac re alia vide verbo Evictio.

Venditio simplex obligat solum personam vendentis cons. 6. n. 2.

De periculo rei venditae vide verbo Periculum.

An dominium sit de natura, vel substantia venditionis, et an ad venditionis per-

fectionem requirantur naturalia, vel substantialia contractus vide verbo Dominium.

Aliaque vide verbo Contractus.

Venditor praesumitur qualitates, et onera rei scire, et ideo debet clare, et non confuse certiorare emptorem cons. 22. n. 11., et 12.

Culpa venditoris in non patefaciendo onera rei praefertur culpae emptoris in ea non perquirendo ibid. n. 14.

Vendens rem, ut dicitur *per un sacco d' ossa* tenetur ad pretii restitutionem ibid. n. 15.

Venditor, vel alius vicinus debet praestare commoditatem itineris emptori cons. 25. n. 14.

Antequam dominium in emptorem transeat, venditor potest illud certo modo limitare dixi verbo Dominium.

Ante sequutam rei traditionem venditio non videtur perfecta cons. 58. n. 26. V. etiam cons. 20. n. 1.

Contractus venditionis consistit in re, consensu, et pretio, quod fortius inter mercatores procedit. Consult. 58. n. 32.

Quod venditio fiat ex causa necessaria, vel voluntaria, hoc non immutat naturam venditionis consult. 13. n. 7.

Venditio ad hastam ob debitum sponte a debitore super re creatum, videtur ab eodem sponte fieri ibid. n. 9.

Post perfectam venditionem, damnum, sicut, et commodum est emptoris cons. 17. n. 2.

Scriptura non est de substantia venditionis, et probari potest per testes, et aliis modis cons. 20. n. 3.

Quod tamen quomodo intelligatur V. n. 4., et 5.

Contractus venditionis inter absentes contrahi potest per nuncium, litteras, etc. n. 6. ibid.

Verba *con li patti, che li contraenti saranno d' accordo* respiciunt accidentalia contractus cons. 20. n. 7.

Alia vide verbo contrahentes.

Omnia quae sunt affixa rei venditae per ferruminationem, vel applumbationem, vel ibi posita, ut perpetuo maneant, veniunt in venditione, et sufficit unum, vel alterum, vel verisimilis partium intentio consult. 25. n. 1., et 2.

Ex quantitate pretii arguitur quid, et quantum in venditione comprehendatur, et est etiam considerandus tenor instrumenti n. 3., 4. ibid.

Statuae affixae rei venditae an veniant, item an veniat apotheca, quae est sub eodem muro, fundamento, etc. An veniant claves, viridarium, an veniat argentum, resve pretiosae inventae ex. gr. in ballis emptis; an veniant servitutes, fructus, commoditates, pisces, columbi, et alia animalia, pali lapidicinae, et an vendita equa, asina, etc. censeatur venditus pullus, item fraenum, sella, ac alia ornamenta vide de his omnibus cons. 25. n. 5. ad finem.

Alia vide verbo Fructus.

Nemo invitus rem suam alteri vendere cogitur etsi agatur inter fratres cons. 31. n. 2. 3.

Agnato successori quando venditur feudum, et domino directo quando venditur utile dominium, an detur praelatio V. ibid. n. 4. 5. 6., et seq.

Ut consors, vel vicinus praeferatur necessaria est aliqua constitutio, seu statutum ibid. n. 9.

Clerici comprehenduntur sub d. statuto etiam passive eo modo, quo declaratur n. 10., et 11. ibid.

Stante statuto super jure congrui, si fiat venditio ad tempus, vel cum certo onere, quomodo locum habeat retractus, item quando res vendita est a vicino divisa per viam publicam, vel flumen, et quid si quis sit conjunctus vicino per pontem, vel agitur de via vicinali, vel simplici aquae rivo vide ibid. n. 12. 13. 14.

Alia V. verbo Praelatio.

Quoties agitur de bono pacis, vel de publica utilitate, vel necessitate quis cogi potest ad vendendum Consult. 32. n. 1. et 2. ubi tamen, quod hoc non procedit pro re, quam quis pro suo usu habet, et quoad ecclesiasticos judex secularis debet accedere ad episcopum.

Pro fabricandis scolis, potest quis cogi ad vendendum ibid. n. 3., et 4. ubi etiam an sufficiat publica utilitas secundario.

Pro aedificanda, vel amplianda ecclesia, ejus atrio, dormitorio, claustro, viridario, et quando ecclesia non habet condecentem situm, potest cogi vicinus, ut supra d. consult. 32. n. 5., et 6.

An autem quis cogi possit ad vendendum capellam sui juris patronatus, in qua habet sepulcrum suorum majorum V. ibid. n. 7.

Vicinus tenetur vendere ecclesiae actionem altius non tollendi eidem damnosam ibid. n. 8.

Ad effectum aliquem cogendi ad vendendum multa requiruntur, de quibus n. 9., et 10.

Quoties quis vendere cogitur, ei debet fieri pretii solutio d. n. 10.

Urgente tamen extrema necessitate potest ecclesia cogere vicinum ad vendendum, habita fide de pretio, ut declaratur n. 11. ibid.

Quis cogi potest ad vendendum victualia publice venalia exposita, idemque est de re posita ad publicam hastam, ut tamen declaratur n. 12., et 13.

Vigore constitut. Gregor. XIII. super aedif., etc. aedificare volens post cogere vicinum ad sibi vendendum rem contiguam, etiam si ad ecclesiam spectaret, ut declaratur ibid. n. 16.

Inter donantem, et donatarium an majorem partem habens alterum compellere possit ad vendendum, et quid in aliis casibus, et inter alios possidentes, et an inter eos deveniatur ad oblationem, et quomodo d. cons. 32. n. 18.

Qui a principe jus fodiendi metalla obtinuit, si deinde illa vendere cupit, an debeat praeferre principem, et fiscum ibid. n. 19.

Dominus non praefertur super fructibus a colono perceptis vendendis ibid. n. 20.

Dominus tamen census, et directus praeferuntur, quando venditur fundus censitus, et emphyteuticus respective ibid. n. 21.

Alia vide verbo Emptor in genere.

Pater an vendere possit bona filii sine solemnitat. V. verbo pater.

Venditio facta cum protestatione salvo consensu domini, non dicitur conditionalis, cons. 38. n. 5.

Promittens rem non vendere nisi certae personae V. verbo promissio de non vendendo nisi certae personae.

Vendens foenum, herbam, et similia pro alendis animalibus praefertur super eis omnibus aliis, dummodo tamen constet animalia alimonium sumpsisse ex dd. rebus consult. 44. n. 1., et 2.

Quando tamen animalia reperiuntur penes venditorem, vel sunt in loco ubi aderat foenum, herba; etc. non est necessarium d. requisitum.

Aliud requisitum adducitur, et consideratur ad d. effectum ibid. n. 4., et seq.

Vendens rem cum pacto, quod sit specialiter hypothecata alicui creditori emptoris V. verbo venditio cum d. pacto.

De venditione bonorum adventitiorum facta a Patre V. verbo venditio bonorum adventitiorum.

Contractus venditionis dicitur perfectus ex interventu consensus, rei, et pretii cons. 46. n. 1.

Venditor praecise cogi potest ad rem tradendam, si eam penes se habet, et tradere potest ibid. n. 2., et consult. 60. n. 6. et n. 7. ampliatur.

Contractus venditionis quando dicatur indissolubilis vide verbo contractus.

Emptor, et venditor correlationem habent, et privilegium venditori concessum debet prodesse emptori, ut explicatur cons. 47. n. 4.

Mulieres una cum viris vendentes, certis casibus exceptis, non transferunt jura dotalia in emptorem, sed solum accedere dicuntur, ut emptor ab eis sit tutus cons. 49. n. 1.

Et hoc amplia etsi instrumentum dicat pecuniam versam fuisse in utilitatem mulieris n. 2.

Adducitur casus, in quo mulier vendens insimul cum viro transfert jura sua dotalia in emptorem cum suis declarat. ibid. n. 3.

Mulier, quae non est domina rei venditae non transfert jura sua dotalia in emptorem, si simpliciter vendit cum viro, quinimo, et jura cedit, et idem est quando habet suum fundum dotalem inaestimatum n. 7. et 8. ibid.

Alios tres casus cum suis declarat. in quibus mulier transfert jura sua dotalia V. n. 9. ad 12.

An qui venditioni, et alienationi rei propriae consensit, possit eam amplius vendicare, et regressum habere, et quomodo V. consult. 49. n. 13. 14., et 15.

Haeres quando possit revocare venditiones a defuncto factas V. verbo haeres.

Venditor, qui est in mora nedum audiri non debet in petitione pretii, sed tenetur ad interesse, et damna, sed an hoc intelligatur etiam de interesse lucri cessantis extrinseco V. cons. 60. n. 8., et 9.

Venditor debet admonere emptorem de omnibus qualitatibus, quae possunt eum retrahere ab emendo cons. 60. n. 11.

Et exemplificatur in eo, qui scit vinum certo tempore corrumpi, vel pretium statim minuendum n. 12. ibid.

De haerede vendente res haereditarias pretio excessivo, vel haereditatem, quae solvendo non erat V. verbo haeres.

Scriptura, in qua quis fatetur rem alteri vendidisse pro certo pretio, an probet venditionis perfectionem cons. 60. n. 23.

Res quae consistit in solo jure, et spe, quae ab eventu inanis reddi possit, est vendibilis ibid. n. 24. ubi etiam de ejus periculo.

Venditio resolvitur ob lapsum temporis quando non est perfecta, etsi tradita esset arrha cons. 60. n. 35.

Versio pecuniae.

Emptor quando debeat esse solicitus de versione pecuniae, et an dicta versio debeat ab eo probari, vel negativa versionis sit ex adverso probanda, vide verbo Emptor in genere.

Vitium litigiosi.

De vitio litigiosi, vide verbo Venditio rei litigiosae.

Usurae.

In omni contractu, compensatio sistit cursum usurarum, dixi verbo Compensatio.

FINIS.

DE EXPENSIS

QUAE FIUNT IN CAUSIS CIVILIBUS

VARIAE CONSULTATIONES

JOANNIS SEBASTIANI VESPIGNANI

J. C. IMOLENSIS

In quibus frequentiores, ac utiliores quaestiones circa dictam materiam secundum juris regulas resolvuntur, ac deciduntur.

PARS SECUNDA.

INDEX
Argumentorum singularum consultationum.

Argum. Consult. I.

Agitur in hac prima consult. de regula, quod victus victori est condemnandus in expensis, nisi justam habeat litigandi causam, et quaeritur, an justa causa semper excuset ab expensis, cum aliis, de quibus in summario.

Argum. Consult. II.

Considerantur in hoc loco causae, ob quas quis juste litigare dicitur, et resolvitur punctus, an stante statuto mandante victum victori esse condemnandum in expensis, causa justa litigandi excuset ab expensis.

Argum. Consult. III.

Quaeritur, an indistincte vera sit propositio, quod expensae litis non debeantur nisi terminato judicio, vel potius veniat limitanda quando agitur de expensis, vel attentatorum, aut spolii, vel de expen. contomacial., de factis in causa comissa cum clausula refectis expensis, *aut de factis in decreto interlocutorio, et simil.*

Argum. Consult. IV.

Late agitur de alimentis litis ab uno ex collitigantibus alteri debit., et multa scitu digna circa hanc materiam docentur.

Argum. Consult. V.

Cupiente uno ex litigantibus responderi super partito juramenti litis decisivi, aut positionibus, aliisve interrogationibus, an hoc expleri debeat ipsius sumptibus, vel potius expensis respondere debentis.

Argum. Consult. VI.

An mutatio libelli, seu transitus ab una ad aliam viam sit conceden. absque refectione expensarum, breviter hic deciditur.

Argum. Consult. VII.

Examinatur hic quaestio, an liceat appellare tam ab expressa condemnatione in expensis, quam ab omissa condemnatione, veluti quia de expensis nihil fuerit dictum, vel pars victa expresse absoluta.

Argum. Consult. VIII.

Quaeritur, an propositio, qua firmatur contumacem non esse audiendum nisi refectis expensis, semper procedat, et quid an refectis expensis aliquando ei deneganda sit audientia, cum nonnullis effectibus contumaciae tam quoad reum, quam quoad actorem.

Argum. Consult. IX.

Quando reo fuit executa etiam simplex citatio, si actor in termino non compareat est condemnandus in expensis a reo hujusmodi occasione passis, ut latius in summario.

Argum. Consult. X.

Ad trutinam in hoc loco revocatur quaestio, an qui testes induxit, et jurare fecit, possit invitus ab adversario cogi ad illos examinari faciendum propriis dicti inducentis expensis.

Argum. Consult. XI.

Est praesens consultatio tota circa illud quaesitum, an scilicet expensae primae instantiae debeantur per appellantem victum completo appellationis judicio, si primus judex victum condemnare omisit, aut expresse absolvit, vel si condemnavit ejus sententia fuit a secundo judice revocata, et prout latius in summario.

Argum. Consult. XII.

Enumerantur hic breviter expensae, quas victor recuperare, et consequi potest a victo, jure communi inspecto.

Argum. Consult. XIII.

Multa hic colliguntur circa modum servandum in taxatione expensarum, prout latius patet ex summario.

Argum. Consult. XIV.

Inita transactione inter litigantes super negotio principali, quaeritur an expensae praecedenter factae in lite praedicta amplius peti, et consequi possint, si de his nihil dictum sit in d. transactione.

Argum. Consult. XV.

Disputatur, et breviter deciditur an indefinite vera sit propositio, quod ubi judex in expensis non condemnavit, quia tacite ab illis absolvisse censetur, expensae praedictae amplius peti nequeant, vel potius, an sit limitanda, quoties agitur de expens. debit. jure actionis, vel vigore statuti, aut agitur de expensis factis

in judicio manutentionis, purgationis attentat., vel si petantur eadem die, qua lata fuit sententia, aliisque similibus casibus prout in summario.

Argum. Consult. XVI.

A decreto taxationis expensarum appellare non licet: potest tamen interponi appellatio ab excessiva taxatione expensarum, et quomodo hoc procedat declaratur, cum aliis de quibus in summario.

Argum. Consult. XVII.

Quaeritur an judex delegatus possit taxare expensas in causa factas, praecipue si in sententia lata sibi reservavit hujusmodi taxationem.

Argum. Consult. XVIII.

Expensae mandati suspicionis fugae, et capturae vigore illius sequutae, omnesque aliae expensae ad quam ex partibus spectent.

Argum. Consult. XIX.

Ponderatur, et breviter resolvitur an succumbens ex juramento litis decisivo sit condemnandus in expensis, et quid dicendum de juramento suppletorio.

Argum. Consult. XX.

Quando quis absolvitur ab observatione judicii, an adversarius sit condemnandus in expensis, et quid si hujusmodi absolutoria emanaverit ob peremptionem instantiae, et an instantia perempta, si obtineatur spirtus insuflatio a principe, an inquam prius sint reficiendae expensae, docetur in hac consult., cum aliis, de quibus in summario.

Argum. Consult. XXI.

Agitur de repetitione expensarum litis fact. a negotiorum gestore, nec non etiam an expensae praedictae praesumantur factae de proprio a d. negotiorum gestore.

Argum. Consult. XXII.

Quoties quis obtinet sententiam pro praelatione, aut redhibitoria, quam praetendebat, si dicta sententia uti non vult, et reus promptus est ei parere, an teneatur actor praedictus ad expensas litis.

Argum. Consult. XXIII.

Resolvitur in hac consultatione illa quaestio, an scilicet, et quando emptor agere possit contra venditorem pro expensis passis occasione litis, et molestiarum sibi illatarum, et quaeritur etiam quas expensas emptor in hujusmodi casibus a venditore praetendere possit.

Argum. Consult. XXIV.

Cedens liti, an, et quando sit condemnandus in expensis, etiam post hujusmodi cessionem, ex eo quod scilicet altera pars petat, ut procedatur ad definitivam sententiam, non obstante d. renuntiatione.

Argum. Consult. XXV.

Quaeritur an haeres gravatus, et usufructuarius expendentes in litibus, hujusmodi expensas recuperare possint a fideicommissario, et proprietario respective, et an capitulum litem habens cum aliquo, debeat eam facere sumptibus communibus ecclesiae, vel potius hujusmodi expensae sint faciendae de bursa particulari eorumdem canonicorum.

Argum. Consult. XXVI.

Quaestio, quae in hac Consult. resolvitur circa illud versatur, an scilicet judex possit condemnare victum in expensis, etiam si non sint petitae; secundo an victus possit condemnari in expensis interlocutoriae usque ad definitivam, quinimo in ipsa definitiva sententia.

Argum. Consult. XXVII.

Nonnulla in hoc loco colliguntur circa materiam sportularum, et praecipue an sportula judici debeatur quando fuit conclusum in causa, fuerunt visa acta, auditi procuratores, et laboratum in ea, licet ad delationem sententiae non fuerit deventum; secundo an sportula sit recipienda habito respectu ad id, quod fuit petitum, vel ad id, quod fuit concessum; et tertio an d. sportula debeatur judici pro re in judic. deducta, vel solum pro eo, quod principaliter petitum est.

Argum. Consult. XXVIII.

Disputatur an, et quando curator possit praetendere salarium, seu mercedem pro susceptione, et administratione curae ad lites.

Argum. Consult. XXIX.

Sequitur materia praeceden. Consult., et quaeritur an unica sportula debeatur, quando sententia plura capita continet, vel tot sportulae debeantur quot sunt capita sententiae.

Argum. Consult. XXX.

Miscellanea de Expensis litis.

DE EXPENSIS

QUAE FIUNT IN CAUSIS CIVILIBUS

VARIAE CONSULTATIONES

Joannis Sebastiani Vespignani

J. C. IMOLENSIS

PARS SECUNDA

ARGUMENTUM.

Agitur in hac prima consult. de regula, quod victus victori est condemnandus in expensis, nisi justam habeat litigandi causam, et quaeritur, an justa causa semper ab expensis excuset, cum aliis, de quibus in summario.

SUMMARIUM.

1. *Est regula generalis, quod victus victori tenetur ad expensas, nisi justam habeat litigandi causam.*
2. *Etiam victor condemnatur in expensis, scilicet quando distulit producere jura sua ad defatigandam partem adversam in expensis.*
3. *Item victor condemnatur in expensis quando ipse fuit absens, et contumax, reus autem victus praesens fuit.*
4. *Rursus victor est condemnandus, quando litigavit per procuratorem minus legitimum, ut hic declaratur.*
5. *De consuetudine multorum locorum cogi solet victus ad restituendum sportulas, etsi justam habuerit litigandi causam ut hic notatur.*
6. *Expensae contumaciales debentur non obstante justa causa litigandi.*
7. *Ita ut nec minus repeti possint, quamvis postea contumax vincat litem.*
8. *Deserens appellationem, quia dicitur contumax, ideo semper condemnatur in expensis, non obstante justa causa litigandi.*
9. *Quando expensae sunt debitae jure actionis, justa causa non habetur in consideratione.*
10. *Alias si ob justam litigandi causam promissor absolveretur, teneretur ad restitutionem ipse judex.*
11. *Limita tamen, ut per Gratian. discept. for. Cap.* 33.

12. *Judex absolvens ab expensis non censetur absolvere a conventionalibus, et debitis jure actionis, quod tamen intellige cum declaratione, quae hic notatur.*

13. *Sacra Rot. Rom., aliaque suprema tribunalia in expensis condemnant victum non obstante justa causa.*

14. *Limita tamen quando justa causa resultat ex sententia, quam quis habet pro se, ut hic declaratur.*

15. *Hujusmodi tamen stylus non est amplectendus.*

16. *Qui pro certo tempore justam habuit litigandi causam, si post d. tempus prosequatur litem, praesumitur quod a principio fuisset temere litigaturus.*

17. *Hoc tamen non obstante, excusatur ab expensis pro tempore, quo justam habuit litigandi causam.*

18. *Stante statuto, quod victus victori condemnetur in expensis, adhuc ex justa litigandi causa excusatur ab expensis.*

CONSULT. I.

Absoluta, ad Dei Omnipotentis, Beataeque Mariae semper Virginis gloriam, hujus operis prima parte, nunc ad secundam progrediendo, in qua sum acturus de iis quaestionibus, et articulis, qui in foris frequentius suscitari solent circa materiam expensarum litis, exordium duco ab ea satis nota juris regula, qua scilicet statuitur victum victori teneri ad ex-
1. pensas, nisi habeat justam litigandi causam, pro qua extat *Textus in l. properandum §. sive autem alterutra C. de judic.*, et cujus meminit *Pacif. de Salv. insp.* 4. *cap.* 1. *n.* 104., multique alii, quos hic colligere supervacaneum censui, cum sit conclusio notissima.

Hanc igitur generalem, notamque regulam ad trutinam revocando, duae circa eam hic excitantur, ac promoventur difficultates, altera scilicet est, an semper vera sit, sibique locum indistincte vindicet propositio, qua firmatur victum victori teneri ad expensas, etc. vel etiam quandoque contingere possit victorem esse condemnandum in expensis; altera vero in eo consistit, an, justa causa litigandi praesupposita, ea sit tanti roboris, ut victum semper, omnique casu ab expensis excuset.

Unde, quod ad primam pertinet difficultatem, lectorem circa eam monitum volo, quod licet ut superius fuit dictum regulariter verissimum sit victum victori condemnandum esse in expensis tamen aliquando contingit non victum, sed ipsum victorem ad hujusmodi expensas teneri, et in eis condemnationem mereri; et est primus casus quando quis distulit pro-
2. ducere jura sua ad defatigandam in expensis partem adversam, tunc enim etsi iste in causa obtineat, tamen condemnatur in expensis ut pulchre

dixit *Carpan. ad Statut. Mediol.*
par. prim. cap. 55. *n.* 47., *et*
seq. Surd. decis. 332. *n.* 6.,
et 7. Secundus adducitur casus
quando contingit sententiam fer-
ri favore actoris absentis, et
contumacis, et contra reum
in judicio praesentem, quando-
quidem hac data hypothesi com-
mune DD. consortium in id
consentit, ut in tali casu ne-
3. quaquam victus sit condemnan-
dus in expensis, sed hujusmo-
di condemnationem utique me-
reri actorem ratione suae con-
tumaciae, a ratione enim adeo
est alienum, ut contumax, qui
alias non auditur nisi refectis
expensis, easdem expensas a reo
praesente consequatur, quod
potius, ut dixi, ipse Actor est
condemnandus in expensis, et
ita intelligendum esse dictum
Text. in l. properandum testa-
tur Fachin. contr. 40. *lib.* 1.,
quem sequitur Fermosin. de ju-
dic. in cap. finem litibus 5. *de*
dolo, *et contumac. quaest.* 4.
vers. ad secundum. tertius de-
nique casus est, quoties patet
victorem litigasse per procura-
4. torem minus legitimum, in quo
themate ipsum victorem pari-
ter condemnandum esse in ex-
pensis saltem factis ante ratifi-
cationem gestorum a procura-
tore, dixerunt *Nevisan. cons.* 16.
n. 3. *Carpan. ad Statut. Medio-*
len. cap. 55. *n.* 47.

Progrediendo autem ordine suc-
cessivo ad alteram ex difficul-
tatibus propositis, omissis pro-
lixitatibus, inutilibusque di-
scursibus, breviter super hujus-
modi puncto respondeo, quod
excepto casu expensarum,
quae pro sportulis judici post
sententiam debentur, rursus-
que exceptis expensis contu-
macialibus nec non expensis
debitis jure actionis, utique pu-
to justam litigandi causam vi-
ctum ab expensis semper ex-
cusare, ut etiam ex infra di-
cendis clarius patebit: caete-
rum *dixi exceptis sportulis*, *ex-*
pensis contumacialibus, *ac debi-*
tis jure actionis, quoniam circa
sportulas de consuetudine mul-
5. torum locorum cogi solet vi-
ctus ad illas restituendas, esto
quod justam habuerit litigandi
causam, quae consuetudo re
vera omni rationi, et aequita-
ti consona videtur pro rata ei-
dem tangen., et de ea loquitur
Bald. in l. fin. col. fin. C. de
fruct., et lit. expens. Quo vero
ad expensas contumaciales com-
6. muni ore fatentur DD. eas u-
tique deberi, non obstante ju-
sta causa litigandi, ut aliis sub-
tacitis ponderat *Capuc. in prax.*
part. 3. *cap.* 5. *art*.... ubi etiam
ait, quod nec repeti possunt,
7. etsi contumax postea vincat li-
tem, et praedictae doctrinae
Capuc. addo etiam *Carpan. ad*
Statut. Mediol. par. prim. cap.
10 *n.* 116., *et conferunt tradita*
per Brederod. de appell. tit. 40.
de expen. col. 665. *litt. C. et D.*
ubi ait, quod si appellatio est
deserta justa causa litigandi non
8. excusat ab expensis, quia dese-
rens appellationem dicitur con-

tumax, et ideo est semper con-
demnandus in expensis non ob-
stante justa causa. Quod tan-
dem attinet ad expensas debitas
jure actionis est pariter quoad
istas communissima juristarum
Sententia justam litigandi cau-
9. sam non haberi in considera-
tione, eaque non obstante vi-
ctum condemnandum esse in
expensis, ut optime firmarunt
*Pater veritatis Alex. Imolen. in
cons.* 37. *n.* 34. *l.* 2., *et cons.*
34. *n.* 6. *vol.* 4. *Natta cons.*
113. *n.* 9. *lib.* 1. *Cyriac. contr.*
229. *n.* 32. *Borgnin. decis.* 15.
n. 29. *part.* 1., *et in tract. de
usufruct. n.* 205. *vers. dicit pos-
se agere*, ubi ait quod quando
est facta promissio expensarum
non potest absolvi promissor
etiam ex justa causa, et excla-
10. mando contra multos judices,
qui non obstante promissione
restitutionis expensarum absol-
vunt partes, dicit judices tene-
ri ad restitutionem, *hisque ad-
do etiam Gratian. discept. for.
cap.* 33. *n.* 7., *et* 8., ubi tamen
ipse excipit casum, in quo ju-
sta causa provenit culpa agen-
11. tis, ut apud eum videre est
et sub n. 9., et seq. subdit quo-
que quod adeo vera est propo-
sitio, qua firmatur justam cau-
sam litigandi non excusare ab
expensis debitis jure actionis,
ut si contingat a judice ferri
sententiam absolutoriam ab ex-
12. pensis, absolutio hujusmodi
non extenditur ad expensas
promissas, et conventionales,
nisi forsan ex Processu consta-
ret expensas litis fuisse petitas,
uti conventionales, et huic pro-
positioni conferunt tradita per
Surd. decis. 261. *n.* 8., *et per
Possent. Singular.* 306.

In nihilum contra haec refragan-
te, quod apud Sac. Rot. Rom.,
aliaque suprema tribunalia ju-
13. sta causa litigandi non habea-
tur in consideratione, sed sta-
tim ac quis succumbit in ex-
pensis condemnetur prout de
tribunali d. Sac. Rot. dixit *Ve-
rall. decis.* 340. *n.* 4. *part. prim.
Coccin. decis.* 56. *n.* 6. licet sub-
dat hanc limitationem non pro-
cedere quando justa causa re-
sultat ex sententia, quamvis
14. habet pro se, quae revocetur
ex noviter deductis, nam in
hujusmodi casu Rota non solet
condemnare in expensis, *quod
totidem verbis habetur in decis.*
168. *n.* 6. *par.* 9. *tom.* 1. *rec.*
Etenim pro responsione, illud
hic adnotatur, et supplicatur
reflecti, quod licet verissimum
sit hujusmodi stylum apud d.
Sac. Rot., aliaque forsan Tri-
bunalia vigere, tamen, quia
est ex diametro contra leges,
15. utique videtur rejiciendus,
*prout doctissime de more dixit D.
Card. de Luc. de Judic. disc.* 39.
n. 11.

Pariter pro meo judicio nullum
obtendit obicem animadversio,
quod justa causa litigandi sup-
posita, adhuc condemnatio vi-
cti in expensis fieri debeat,
quando d. victus justam liti-
gandi causam usque ad certum
tempus tantummodo habuit, ea

ratione, quia hujusmodi victus ob perseverantiam in causa postquam agnovit malum jus fovere, evidenter praesumere facit
16. quod fuisset litigaturus, quamvis a principio agnovisset malam habere causam, et ideo est condemnandus in expensis etiam pro tempore, quo justam litigandi causam habuit; quandoquidem pro responsione ad hanc difficultatem est recte animadvertendum, quod etsi ob dictam perseverantiam videatur aliquo modo constare de d. malo animo rei victi, ex hoc tamen non bene infertur eum a principio temere litigasse, atque adeo condemnationem in omnibus expensis mereri, sicuti n. victus, qui pro toto litis tempore justam habuit litigandi causam excusatur ab expen-
17. sis, ita si pro parte temporis praedicti ex justa causa litem sustinuit, idem procul dubio pro eodem temporis cursu videtur concludendum, ut de se patet, et strenue dixit *Fermosin. de judic. ad Text. in cap. finem lit.* 5. *de dolo, et contumac. quaest.* 1. *n.* 7., *et prius docuerat Fachin. lib.* 1. *contr.* 41.

Denique non obstat, nulliusque momenti, ac considerationis videtur id, quod ab aliquibus quandoque in hac materia objici solet in terminis statuti demandantis, victum victori condemnandum esse in expensis, quo praesupposito sibi pro indubitato supponunt justam causam litigandi non excusare ab expensis, si dictum statutum
18. dirigat verba in victum, quoniam quam erronea, et insubsistens sit horum juristarum opinio est videndus *Fachin. lib.* 12. *contr.* 52., itidemque sunt videnda, quae in sequenti consultatione circa finem habentur.

ARGUMENTUM.

Considerantur in hoc loco causae, ob quas quis juste litigare dicitur, et resolvitur punctus, an stante statuto mandante victum victori esse condemnandum in expensis praedicta justa causa excuset.

SUMMARIUM.

1. *Causae justae litigandi sunt judici arbitrariae.*
2. *Una ex justis causis litigandi oritur ex opinione unius insignis doctoris, dummodo non sit contra communem, nec sit advocatus in causa.*
3. *Quoties agitur de re dubia, ac controversa, ita ut non appareat de communiori, dicitur adesse justa causa litigandi.*
4. *Condemnatio expensarum fieri non debet quando sententia fertur ex probationibus privilegiatis, puta ex juramento suppletorio actori delato.*
5. *Causa justa resultat ex dicto testium extrajudicialiter se jactantium deposituros ad favorem unius, quod deinde in judicio non fecerunt.*
6. *Item ex dicto testium ad favo-*

rem alicujus examinat., licet deinde reprobentur tanquam infames, etc. ut hic declaratur.

7. *Persona valde religiosa, et honesta, seu insignis, et probatae famae non condemnatur in expensis.*

8. *Quando causa agitatur inter strictissima affinitate conjunctos, non fit condemnatio in expensis.*

9. *Justa est causa litigandi, quando quis litigat ob pudorem suum servandum.*

10. *Victus non condemnatur in expensis quando adversarius petiit plus debito, quinimo iste potius hujusmodi condemnationem meretur, si nullam plus petendi rationem habuit.*

11. *Hujus propositionis allegatur ratio.*

12. *Et deinde declaratur, et limitatur.*

13. *Qui habet pro se semiplenam probationem dicitur juste litigare, ut hic declaratur.*

14. *Item qui probat audivisse a pluribus testibus id, quod fuit in judic. deduct. excusatur ab expensis.*

15. *Sententia, quam quis habet pro se, ei tribuit justam litigandi causam, nisi revocetur ex iisdem actis.*

16. *Revocata sententia ex noviter deductis etiam quandoque contingit victum esse condemnandum in expensis, et adducuntur exempla.*

17. *Litigans ad effectum sibi parandi actionem de evictione, juste litigare dicitur, et excusatur ab expensis.*

18. *Justa litigandi causa resultat ex mutua litigantium victoria, ubi scilicet utraque pars vincit, ac succumbit.*

19. *Item sub hoc num. aliae causae justae litigandi allegantur.*

20. *Quoties quis remanet victus, justa litigandi causa non praesumitur.*

21. *Longe magis justa causa requiritur in actore, quam in reo.*

22. *Et hujus propositionis allegatur ratio.*

23. *Qui habuit justam litigandi causam usque ad certum tempus, non debet pro illo tempore condemnari in expensis.*

24. *Victus excusatur ab expensis si habet justam litigandi causam, non obstante statuto mandante victum victori, etc., et etiam si statutum dirigat verba in victum.*

25. *Rejiciuntur contrarium sentientes.*

26. *Stante dicto statuto, expensae peti possunt etiam si judex in eis non condemnaverit, si justa litigandi causa non subest.*

27. *In casu n. praedicto expensae debentur jure actionis, si d. causa justa litigandi non subest.*

CONSULT. II.

Firmata, et declarata regula in praecedenti consult., quod victus victori tenetur ad expensas nisi justam habeat litigandi causam, nunc deveniendo ad examen causarum ob quas quis juste litigare dicitur lectorem circa hoc monitum volo, quod licet apud juristas scripta legatur, et ex ore curialium passim audiatur ea propositio, vi-

1. delicet causas justas litigandi esse judicis arbitrarias, ut post alios notavit *Add. ad Sanfelic. lib.* 3. *decis.* 346. *vers. verum hoc judicis arbitrium,* et est conclusio verissima, communiterque recepta; nihilominus causae praedictae regulariter solent esse infrascriptae.

Prima itaque, quae hic adducitur est quando quis doctrinae, et auctoritati alicujus Doctoris insignis innixus fuit, hancque causam ponit, et admittit *Menoch. de Arbitr. lib.* 2. *cent.* 2. *cas.* 177. *n.* 2. *ad* 4., ubi tamen dicit hoc non procedere
2. ubi Doctores navigarent contra correntem, ejusque aut eorum opinio esset communiter reprobata, ut docte firmavit quoque *D. Ciryach. discept.* 60. *n.* 86. *et seq.* cui limitationi alia superaddenda mihi videtur, nimirum ubi Doctor praedictus esset advocatus in causa.

Secunda causa resultat semper scilicet quod agatur de interpretando statuto, vel lege dubia, paucisque verbis ubi controversia est super re dubia, et involuta, in qua habeantur doctorum auctoritates pro utraque parte, in hujusmodi enim casu victum non mereri condemnationem in expensis prudenter
3. dixit *Asin. in prax. cap.* 2. *§.* 32. *limit.* 27. *Add. ad Sanfelic. lib.* 3. *decis.* 346. *vers. tertio, et quarto,* quod tamen veritatem fatendo, puto intelligendum, dummodo inter dictas doctorum opiniones clare non appareat de communiori, et probabiliori sententia.

Tertia adducitur causa, et est quando quis remanet victus ex juramento suppletorio actori delato in supplementum plenae probationis, hancque ponit, et
4. admittit inter alios *Add. ad Sanfelic. d. decis.* 346. *vers. primo quando victoria. Magon. decis. flor.* 12. *in fin. Fermosin. de judic. ad cap. finem litibus* 5. *de dolo, et contumac. quaest.* 5. *vers. ad secundum,* ubi quod non debet fieri condemnatio expensarum, quando sententia fertur ex probationibus privilegiatis, et exemplificat in juramento praedicto *Rot. Bonon. coram Gyps. decis.* 104. *n.* 43., et denique videnda sunt quae infra habentur in consult. 19.

Quarta causa resultat ex dicto testium, qui extrajudicialiter
5. jactent se depósituros ad favorem unius partis, quod deinde in judicio non fecerunt, vel facere non potuerunt ad tradita per *Menoch. loco supra citat. n.* 11. *ac per Asin. d. §.* 32. *limit.* 7.

Quinta causa pariter resultat ex depositionibus testium in judicio ad favorem unius partis deponentium, nam si haec victa remaneat ex eo, quod testes
6. ab adversario reprobentur tanquam infames, vel falsarii, tamen nisi d. pars de hujusmodi vitiis scientiam habuerit procul dubio non est condemnanda in expensis, etsi victa remaneat, ut edocet *Menoch. d. cas.* 177. *n.* 10.

Sexta causa, ob quam victus non est condemnandus in expensis oritur ex qualitate personae, veluti quia sit valde religiosa, et honesta, eamque rationem
7. adducunt scribentes pro hac conclusione, quia scilicet hujusmodi personae temere litigare non praesumuntur, ut ponderat *Asin. d. §. 32. limit.* 13. *Capuc. in prax. par.* 3. *cap.* 11. *art.* 10. *n.* 166., ubi quod si vir insignis, et probatae famae litem faciat excusatur ab expensis, et conferunt, quae in simil. dixit *Thomat. decis.* 50. *n.* 107., ubi quod quando causa est agitata inter strictis-
8. sima affinitate conjunctos aestimatur justa causa absolvendi ab expensis.

Septimo excusatur quis ab expen-
9. sis quoties patet litem ab ipso sustineri ob pudorem suum servandum, ut bene animadvertit *Menoch. d. cas.* 177. *n.* 14.

Octavo absolvi pariter meretur victus ab expensis, si ejus adversarius petat, et insistat in plus debito, hocque adeo verum est, quod imo si creditor nullam plus petendi probabilem rationem habuerit, nec
10. habuisse constet, ipse potius est condemnandus in expensis, ut pulchre dixerunt *Ottobon. decis.* 49. *n.* 3., *et* 4. *Gizarell. decis.* 20. *n.* 27. 28. *et* 29., *et conferunt tradita per Vivi. decis.* 340. *n.* 8., *et Carpan. ad Statut. Mediol. cap.* 55. *n.* 23., *et* pro hac verissima pro meo judicio conclusione, ea quoque
11. meretur allegari ratio, quia scilicet quoties actor plus petiit, quam sibi deberetur licitum est reo super toto litem facere.

Et licet me non lateat in hac facti specie apud nonnullos contrarium verius censeri, ea superinnixi ratione, quod pars continetur in toto, et minor in majori, ob quod pro certo putant saltem in debitorem onus transferri offerendi partem debitam, ita ut hac oblatione non facta, ipse sit condemnandus in expensis, tamen his in nihilum obstantibus a praedicta sententia recedendum non puto, et quoad rationem allegatam, respondetur eam nullius prorsus roboris esse, etenim cum citra veri praejudicium inficiari nequeat, quin illa pars minor, quae revera debetur totum reintegret, ac compleat, hinc consequens est illam de per se nequaquam censeri petitam atque adeo reo licere super toto litem facere, cum hoc totum non debeatur; unde in contrarium deducta tunc demum procedere possent, ubi scilicet creditor se obtulisset partem vere debitam recipere, et debitor eam fassus non fuisset, sed totum negasset, secus vero quando creditor hanc obla-
12. tionem non fecit, quia tunc cum praesumatur, quod partem recipere nolit, potest propterea debitor tuto negare totum, ut conciliando controversas sentire videatur *Gizarell. de-*

cis. 20. *n.* 24., *et* 25. *Fenzon. ad Statut. Urb. cap.* 196. *n.* 51. *et seq.* Rursusque superius dicta, et exadverso opposita forsan obstare possent, semper, scilicet, quod creditor in petitione apposuisset clausulam, et illud plus, et minus quod debetur, et probatum fuerit, aut aliam similem clausulam, quoniam cum tunc praedictus creditor nihil injustum postulare videatur, cessentque aliae rationes supra adductae ut ponderat *Joseph. Melle in addit. ad Gizarell. d. decis.* 20. *n.* 20. propterea crederem ipsum non esse condemnandum in expensis, ut ultra d. Joseph Melle notat etiam *Chartar. decis.* 57. sed potius hujusmodi condemnationem mereri debitorem, qui partem debitam non obtulit.

Nono excusatur quis ab expensis, quoties ipse habet pro se semi-
13. plenam probationem, ex hac enim semiplena probatione oriri justam litigandi causam docte firmavit *Asin. in prax. cap.* 2. *§.* 32. *limit.* 5. hoc tamen intelligendo quoties, et in illis casibus, in quibus juramentum suppletorium deferri poterat, nam alias videretur contrarium dicendum.

14. Decimo pariter excusatur, qui probat audivisse a pluribus testibus id, quod fuit in judic. deductum, est enim vulgata propositio, quod dictum viri fide digni, justam credulitatem inducit, ut bene in proposito ponderat *Menoch. d. cas.* 177. *n.* 12., *et* 13.

Undecima causa, ob quam quis non est condemnandus in expensis resultat ex sententia favorabili alias obtenta, quae deinde in ulteriori instantia revocatur ex noviter deductis, caeterum si sententiae revocatio
15. sequeretur ex iisdem Actis, hujusmodi sententia veluti injusta neutiquam tribueret justam litigandi causam, atque adeo victum non excusaret ab expensis, ut post multos, qui sub silentio omittuntur scripsit *Gratian. decis. March.* 138. *n.* 4. *Christin. decis. Belgic. vol.* 1. *decis.* 19. *n.* 5., *et* 6. *Rot. rec. decis.* 168. *n.* 5. *par.* 9. *t.* 1., et haec est verior, ac magis recepta sententia, quicquid aliqui dixerint putantes victum non esse condemnandum in expensis, quoties habet sententiam pro se, licet haec revocetur ex iisdem actis. Quinimo his omnibus lubet insuper addere, quod etiam in hypothesi sententiae revocatae ex noviter deductis, potest quandoque contingere, ut condemnatio victi in expensis fieri debeat, et est casus quando praedictae novae
16. probationes concernebant factum proprium ipsius succumbentis, vel ubi appareret sententiam primam esse iniquam alia de causa, ut bene pro meo judicio animadvertunt *Christin. decis. Belgic. vol.* 1. *decis.* 19. *n.* 7., *et Fermosin. de judic. ad text. in cap. finem litibus* 5. *de*

dolo, et contumacia quaest. 3. *vers. ego vero,* ubi totum relinquit judicis arbitrio, qui consideratis consideran. dignoscere poterit, an prima sententia re vera injusta, ac iniqua sit, sicque an victus in secunda instantia justam habuerit causam litigandi.

Duodecima causa, ob quam victus juste litigasse dicitur, est
17. quando idem victus litem fecit ad effectum sibi parandi actionem de evictione contra suum auctorem ad tradita per *Add. ad Sanfelic. lib.* 3. *decis.* 346. *vers. undecimo*.

Decima tertia causa litigandi regulariter oritur, ac resultat ex mutua litigantium victoria, ubi enim utraque pars vincit, ac
18. succumbit propter hanc mutuam victoriam, expensae regulariter veniunt confundendae, et partes absolvendae, ut pulchre notavit *Thomat. decis.* 50. *n.* 105. *Rot. Bon. coram Gyps. decis.* 104. *n.* 42. *Add. ad Sanfelic. d. decis.* 346. *vers. secundo quando, et multa in proposito notat etiam Bersan. de compensat. cap.* 2. *quaest.* 19. *n.* 54., *et seq.*

Decimaquarta, et ultima, quae hic adducitur causa, est quando victus habet justum impedimentum, et motivum non comparendi in judicio, de qua re
19. videndus est *Asin. in praxi. d. cap.* 2. *§.* 32. *limit.* 26., in quo loco alias adducit causas, et signanter limit. 29. et 30., ubi quod victus non meretur condemnationem in expensis quando adest probabilis error, vel ubi victus habet scripturae praesumptionem pro se, aliisque similibus casibus arbitrio prudentis judicantis.

His autem sic praelibatis circa causas, ob quas victus ab expensis est excusandus, ad alia satis notabilia circa hanc materiam descendendo. Notandum est primo, quod justa causa litigandi existente, licet regulariter victus excusetur ab expensis, eo tamen ipso, ac quis
20. remanet victum, justa litigandi causa nequaquam praesumitur, ut optime firmavit *Fenzon. ad Statut. Urbis d. cap.* 196. *n.* 56. Secundo notandum, quod etsi justa causa praesupposita, haec aliquando juvet etiam actorem, tamen constans
21. est in jure propositio, quod longe magis justa causa requiritur in actore victo, quam sit necessaria in reo, pro qua re conferunt tradita per *Sanfelic. decis.* 346. *n.* 14., *et* 15. *lib.* 3. *ac per D. Ciroch. discept.* 60. *n.* 88. *et* 89., et ea etiam ur-
22. get evidentissima ratio, quia actor antequam agat, debet esse certus de jure suo. Tertio est rursus notandum, quod quoties patet victum justam litigandi causam habuisse usque ad certum tempus, tunc procul
23. dubio non est facienda condemnatio in omnibus expensis, sed dumtaxat in expensis factis pro tempore, quo victus desiit habere justam causam li-

tigandi, ut ex *Fachin.*, et *Fermosin.* fuit dictum in praeced. Consult. Et ultimo pro coronide est iterum adnotandum, quod etsi alta sit controversia inter doctores, an justa litigandi causa victum ab expensis excuset stante statuto demandante victum victori condemnandum esse in expensis, attamen verior communior, ac magis recepta
24. sententia mihi videtur affirmativa, posthabita penitus distinctione, an praedictum statutum dirigat verba in victum, aut non, quoniam quomodocumque res se habeat, ad effectum ne statutum irrationabile dici possit, non debet ejus dispositio extendi ad causam, in quo victus habet justam litigandi causam, ut docte, et acerrime sustinet *Fermosin. de judic. ad text. in cap. finem litibus* 5. *de dolo, et contumac. quaest.* 2. *Fachin. contr. lib.* 12. *contr.* 52. Et quamquam contra hanc sententiam magnum obicem obtendere videantur animadversiones, quod ea admissa, sequeretur statutum praedictum superfluum dici posse, quod non est dicendum; Secundo, quod supposito statuto dirigente verba in victum cum tunc communis scribentium sensus sit expensas deberi jure actionis, consequenter justa causa non sit attendenda; his tamen non obstantibus a sententia superius amplexata non est
25. recedendum, quoniam circa primam difficultatem respondetur eam nullo pacto procedere, tum quia scilicet verum non est, quod statutum in dicta hypothesi dici valeat superfluum, hocque manibus quodamodo tangi potest, reflectendo, quod quamvis expensae litis non debeantur, nisi sequuta condemnatione, aut supposita obligatione de illis solvendis, aliisque similibus casibus, de quibus infra habebitur sermo, tamen in casu statuti praedicti, certum est, quod peti possunt, e-
26. tiam si judex condemnationem omiserit, si nulla subsit justa causa litigandi. Secundo respondetur, quod quatenus res aliter se haberet minus tamen malum esset, quod praefatum statutum diceretur superfluum, quam quod quis contra omnem rationem ex eo indebite laederetur, ut his, aliisque bene perpensis mordicus sustinent *Fermosin. ac Fachin. loc. citat.* Quod vero attinet ad secundam difficultatem, objectum penitus eliminatur concedendo utique expensas litis deberi jure actio-
27. nis supposito statuto praedicto, sed negando hanc propositionem procedere quoties justa subest litigandi causa, ut docte ponderat *Fachin d. cons.* 52.

ARGUMENTUM

Quaeritur an indistincte vera sit propositio, quod expensae litis non debeantur nisi, terminato judicio, vel potius veniat

limitanda quando agitur de expensis, vel attentatorum, aut spolii, vel de expensis contumacialibus, de factis in causa commissa cum clausula refectis expensis, aut de factis in decreto interlocutorio, et simil.

SUMMARIUM

1. *Regula generalis est, quod expensae non debentur a victo nisi terminato judicio.*
2. *Limita tamen hanc regulam, ut non procedat quoad expensas attentat., quae prius refici debent antequam attentans ad ulteriora procedat.*
3. *Ita ut si sunt certae, nec minus sufficiat depositum unius Julii etc.*
4. *Expensae judiciales sunt certae, et ideo sunt in primis reficiendae.*
5. *In restitutione tamen dictarum expens., veniunt solum quae factae fuerunt a die commissi attentati.*
6. *Id quod fuit dictum de attentatis amplia ut procedat etiam in causa spolii.*
7. *Expensae factae in decreto interlocutorio prius refici debent.*
8. *Judex in definitiva potest condemnare etiam in expensis interlocutoriae.*
9. *Victus in interlocutoria, si deinde fiat victor in definitiva, an possit amplius condemnari in expensis interlocutoriae.*
10. *Et quid an si vincens in interlocutoria remaneat victus in definitiva, possit dictas expensas, quas nunquam habuerit praetendere.*
11. *Et quid ubi interlocutoria ab una parte obtenta, deinde ad ejus praejudicium revocatur.*
12. *Obtenta commissione cum clausula refectis expensis, expensae sunt reficiendae antequam procedatur in causa, ut hic declaratur.*
13. *Sub clausula parito brevi non comprehenditur refectio expensarum, nisi hoc dictum sit in commissione.*
14. *Idem dicendum est de clausula non retardata executione, vel sine praejudicio executionis.*
15. *Clausula tamen parito judicato includit expensas reficiendas antequam ad ulteriora procedatur.*
16. *Quod tamen procedit, dummodo super expensis adsit res judicata, alias secus.*
17. *Quid autem dicendum de clausula quam, et quas.*
18. *Quando Actor transit ab una ad aliam viam, aut emendat libellum, an debeat reficere expensas vide infra cons. 6.*
19. *Expensae contumaciales regulariter refici debent antequam contumax audiatur.*
20. *Et illis refectis amplius repeti nequeunt, etsi contumax deinde in causa obtineat.*
21. *Quae tamen quomodo procedant infra declaratur cons. 8.*
22. *Actor, ob cujus moram perempta est instantia, si obtineat a Principe spiritus insufflationem, tamen non auditur nisi refectis expensis.*
23. *Lata sententia absolutionis ab observatione judicii, qui victus remansit debet prius reficere expensas, antequam iterum agat.*

CONSULT. III.

Quoniam in tribunalibus prae caeteris, quae inter litigantes controverti solent super hac materia expensarum litis, frequenter, ac fere quotidie illud solet revocari in dubium, an scilicet expensae, quas una ex partibus in medio causae passa fuit, possit eas ab altera parte petere, ac consequi etiam fine litis non advento, hinc ideo non ab re censui pro hujus puncti enucleatione infrascriptas hic adnotare conclusiones.

Dico igitur primo, quod licet regula generalis negativa communiter a J. C. statuatur, videli-
1. cet expensas litis nequaquam per victum deberi nisi terminato judicio, ut animadvertunt *Cavaler. decis.* 191. *n.* 2. *Verall. decis.* 341. *part.* 1. *aliique ab ipsis congesti* hoc tamen juris dogma certum, et indubitatum est non procedere quoad expensas attentatorum, quandoquidem istae juxta communem scribentium sensum sunt usque
2. ad unum nummum reficiendae antequam attentans ad ulteriora procedat in negotio principali *ad text. in cap. bonae de appell. et notat. Verall. decis.* 56. *part.* 1. *Gaill. pract. obser. lib.* 1. *obser.* 146. *n.* 11. *Rot. coram Bich. tom.* 2. *decis.* 534. *n.* 14., quinimo hoc adeo verum est, quod si expensae sunt judiciales, nec minus sufficit depositum unius julii cum ob-
3. latione solvendi residuum, etc. sed est necessaria realis, et effectualis restitutio, ut bene ponderat *Rota coram Cerr. decis.* 942. *n.* 4., *et* 5. *tom.* 3. *coram Buratt. decis.* 356. *n.* 5., *et* 6., *et ibi Add.*, *et coram Ludovis. decis.* 503., *et ibi Add. per tot.*, ubi quod si expensae sunt judiciales non sufficit depositum unius julii, cum de his sufficienter constet, quod totidem verbis dixit coram *Carill. decis.* 242. *n.* 10., ubi quod
4. expensae judiciales, quae sunt certae in primis, et ante omnia veniunt reficiendae. Si autem hic quis instaret, ac peteret, an sub restitutione dictarum expensarum veniant tantum illae, quae factae fuerunt a die commissi attentati, non autem motae litis, censerem procul dubio respondendum eas
5. tantummodo deberi, quae factae fuerunt a die commissi attentati, ut sapienter dixit *Rot. post Zacch. de Salar. decis.* 99. *n.* 7, *et decis.* 97. *n.* 2. *Ursell. conclus.* 160. *n.* 261., ubi aliqua etiam de damnis.

Dico secundo, quod ea, quae superius fuerunt exposita de expensis in judicio attentatorum,
6. pari ambulant passu etiam in causa spolii, spoliator etenim audiri non debet nisi restituto spoliato usque ad minimum quadrantem, ut supra fuit dictum, et edocet *Add. ad Buratt.* 449. *n.* 9., *et seq. Veral. decis.* 150. *part.* 1. *Add. ad Ludovis. d.*

decis. 503. *n.* 6. *Ridolph. in prax. part.* 2. *cap.* 14. *n.* 163.

Tertio loco dico, quod expensae factae in decreto interlocutorio
7. debent refici statim, antequam scilicet succumbens audiatur, et ad ulteriora procedat, ut bene firmat *Carpan. ad Statut. Mediol. cap.* 55. *n.* 10. *et seq. cum ibi congest.*, ubi duas dat cautelas pro victore, videlicet, ut illico faciat condemnare victum in expensis, non ex eo quod hujusmodi condemnatio omissa in decreto interlocuto-
8. rio deinde fieri nequeat, nam interlocutoria quoad judicem nunquam transit in judicatum, ut post multos alios dixit *Capuc. in prax. p.* 3. *cap.* 11. *art.* 16. *n.* 251., sed quia si victus in interlocutoria deinde fiat vi-
9. ctor in definitiva non videtur ut amplius possit in dictis expensis condemnari; secundo ait easdem expensas statim, et non expectata definitiva sententia
10. consequendas esse, quoniam si vincens in interlocutoria remaneat victus in definitiva, non potest amplius expensas interlocutoriae praetendere, si vero illas ante definitivam consequutus fuit, utique poterit illas retinere etsi in definitiva succumbat. Quid autem dicendum ubi interlocutoria ab
11. una parte obtenta, deinde ad illius praejudicium revocatur videndus est *Scacc. de appell. q.* 19. *remed.* 1. *concl.* 5. *n.* 21.

Dico quarto quod data hypothesi, ut pars una obtineat commissionem cum clausula refectis expensis, in hoc casu communis scribentium calculus est expensarum refectionem esse necessariam antequam procedatur
12. in causa, si d. expensae sunt liquidae, aut de facili liquidandae, si vero non sunt liquidae, nec de facili liquidandae, tunc ex eo quod fuit demandata expressa refectio expensarum, videtur verisimilius, ut cupiens in causa procedi, instare debeat pro praefixione termini adversario ad illas liquidandas, qua re sic peracta tollitur etiam omnis quaestio circa depositum, an scilicet in hoc casu locus sit deposito cum obligatione augendi, etc. ut optime ponderat *Rot. decis.* 16. *n.* 7., *et seq. par.* 10. *rec. Pacific. de Salv. Vasp.* 4. *cap.* 4. *n.* 66., *et* 67. Veritas tamen est, quod sub quacumque clausula in commissione apposita, non comprehenduntur expensae, etenim stante commissione, cum clausula parito brevi, certum
13. est quod sub ea non comprehenditur refectio expensarum nisi hoc expresse appareat dictum in d. commissione, ut docet *Add. ad Panfil. decis.* 76. *n.* 6. *Ludovis. decis.* 36. *n.* 4. *Ferentill. decis. Ferrar.* 6. *n.* 2. Pariter idem est dicendum de clausula non retardata execu-
14. tione, vel sine praejudicio executionis, quandoquidem per has clausulas praeservatur quidem judici a quo jus exequendi quoad negotium principale,

sed non quoad expensas, ut
bene firmavit *Ferentil. decis. Ferrar.* 46. *n.* 24., ubi quod clau-
sula non retardata executione,
vel sine praejudicio executio-
nis differt a clausula parito ju-
dicato, quia haec ultima inclu-
15. dit expensas, et dat concor-
dan., et quod clausula parito
judicato importet, ut inter a-
lia Orator expensas reficiat ante-
quam in causa ad ulteriora pro-
cedatur, dixit etiam *Barbos. de
claus. claus.* 97. *n.* 9. et hoc
verissimum esse, dummodo su-
per expensis adsit res judicata
firmavit, et declaravit *Ferentil.
etiam in decis.* 6. *n.* 2. *et Rot.
rec. par.* 12. *decis.* 322. *n.* 15.
16. ubi quod clausula parito ju-
dicato non comprehendit ex-
pensas quando super expensis
non adest res judicata, videli-
cet quando non fuerunt super
expensis tres probatae Senten-
tiae. Et denique quid dicendum
17. in casu commissionis cum clau-
sula quam, et quas, videnda
sunt, quae infra habentur *in
consult.* 6., ubi alia etiam ha-
bentur circa refectionem expen-
18. sarum quando actor transit
ab una ad aliam viam, aut e-
mendat libellum.

His autem positis continuando as-
sumptum jam amplexatum.

Quinto loco dico, quod inter ex-
pensas, quae ante finem litis
refici necessario debent connu-
merantur etiam expensae con-
19. tumaciales, has namque in-
dispensabiliter regulariter de-
beri statim, in quacumque par-
te judicii accusetur contumacia,
jure communi est Statutum qui-
nimo haec propositio adeo ve-
ra a J. C. reputatur, quod com-
muniter asserunt hujusmodi ex-
pensas postquam fuerunt refe-
20. ctae repeti minime posset, et-
si contumax deinde in causa
obtineret, ut prudenter dixe-
runt *Carpan. ad Statut. Mediol.
part. prim. cap.* 10. *n.* 101.,
*et seq. Fermosin. de judic. ad
cap. finem litibus* 5. *de dolo et
contumac. quaest.* 10. *n.* 4. *ad*
8., et sunt videnda etiam, quae
21. infra habentur Consult. 8.,
ubi alia habentur circa d. pro-
positionem.

Sexto loco dico, quod actor, ob
cujus moram in prosequendo
judicio perempta est instantia,
si obtineat a Principe spiritus
insufflationem, non auditur ni-
22. si prius refectis expensis, ut
ex infra dicendis in Consult.
20. clare patebit, idemque pror-
sus juris esse, quoad expensas
debitas a victo in judicio in
23. quo reus fuit absolutus ab
observatione judicii dixit *Pe-
regr. decis.* 152. *n.* 7., ubi quod
hujusmodi expensae debeutur
antequam Actor iterum agat.

ARGUMENTUM.

Late agitur de alimentis litis ab
uno ex Collitigantibus alteri de-
bitis, et multa scitu digna cir-
ca hanc materiam docentur.

SUMMARIUM.

1. *Pro consequendis alimentis litis requiritur non levis boni juris praesumptio, quae resultat ex sententia favorabili.*
2. *Limita tamen quando sententia est lata per contradictas.*
3. *Bonum jus resultare potest etiam ex alia probatione.*
4. *Secundo ad d. effectum requiritur, ut alimenta petens sit pauper, alter vero dives, ut hic, etc.*
5. *Non est tamen necessaria satisdatio, quia expensae non sunt restituendae nec minus in casu succumbentiae.*
6. *Generale non est, quod expensae quae lite pendente dantur loco provisionis, non sunt restituenda.*
7. *Dicta alimenta debentur, etsi non agatur ad universam haereditatem, vel ejus partem.*
8. *Et debentur nedum descendentibus, sed etiam extraneis, ut hic declaratur.*
9. *Ex sententia oritur praesumptio boni juris, etsi fuerit ab ea appellatum.*
10. *Quinimo quamvis fuerit postea revocata, et deinde per tertiam confirmata.*
11. *Paupertas est probanda de tempore, quo alimenta petuntur, et concludenter respectu effectus, de quo agitur.*
12. *Fides Parochi ad d. effectum non sufficit, quod tamen declaratur.*
13. *Quando debitor carceratus vult consequi alimenta a creditore, sufficit, ut hic firmatur.*
14. *Paupertas exclusa non remanet ex eo, quod quis ex aliquo exercitio lucrum facere possit, solum non attenditur an habeat tot in bonis, ex quibus possit se, et litem sustinere.*
15. *Amplia, ut dicta paupertas exclusa non remaneat ex eo, quod quis habeat domum propriam.*
16. *Alimenta litis debentur a viro uxori pauperi, et e contra quando lis inter ipsos agitatur.*
17. *Si vero uxor habet litem cum promissore dotis, ab hoc consequi debet alimenta, etsi maritus esset dives, ut hic declaratur.*
18. *Habens patrem, vel matrem divitem, non consequitur d. alimenta, secus quoad alios conjunctos.*
19. *Alimenta litis sunt petenda coram judice causae principalis.*
20. *Alimenta litis taxantur judicis arbitrio, etc.*
21. *Si alicujus bona sequestrentur, et iste nihil proprii habeat praeter rem sequestratam, ei debentur alimenta, et sumptus litis, ut hic firmatur.*

CONSULT. IV.

Inter expensas, quae fiunt in litibus, cum connumerentur, suumque obtineant locum etiam alimenta, quae una pars ab altera passim sibi deberi praetendit. Sciendum igitur est, quod ad effectum, ut actor praetendere, ac consequi valeat alimenta praedicta a reo collitigante, duo sunt, quae regulariter sunt necessaria; pri-

mum scilicet requisitum est, quod sumptus litis praetendens non levem boni juris praesum-
1. ptionem habeat pro se, haecque resultet ex decreto, seu sententia ad ejus favorem lata ad tradita per *Add. ad Ludovis. decis.* 189. *n.* 7. *§. praesumptio boni juris*, et per *Rot. in rec. decis.* 749. *n.* 1. *par.* 2. *et decis.* 34. *n.* 3. *par.* 7. (dummodo tamen dictum decretum, seu sententia non sit lata per contradictas, quoniam in hoc casu
2. praesumeretur eam potius fuisse latam propter contumaciam, quam propter justitiam, ut optime ponderat *D. meus Balduc. in addit. ad Ramon. obs. in cons.* 2. *n.* 10., *et* 11.) vel etiam oriri, ac resultare potest ex alia probatione, et ex alio
3. fonte, ut contra nonnullos ajentes pro consequendis alimentis praedictis, necessarium indispensabiliter esse, ut illa petens habeat sententiam pro se pulchre docet *Gratian. discept. for. cap.* 55. *n.* 51., *et seq. Andreol. contr.* 263. *n.* 9. *Ciurb. decis* 5. *n.* 29.: alterum vero, quod ad effectum praedictum est necessarium, in eo consistit, ut actor alimenta petens
4. sit pauper, reus vero, qui ea praestare debet sit dives, ut notat *Add. ad Ludovis. dicto decis.* 189. *cum ibi congestis*, licet pro pleniori hujus rei notitia videri, ac considerari mereantur *Ciurb. allegata decis.* 5. *n.* 46., *et* 48. *Marescott. var. resol. lib.* 2. *cap.* 83. *n.* 13., *et seq. Michalor. de frat. part.* 3. *cap.* 32. *n.* 18., *et* 19.

Et quamquam optime calleam super hactenus firmatis non deficere contradicentes, dum a nonnullis in eam itur sententiam, quod praeter adducta requisita alia tria insuper concurrere debeant, videlicet, quod detur satisdatio de illis restituendis in casu succumbentiae; secundo quod agatur ad universam haereditatem, vel ejus partem; et tertio, ut actor sit filius, nepos, vel alius, cui de jure debeantur alimenta: nullatenus tamen de sic sententium opinione neutiquam curandum existimo, quoniam quantum attinet ad satisdationem, haec nullo pacto necessaria mihi vi-
5. detur, animadvertendo, quod praedictae expensae non sunt reficiendae a reo, nec minus in casu succumbentiae in negotio principali, ut multis congestis ponderat *D. Balduc. supra citat. n.* 38., *et seq. Gratian. discept. for. cap.* 33. *n.* 27., *et seq.*, ubi generaliter ait, quod expensae, quae lite pendente loco provisionis dantur, non
6. sunt restituendae, et eam adducit rationem, quia hujusmodi expensae non decernuntur, nisi cognito bono jure partis, unde si malum jus in progressu causae deinde appareat, hoc turbare non debet, ex regula quod legitime factum non subjacet revocationi, etsi deveniat ad casum, a quo non posset incipere, nisi forsan con-

staret de calumnia, hocque aliis etiam rationibus probari posset, quae brevitatis gratia omittuntur; quo vero ad secundum ex requisitis praefatis videlicet, quod alimenta praetendens agat ad universam haereditatem, vel ejus partem, hoc
7. pariter nullo fundamento superinnixum percipere possum, cum ea, quae dicuntur de universa haereditate, vel ejus parte ob identitatem rationis procedere debeant etiam in re particulari, ut docte firmavit *Add. ad Ludovis. decis.* 189. *n.* 8. *Rot. in rec. decis.* 307. *n.* 3., *et* 4. *par.* 18. *tom.* 1.; quod denique spectat ad tertium, et ultimum] requisitum, quamvis *Andreol. in ejus contr.* 263. *n.* 11. illud utique necessarium esse ad praefatum effectum mordicus sustineat, contra tamen hujus viri doctrinam communior pugnare videtur, ut est videre apud *Add. ad Capyc. late decis.* 119. *n.* 12., ubi ait, et sustinet, quod alimenta litis de-
8. bentur nedum descendentibus, sed etiam quibuscumque aliis extraneis, dummodo inopes sint, et boni juris praesumptionem habeant, et pro hac sententia alios etiam congerit *D. Balduc. loc. cit. n.* 24.

Posito autem, prout ex hactenus dictis clare convincitur, quod requisita pro consequendis alimentis litis ad dicta duo restringantur, utiliter est hic notandum circa primum, videlicet circa praesumptionem boni juris, quod adeo vera est propositio, qua firmatur praesumptionem boni juris oriri ex sententia lata ad favorem alimenta praetendentis, quod communiter sustinent juristae praedictam praesumptionem neutiquam elisam, et extinctam remanere
9. etiam si ab eadem sententia fuerit interposita appellatio, ut bene ponderat *Add. ad Ludovis. d. decis.* 189. *n.* 7. *§. praesumptio boni juris Rot. rec. decis.* 404. *n.* 3. *par.* 18. *tom.* 2., quinimo d. praesumptionem in suo robore remanere, non ob-
10. stante secunda sententia revocatoria primae, si prima fuerit postea per tertiam sententiam confirmata dixit *Rot. rec. decis.* 748. *n.* 2. *par.* 2.; quo vero ad alterum requisitum, notandum pariter est, quod quando dicitur, prout superius fuit dictum, probandam esse paupertatem ad effectum consequendi alimenta praedicta, id sane est intelligendum de tempore, quo eadem alimenta pe-
11. tuntur, et quidem concludenter, respectu effectus, de quo agitur, ut post alios firmarunt pulchre *Add. ad Ludovis. loc. sup. cit. Rot. coram Ottobon. decis.* 152. ubi dat modum faciendi hanc probationem, et subdit fidem Parochi pro d. paupertate probanda non suffi-
12. cere, pro qua re conferunt etiam tradita per D. Balduc. loc. cit., ubi tamen praedicta limitat quando paupertas est notoria; et licet contra id quod

nunc fuit dictum de fide Pa-
rochi pugnare videantur tradi-
ta per *Sabell. var. resol. cap.*
39. *n.* 31., in quo loco ait,
quod si debitor est adeo pau-
per, ut non habeat unde se a-
lat, nec possit vivere ex elee-
mosynis, sitque paratus cede-
re bonis, tunc facta fide jura-
13. ta per Parochum de hujusmo-
di paupertate, et citato credi-
tore, sit faciendum decretum,
ut d. debitori subministretur
certum quid dietim pro alimen-
tis, quod videtur de mente e-
tiam *Scanarol. de visit. carcer.*
lib. 3. *cap.* 1. *n.* 3. ubi dicit,
quod pro scutis 50. sufficit te-
stimonium parochi, ut modo
dictum fuit; attamen, ut pa-
tet ad sensum horum doctorum
sententia loquitur in terminis
diversis, nimirum debitoris car-
cerati, sicque superius firmatis
non officit.

Rursus est circa paupertatem prae-
dictam notandum, quod ea per
actorem modo superius expres-
so probata, neutiquam haec
exclusa remanet ex eo quod
exadverso ostendatur alimenta
petentem ex aliquo exercitio
lucrum facere posse, in hac e-
14. nim materia attenditur, an
quis habeat tot in bonis, ex
quibus possit se, et litem su-
stinere, non vero an d. lucra
facere valeat propter fragilita-
tem humanae potentiae, ut
strenue docet *Rot. decis.* 194.
n. 68. *par.* 7. *rec.* quinimo d.
paupertatem minime exclusam
15. remanere in fortioribus ter-
minis, videlicet ubi quis do-
mum propriam haberet, sed
non aliud voluit eadem *Rot. rec.*
decis. 166. *n.* 4. *par.* 4. *t.* 2.
ubi ea ratione innititur, quia
domus non est fructifera.

Caeterum his notitiis, ac cogni-
tionibus praemissis circa requi-
sita necessaria pro petendis a-
limentis litis, nunc ad alia tran-
situm faciendo, quaeritur hic,
an lite vertente inter aliquam
uxoratam, et promissorem do-
tis, debeantur in hoc casu ali-
menta praedicta a viro, vel
potius a dicto promissore; cir-
ca quam quaestionem notandum
est, quod licet communis scri-
bentium sensus sit alimenta li-
16. tis deberi a viro uxori pau-
peri, et e contra, in hypothesi,
quod lis inter ipsos agitetur,
veluti dum pendet lis super
foedere matrimonii, ut notat
Rot. coram Bich. decis. 141. *n.*
1., *et* 2. *Andreol. contr.* 263.
n. 11. attamen rem aliter se
habere quando uxor habet li-
tem cum promissore dotis, ra-
tionibus, et auctoritatibus do-
cte sustinet *Rot. coram Peutin-
ger. decis.* 234. *n.* 11., *et seq.*
17. ubi ait, quod in hoc casu
alimenta praestanda sunt a pro-
missore dotis, etsi maritus es-
set dives, subdens contrarium
forsan procedere ubi maritus
uxorem duxisset indotatam, quia
tunc deberet sibi imputare, se-
cus quando dotatam accepit, et
dos promissa ei non fuit solu-
ta, et confert etiam id, quod
dici solet de habente patrem

18. vel matrem divitem, qui d. alimenta non consequitur, secus vero quoad alios conjunctos ut dixit *Merl. de legit. lib.* 5. *tit.* 3. *q.* 12. *n.* 15., *et* 16.

Ulterius circa hanc materiam alimentorum litis altera utilis suscitari etiam potest quaestio, et est coram scilicet quo judice sint petenda alimenta litis, et usque ad quam quantitatem debeantur; unde quod ad hoc dubium pertinet, circa primam
19. partem censeo respondendum alimenta praedicta petenda esse coram judice causae principalis, cum ad eum spectet definire, an ea debeantur nec ne, ut optime considerat *Surd. de alim. tit. prim. cap.* 110. *n.* 9., quo vero ad alteram dubii partem, breviter dico, quod to-
20. tum remittitur prudentis judicantis arbitrio, inspectis tamen, ac bene consideratis omnibus considerandis, ut firmavit *Rot.*, *et signanter decis.* 198. *n.* 7. *par.* 12., *et decis.* 402. *n.* 9. *par.* 18. *rec.* subdens etiam alia circa dictam taxationem *eadem par.* 18. *decis.* 612. *n.* 7.

Denique pro complemento hujus consultationis sub silentio non est omittendum, quod si contingat, ut alicujus bona sequestrentur, hicque nihil proprii habeat praeter rem sequestratam, tunc omnis utique exi-
21. git ratio, ut alimenta, et sumptus litis consequatur, ne scilicet fame pereat, et cogatur litem deserere, ut latius habetur penes *Rot. divers. par.* 2. *decis.* 79. *Ricc. collect.* 1425. *Rodriguez. de Concurs. Credit. part.* 1. *art.* 6. *n.* 83. ac apud alios ab ipsis cumulatos, ad quos lectorem remitto.

ARGUMENTUM.

Cupiente uno ex litigantibus responderi super partito juramenti litis decisivi, aut positionibus, aliisve interrogationibus, an hoc expleri debeat ipsius sumptibus, vel potius expensis respondere debentis, cum aliis ut in summario.

SUMMARIUM.

1. *Pro recipiendis responsionibus absentis, est mittendus notarius, vel expediendae litterae sumptibus ejusdem absentis.*
2. *Contrarium tamen alii sustinent, volentes, quod expensa sit communis.*
3. *Sed verior sententia est, quod expensa sit petentis.*
4. *Copia libelli datur reo sumptibus actoris.*
5. *Si petatur accessus ad locum differentiae, aut consilium sapientis, haec debent fieri sumpt. petentis.*
6. *Limita tamen, ut expensa ad absentem spectet, quando ejus absentia est culposa.*
7. *Limita secundo quando agitur de recipienda responsione super partito juramenti litis decisivi, nam tunc expensa est communis.*
8. *Communis non esse debet expensa,*

quando actus est utilis utrique parti.

9. *Expensa procul dubio ad absentem non spectat, quando misit mandatum ad sic, et sic respondendum, et ejus adversarius vult ab eo responsiones.*

10. *Pariter expensa ad absentem non spectat, ubi absens non tenetur accedere, vel ratione dignitatis, vel infirmitatis, vel sexus.*

11. *Et rejiciuntur contrarium sentientes adducendo evidentem rationem.*

12. *Actus qui fiunt officio judicis, debent fieri expensis communibus partium.*

CONSULT. V.

Ut ea, quae circa hanc materiam magis utilia, et quae frequentius in praxi accidunt resolvantur, operae pretium propterea duxi hic facere quaesitum: an cupiens responderi positionibus, vel aliis interrogationibus ab ipso principali collitigante absente, debeat ad hujusmodi effectum transmittere notarium, vel remissoriam propriis sumptibus, vel potius expensis respondere debentis hoc fieri debeat; quapropter quod attinet ad hanc inspectionem, licet inter juristas aliqui asserant, constanterque firment in his casibus utique transmittendos esse notarios, seu exami-
1. natores ad recipiendas responsiones, vel expediendas esse litteras commissionales officialibus locorum, absentis sumptibus ut videre est apud *Baldaxar. de Angel. in addit. ad decis. Gizzarell.* 63. *n.* 8. *Vivi. decis.* 175. *n.* 9. *aliosque quos refert Scacc. de Judic. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 574.; alii vero in eam inclinent sententiam, quod prae-
2. dicta expleri debeant expensis communibus relati per *Michalor. de posit. cap.* 69. *n.* 8., *et aliqualiter conferunt etiam tradita per Fenzon. ad Statut. Urb. lib.* 1. *cap.* 68. *n.* 123., *et* 127., *et Baldax. de Angel. sup. cit.* quibus locis ajunt in casibus praedictis expensas spectare ad absentem praeter eas, quae notario pro expeditione litterarum commissionalium, et pro exemplo articulorum competunt, quae solvi debent a petente: his tamen non obstantibus, verior, ac probabilior mihi videtur sententia, quod notarius transmittatur, vel litterae expediantur sumptibus petentis, ita, et taliter, quod absens nulla prorsus expensa gravari de-
3. beat, et ad hanc firmandam propositionem moveor, tum quia regulare est, quod actus judiciales, ac alii celebrari solent, et debent sumptibus petentis, et deinde succumbentis, ut animadvertit *Leoncill. decis. Ferrar.* 12. *n.* 6. hoc limitans tamen in copia libelli, quae da-
4. tur reo sumptibus actoris *Capucc. in prax. part.* 3. *cap.* 11. *art.* 1. *n.* 7., *et seq.*, ubi in simili ait, quod si petatur ac-
5. cessus judicis ad locum differentiae, accessus hujusmodi de-

bet fieri sumptibus petentis, quemadmodum etiam dicendum ait, si petatur consilium sapientis, quoniam quoties quis petit actum fieri hic debet expleri sumptibus petentis, et in terminis mordicus hanc sustinet sententiam *Michalor. de posit. d. cap.* 69. *n.* 9. 10. *et seq.*, subdens solum hoc esse intel-
6. ligendum, dummodo absentia censeri non possit culposa, veluti quia quis recesserit post litem inceptam, circa quod tamen judicis arbitrio, ac prudentiae multum deferendum esse ait secundum casuum contingentiam, illorumque varias circumstantias. Rursusque moveor, quia veritate inspecta, nimis durum esset, quod quis propriis sumptibus deberet parare probationes ejus adversario, ut clare de se patet.

Caeterum praesentis puncti veritatem altius perpendendo his fundamentis pro meo judicio aliquem obicem praestare non possunt doctores exadverso congesti, etenim quoad illos, qui asserunt expensas ad absentem spectare, respondetur eorum sententiam, tunc demum procedere, semper scilicet, quod essemus in casu, in quo quis culpose, et animo decipiendi ejus adversarium se absentasset, quo vero ad alios, qui sustinent expensas praedictas esse communes, respondetur eorum dictum locum verisimiliter ha-
7. bere in hypothesi, quod absens respondere deberet super partito juramenti litis decisivi, et ratio evidens est, quoniam cum per partitum praedictum liti finis imponatur, et finem liti sic imponere tendat in commodum utriusque partis, hinc ideo sequitur, quod expensa utriusque partis damno facienda sit, ut probat *Scacc. de judic. lib.* 2. *cap.* 7. *q.* 19. *n.* 584., *et conferunt tradita per Capuc. in prax. part.* 3. *cap.* 11. *art.* 1. *n.* 7., *et seq.*, ubi limitando regulam, quod actus expleri
8. debent sumptibus petentis, ait eam non procedere, ubi actus est utilis utrique parti, quia tunc expensa est communis.

Quid autem in proposito harum expensarum sit resolvendum in hypothesi, quod absens respondere debens misisset specialissimum mandatum ad sic, et sic respondendum vel ubi ageretur de accedendo ad domum alicujus egregiae personae, pro ejus examine recipiendo, breviter dico circa primam difficultatem, quod ubi respondere debens misit specialissimum mandatum ad sic, et sic respondendum, tunc si hoc non obstante ejus adversarius, velit, et instet per ipsum et principalem absentem responderi, vel
9. super hoc non meretur audiri, vel in eam sententiam procul dubio eundum est, quod notarius mittendus sit sumptibus petentis; ut bene ponderat *Scacc. de judic. lib.* 2. *cap.* 7. *q.* 19. *ubi dat concordan. et cum hac sententia pertransit etiam Micha-*

lor. loco sup. cit., et ea etiam
suadetur ratione quia in d. ca-
su ipse principalis absens vide-
tur respondere, tanquam per
organum, et procurator videtur
potius constitutus ad producen-
dum responsiones principalis,
quam ad respondendum; quo
vero ad alteram ex propositis
difficultatibus communior, ac
magis recepta sententia est,
quod notarius neutiquam sit
mittendus sumptibus absentis,
ubi absens non tenetur accede-
10. re ratione dignitatis, vel etiam
ratione infirmitatis, aut sexus,
nam tunc, quia iste non tene-
tur venire, et accedere, ideo
sumptibus petentis est mitten-
dus notarius, ut late docet *Mi-
chalor. d. cap.* 69. *n.* 15., *et
seq.*, ubi inter personas, egre-
gias enumerat Cardinales, E-
piscopos, Rotae Auditores, Do-
ctores, Presbiteros, etc., et e-
gregiis personis aequiparat mu-
lieres, et matronas honestas,
Comites, Oratores Principum,
et Nobiles: et licet me non la-
teat contra hanc propositionem
scripsisse multos juris profes-
sores etiam magni nominis, in-
ter quos *Scacc. de jud. lib.* 2.
cap. 7. *q.* 19. *n.* 579., ea prae-
cipue ratione ducti, quod pri-
vilegia debent esse inducta si-
ne praejudicio Tertii, tamen
hoc non obstante, a sententia
superius amplexata recedendum
non puto, quoniam cum cer-
tum apud omnes sit, et etiam
ipsimet adversarii hoc fatean-
tur, personas egregias, alias-
11. que superius expressas, ne-
quaquam teneri ad judicium
accedere ob privilegium a jure
eis concessum, ex hoc propte-
rea tuta lance infertur easdem
personas nulla prorsus expensa
occasione praedicta gravari de-
bere, alias non esset eludere
privilegium dd. personis conces-
sum, quoniam pro evitandis
expensis, sicque per indirectum
cogerentur venire, ut docte su-
stinet *Possent. singul.* 307. *n.*
1., *et* 2. *Baldaxar. de Angel.
addit. ad decis. Gizzarell. decis.*
63. *n.* 8.

Rursus si quis hic peteret cujus
expensis explendi sint actus,
qui fiunt officio judicis, an sci-
licet sumptibus actoris, aut
12. rei, vel potius communibus,
censerem super hujusmodi dif-
ficultate respondendum actus
praedictos explendos esse ex-
pensis communibus, ut optime
notat *Capuc. in prax. part.* 3.
cap. 11. *art.* 1. *n.* 7., *et seq.*
ad quem lectorem remitto.

ARGUMENTUM.

An mutatio libelli, seu transi-
tus ab una ad aliam viam sit
conceden. absque refectione ex-
pensarum, breviter hic deci-
ditur.

SUMMARIUM.

1. *Post litis contestationem regu-
lariter non est licitum mutare li-
bellum, et transire ab una ad a-
liam viam absque refectione ex-
pensarum.*

2. *Liquidae sunt reficiendae, pro illiquidis vero est danda satisdatio.*
3. *Et hoc procedit nedum in causis ordinariis, sed etiam in summariis.*
4. *Limita tamen stante commissione cum clausula quam, et quas.*
5. *Rursus limita quando in eodem libello plura fuerunt cumulata remedia, cum clausulis, imploran. deducen., etc.*
6. *Non est permissum transire a via ordinaria ad executivam, nisi renuntietur primo judicio, et reficiantur expensae.*
7. *Secus tamen est quando actor transire intendit a via executiva ad ordinariam.*
8. *Variatio permittitur absque refectione expensarum, quando qui variat non fuit temerarius in litigando.*
9. *Ideoque si quis ex nova justa causa emendet libellum, seu transeat ab una ad aliam viam, videtur excusandus ab expensis.*
10. *Fortius si novum judicium est dependens a primo.*

CONSULT. VI.

An in judiciis licitum, permissumque sit litigantibus post litis contestationem viam primo aggressam mutare, ab unaque ad aliam transire absque refectione expensarum, est disputatio frequentissima in tribunalibus; unde ad hujus dubii examen nunc descendendo infrascriptas censeo firmandas esse conclusiones.

Prima igitur sit conclusio, quod post litis contestationem regulariter non est licita mutatio libelli, seu transitus ab una ad
1. aliam viam, nisi ab eo, qui sic variare intendit renuncietur liti, et reficiantur expensae, hujusque propositionis ea est ratio, quoniam justum non est, quod reus qui indebite passus fuit expensas in judicio, quod relinquitur, et omittitur, alias denuo sustineat absque refectione jam dictarum, hocque juris dogma tanquam verissimum amplectitur *Rot. coram Coccin. decis.* 849. *n.* 2., *et alibi passim*, *D. Card. Albic. de inconstan. in judic. quaest.* 19. *n.* 80. *Scacc. de appell. quaest.* 17. *limit.* 2. *n.* 116., ubi ait quod sunt reficiendae expensae
2. liquidae, pro illiquidis vero est danda satisdatio, nec non *quaest.* 11. *art.* 3. *n.* 33., ubi haec procedere sustinet nedum in causis ordinariis, verum etiam in summariis, et ea ratione aliis omissis innititur, quia sicuti in ordinariis sine scrupulo transit propositio, quod libellus non potest mutari, seu
3. emendari post litem contestatam si reus contradicat, secus vero si consentiat ob allegatam rationem, ita idem dicendum est in judiciis summariis, videlicet quod non sit licitum mutare libellum, et actionem post illum actum, qui sapit litis contestationem, nisi refectis expensis, cum etiam tunc urgeat eadem ratio damnificationis, de qua supra.

Secunda sit conclusio, quod licet verissimum sit regulariter variationem de una ad aliam viam non dari nisi refectis expensis modo superius expresso, tamen hoc non procedit, nec
4. recte applicatur, stante commissione causae cum clausula quam, et quas ut docte dixit *Rot. coram Ludovis. decis.* 270. *n.* 5., *et decis.* 488. *n.* 3. *coram Seraph. decis.* 630. *in fin.*, *et coram Coccin. decis.* 1123., *et post Vivian. de jur. patr. decis.* 94. *n.* 30. his enim doctrinis statuitur, quod ob transitum de una ad aliam viam, non intrat refectio expensarum, quando omne jus fuit deductum ex clausula quam, et quas; idem-
5. que juris est quando in eodem libello plura fuerunt cumulata remedia, et adiectae solitae clausulae salutares imploran: deducen., etc. secundum *Capuc. in prax. part.* 3. *cap.* 11. *art.* 8. *n.* 88., *et* 89.

Tertia conclusio, quae hic firmatur tangit, et negative determinat eam quaestionem, qua scilicet controvertitur, an superius firmata in prima conclusione, sibi vindicent locum in hypothesi; quod actor, qui viam executivam elegit ad ordinariam convolare praetendat, etenim sciendum est quod licet commune doctorum consortium
6. in id consentiat actorem transire non posse a via ordinaria ad executivam, nisi primo judicio intentato renunciet, et reo reficiat expensas ad notata per *Rot. decis.* 200. *n.* 12. *post Zach. de oblig. Cam. Leoncil. decis.* 8. *n.* 7. *et* 8. *Urceol. consult. for. cap.* 43. *n.* 21. *D. Card. Albic. de incostan. in judic. quaest.* 15. *n.* 32., res tamen aliter se habet justa commu-
7. nem juristarum sententiam, quando praedictus actor transire intendit a via executiva ad ordinariam, ut ex *Alex. Corn. aliisq. docte notat D. Card. Albic. d. tract. de inconstan. in jud. quaest.* 16. *n.* 1., haecque veritas ea etiam suaderi potest ratione, quia scilicet in hujusmodi themate mutatio judicii videtur procul dubio resultare in commodum, et utilitatem rei, et in evidens praejudicium actoris, qui viam executivam magis privilegiatam omittit.

Ultima denique propositio, quae circa propositam, et excitatam quaestionem hic adnotatur, alteram animadversione dignam declarationem ad superius firmata continet, et est, quod quamvis, ut pluries fuit dictum, regulariter variatio non admittatur, nisi primo judicio renuncietur, et reficiantur expensae,
8. hoc tamen secundum commune scribentium votum neutiquam locum habet, quando qui mutat judicium non fuit temerarius, constatque eum animo calumniandi non litigasse, ut pulchre docet *Peregrin. decis.* 152. *n.* 2. ubi ait, quod quando quis ex nova causa superveniente, ex qua apparet

9. non animo calumniandi litigasse, extra tempus emendat suum libellum, aut omisso primo transit ad aliud judicium non condemnatur in expensis *Scacc. de appell. quaest.* 17. *limit.* 2. *n.* 119., *et* 120. *Put. decis. lib.* 3. *decis.* 374., ubi quod hoc tan-
10. to fortius procedit quando novum judicium est dependens a primo *Alba cons.* 9. *n.* 42. *t.* 1. penes quem alia etiam habentur circa dictam variationem.

ARGUMENTUM.

Examinatur hic quaestio, an liceat appellare tam ab expressa condemnatione in expensis, quam ab omissa condemnatione, veluti quia de expensis nihil fuerit dictum, vel pars victa expresse absoluta.

SUMMARIUM.

1. *A condemnatione in expensis datur appellatio.*
2. *Quando tertius judex adjicit aliis sententiis condemnationem in expensis, potest appellari ab hujusmodi condemnatione, licet facta in tertia sententia.*
3. *A condemnatione expensarum contumacialium; non datur appellatio, quod tamen declaratur.*
4. *Si expensae non fuerunt petitae accessorie cum principali negotio, duae requiruntur appellationes.*
5. *Quando judex condemnationem omisit, si victus appellationem interposuit a sententia simpliciter, et in totum, an victor appellare possit a d. omissa condemnatione.*
6. *Si victus a sententia non appellavit, potest victor ab omissa condemnatione in expensis appellare.*
7. *Quid autem dicendum, ubi judex expresse victum ab expensis absolvit, et idem victus simpliciter a sententia appellavit.*
8. *Et rursus quid dicendum quando expensae non fuerunt a victore petitae, et judex in sententia nihil de eis dixit, an scilicet detur tunc appellatio ab omissa condemnatione.*

CONSULT. VII.

Descendendo ad alia, quae ad hanc materiam expensarum litis conferunt, quaeritur in praesenti, an licitum sit appellare tam a condemnatione in expensis, si judex in sententia victum condemnavit, quam ab omissa condemnatione si de expensis nihil in sententia fuerit dictum, vel expresse pars victa fuerit absoluta, et quia quaesitum, ut evidenter patet, duas continet inspectiones, hinc illud dividendo in duas partes. Circa primam breviter pro resolutione notandum dico communem juristarum sententiam
1. esse utique licitum esse appellare a condemnatione in expensis, ut optime dixit *Ridolph. in prax. par. prim. cap.* 13. *n.* 621. *Add. ad Sanfelic. decis.* 34. *vers. ab omissa condemnatione*, et in fortioribus terminis su-

stinet *Scacc. de appell. q.* 17. *limit.* 1. *n.* 45. ubi ait, quod quando tertius Judex fert sententiam conformem primae, et secundae, et adjicit condemnationem in expensis, de quibus nihil fuerat dictum per primos
2. Judices, tunc etiam potest appellari a condemnatione expensarum, quia licet haec videatur tertia appellatio, tamen quoad expensas non est tertia, sed prima, et conferunt etiam tradita per *Rot. decis.* 322. *n.* 15. *part.* 12. *rec.*, ubi quod tunc dicitur adesse res judicata super expensis, quando super eis tres prolatae fuerunt sententiae.

Major difficultas in proposito prima facie in eo residere videtur; utrum modo dicta procedant, locumque habeant etiam in hypothesi, quod ageretur de expensis contumacialibus, et an duae requirantur appellationes, ubi victus fuit condemnatus in negotio principali, et in expensis, vel unica tantum sufficiat; unde circa expensas contumaciales, pro hujusmodi difficultatis determinatione, dico regulam negativam esse constituendam, nimirum a condemna-
3. tione expensarum contumacialium neutiquam dari appellationem, ea efficacissima ratione, quia contumax volens audiri debet eas reficere, atque adeo non potest appellare, ut edocet *Scacc. de appell. quaest.* 17. *limit.* 21. *n.* 67. *Brederod. de appell. tit.* 40. *de expen. col.* 668. *litt. D.*, subdens solum in hoc themate appellationem habere locum, si contumax antequam condemnetur in expensis compareat, et in eum poenitentem feratur condemnatoria in expensis; quo vero ad appellationem, an scilicet una sufficiat, vel duae appellationes sint necessariae, hic punctus ea distinctione recipit decisionem, quod aut expensae fuerunt petitae principaliter, et de per se, et non accessorie cum principali negotio, et tunc verior sententia est, quod duae requirantur appellationes, aut vero fuerunt petitae accessorie cum principali negotio, et in tali themate dicendum est unicam tantum appellationem sufficere, ut concordantes referendo firmat *Carpan. ad Statut. Mediol. cap.* 55. *n.* 121.

His autem expositis circa primam quaesiti partem, quod attinet ad secundam, videlicet an licitum sit appellare ab omissa condemnatione in expensis, respondeo, quod pro resolutione hujus difficultatis, plures sunt distinguendi casus.

Primus casus est, quando Judex
4. condemnationem omisit nihil penitus in sententia dicendo de condemnatione, vel absolutione, et victus appellationem interposuit simpliciter, et in totum a praedicta sententia, et in tali hypothesi probabilius mihi videtur victori nequaquam licitum esse appellare ab omissa
5. condemnatione in expensis, ea ratione, quia hujusmodi ap-

pellatio esset frustranea, et inserviret de vento, dum dictus victor in causa appellationis a victo, ut supra interpositae, per quam devolvitur totum negotium sententiae, posset sine dubio obtinere condemnationem expensarum, quinimo hanc propositionem, sibi vindicare locum, recteque procedere etiam si victus, qui appellavit vellet appellationi renunciare, vel eam non prosequi, quoniam cum per eam fuerit jus quaesitum victori, non est ideo ad ejus damnum, et incommodum permittenda praedicta renunciatio, bene scripsit *Scacc. de appell. quaest.* 17. *limit.* 21. *n.* 1. *et seq., et est videndus etiam Mysinger. observat.* 22. *sent.* 2. *Carpan. ad Statut. Mediol. cap.* 55. *n.* 112. Caeterum si res ita se haberet, ut appellatio victi non esset interposita simpliciter, et in totum, sed tantummodo in parte, et partibus contra se facientibus; in hujusmodi themate videretur totum oppositum firmandum esse, ut docet *Carpan., et Mysing. loc. cit.*, circa quam rem tamen videndus est *Scacc. d. q.* 17. *limit.* 21. *n.* 19., *et seq.* ubi tota materia, et aliqua cumulat etiam *Capuc. in prax. part.* 3. *cap.* 11. *art.* 17. *n.* 264., *et seq.*

Secundus est casus quando Judex de expensis nihil penitus dixit, et victus a sententia non appellavit, et in tali hypothesi rationabilior mihi videtur sen-
6. tentia, quod victori utique licitum sit ab omissa condemnatione appellare, ad effectum, ut damnum, quod passus fuit ob condemnationem in expensis, ut dictum fuit, a Judice omissam, reparare commode, et facilius valeat, et secundum hanc sententiam concludere videtur *Add. ad Sanfelic. decis.* 346. *vers. ab omissa condemnatione.*

Tertius est casus ubi Judex expresse victum ab expensis absolvit, et in hujusmodi themate, licet aliqui mordicus sustineant procul dubio victori licitum esse appellare, sive victus appellaverit in totum sive pro parte, tamen hoc non ob-
7. stante contrarium verius, et magis rationi consonum existimo, quando victus simpliciter appellavit. Etenim cum appellatio simplex devolvat totum negotium sententiae etiam si sententia contineat capitula separata, ideo sibi arrogant locum, quae dicta fuerunt in primo casu, ut animadvertit etiam *Scacc. d. q.* 17. *limit.* 21. *n.* 1., *et seq.*

Ultimus casus est quando expensae litis non fuerunt a victore petitae, et Judex nihil de eis
8. in sententia dicit, nec condemnando, nec absolvendo, et in hujusmodi facti specie, an detur appellatio nec ne, punctum latissime examinat *Scacc. d. q.* 17. *limit.* 21. *n.* 34., *et seq. aliique ab ipso relati*, ad quos brevitatis gratia lectorem remitto.

ARGUMENTUM.

Quaeritur an propositio, qua firmatur contumacem non esse audiendum, nisi refectis expensis, semper procedat, et quid an refectis expensis aliquando etiam ei deneganda sit audientia, cum nonnullis effectibus contumaciae, tam quoad reum, quam quoad actorem.

SUMMARIUM.

1. *Contumax est condemnandus in expensis, etsi habeat justam causam, et non debet audiri nisi illis refectis.*
2. *Et hoc procedit etiam in actore si post executam citationem poeniteat.*
3. *Limita tamen quando expensae non sunt liquidae.*
4. *Limita secundo in minore, qui fuerit condemnatus in contumaciam, ei prius non deputato Curatore, si illum non habeat.*
5. *Limita tertio quando contumax fuit citatus ad locum non tutum, vel ei non fuit assignatus terminus, nec certum tempus legitimum, vel apparet non fuisse citatum.*
6. *Si sententia feratur favore actoris absentis, et contumacis, est condemnandus in expensis.*
7. *Refectis expensis contumacialibus, non possunt repeti, etsi contumax postea vincat in causa.*
8. *Contumax ex primo, secus vero ex secundo decreto, auditur refectis expensis.*
9. *Debitor an recuperare possit rem, in quam creditor in contumaciam immissus est in possessionem, refectis expensis.*
10. *Alia indicantur circa hanc materiam.*

CONSULT. VIII.

Licet vera, et ab omnibus amplexata sit propositio, qoud contumax in poenam suae contumaciae est in expensis condemnandus, etiam si justam fo-
1. veret litigandi causam, ita, et taliter, ut non mereatur audiri, nisi prius refectis expensis, ut aliis subtacitis docet *Fermosin. de Judic. ad cap. finem litibus* 5. *de dolo*, et *contumac. quaest.* 10. *n.* 4., *et seq.* quinimo hoc procedere certissimum sit tum in contumace reo convento, tum etiam in acto-
2. re, qui post executam citationem ipsi reo, si poeniteat, et non compareat, est condemnandus in expensis factis a reo, ut bene animadvertit *Carpan. ad Statut. Mediol. part. prim. cap.* 10. *n.* 149., et ut latius habetur ex seq. consult.; sunt tamen aliqui allegabiles casus, in quibus contumax auditur etiam non refectis expensis.

Et primus casus est quando ex-
3. pensae non sunt liquidae, prout in terminis expensarum contumacialium docet *Fermosin. de Judic. d. quaest.* 10. *n.* 8. ubi ait, quod contumax auditur satisdando si expensae non sunt liquidae.

Secundus casus, qui hic adducitur est de minore, qui si fuerit in contumaciam condemnatus eidem prius non deputato curatore, si illum non habet,
4. per viam restitutionis in integrum evitare poterit refectionem expensarum, ut pluchre dixit *Thesaur. decis.* 9. *per tot. D. Bonden. colluct. legal.* 50. *n.* 18. *t.* 1., ubi alios congerit, et respondet contrariis; praedictae autem propositionis ea est ratio, quia agere cupiens contra minorem debet ejus curatorem perquirere, et in ejus defectum instare pro deputatione alterius, sub poena nullitatis judicii, ideoque si actor nulliter egit, debet sibi imputare.

Tertius est casus quando contumax fuit citatus ad locum non tutum, tunc enim cum non teneatur accedere, nec minus te-
5. netur ad refectionem expensarum, ut est videre penes dictum *Fermosin. d. quaest.* 10. *n.* 8., ubi etiam alium exponit casum, videlicet quando contumaci non fuit assignatus terminus, nec certum tempus legitimum, quod pari ratione dicendum mihi videtur, quando contumax non valuit accedere ob citationem sibi non executam.

Verum cognitis breviter casibus, in quibus contumax audiri potest etiam non refectis expensis, nunc iterum redeundo ad regulam, quod contumax in poenam suae contumaciae est condemnandus in expensis, etc. Sciendum est, quod contra contumaces adeo jura clamant, ut si contingat, quod sententia feratur favore actoris absentis, et contumacis, non est in tali themate condemnandus in expensis victus, qui praesens est,
6. sed hanc condemnationem meretur actor ratione suae contumaciae, licet ipse victor remaneat. A ratione non nimis alienum esset, quod contumax, qui alias non auditur nisi refectis expensis, expensas consequeretur a reo praesente, prout hoc modo intelligendum esse *Text. in l. properandum §. sin autem ex gest., et §. siv. autem alterut. C. de Judic.* testatur *Fachin contr.* 40. *lib.* 1., *et cum eo pertransit Fermosin. de Judic. in cap. finem litibus* 5. *de dolo, et contum. quaest.* 4. *vers. ad secundum*.

Secundo ad ornamentum hujus materiae sciendum est, quod facta condemnatione contumacis in expensis, si iste refectis expensis, jura sua deducat, et postea vincat in negotio principali cum condemnatione adversarii in expensis, hoc tamen non obstante communis
7. scribentium est sensus, quod expensas contumaciales ejus adversario solutas nullo pacto praetendere, nec consequi possit, ut alibi in his consult. fuit dictum, et docet *Capuc. in prax. part.* 3. *cap.* 5. *art... Scacc. de appell. quaest.* 17. *limit.* 21. *n.* 67.

Tertio pro intelligentia propositionis superius expositae, videlicet, quod contumax non audiatur nisi refectis expensis, sciendum est, quod licet in se verissima sit, tamen aliquando contingit, ut contumacia minime purgari valeat per refectionem expensarum, et est casus
8. quando quis fuit contumax non ex primo, sed ex secundo decreto, ut pulchre dixit *Fermosin. d. quaest.* 10. *n.* 4., *seq. ubi dat concordan.*

Tandem vero si hic quaeratur, an creditore immisso in possessionem in contumaciam debitoris non comparentis, ipse debitor
9. rem recuperare valeat refectis expensis, hunc punctum distinguendo decidit *Rot. coram Duran. decis.* 364. *n.* 36., *et* 37., *et alia etiam circa hanc eamdem quaestionem docet Post. de subhast. inspect.* 11. *n.* 17. *Sanfelic. sect.* 38., *et Argel. de legit. contradict.*

Alia etiam circa expensas contu-
10. maciales vide in consult. 3.

ARGUMENTUM.

Quando reo fuit executa etiam simplex citatio, si actor in termino non compareat, est condemnandus in expensis a reo hujusmodi occasione passis, ut latius in Sum.

SUMMARIUM.

1. *Actor qui non comparet in termino citationis ejus adversario execut., est condemnandus in expensis per eumdem ejus adversarium passis.*
2. *Antequam actor dictas expensas reficiat, non debet audiri, etiam si esset minor vel Ecclesia.*
3. *Et declaratur quaenam expensae sint reficiendae.*

CONSULT. IX.

Inani torquetur labore, velisque, remisque frustra contendit Dominus Ludovicus Chiapellus in excipiendo adversus instantias Domini Joannis Mariae de Santolinis principalis mei, petentis, et juste praetendentis d. dominum adversarium condemnari in expensis passis occasione cujusdam citationis sibi exadverso executae, quoniam licet verissimum sit praefatum dominum Chiapellum d. citatione nequaquam usum fuisse, in illiusque termino nihil penitus dixisse, tamen quia, ut commune votum scribentium est, licita non est inconstantia in actore quando reo fuit executa etiam simplex citatio, ideo omnis suadet ratio, ut tunc idem actor, qui in termino non comparet, condemnetur in expensis hujus-
1. modi occasione a reo passis, nimis enim durum esset, quod in actoris libera facultate, et arbitrio repositum esset reum in judicium vocare, et deinde non comparendo eum indebite in expensis defatigare, prout hac amplexata sententia bene docet *Carpan. ad Statut. Me-*

diol. par. prim. cap. 10. *n.* 149., *et pluribus aliis congestis dixit D. Card. Albic. de inconstan. in judic. quaest.* 2. *n.* 11., *et seq.*, *ubi sub n.* 12., *et seq.* ait haec adeo vera esse, ut antequam
2. actor has expensas reficiat, nequaquam audiri debeat, nec in illa, nec in alia causa, etiam si d. auctor esset minor vel Ecclesia, cum pluribus aliis ibid. viden. et signanter, quod licet alias sub dicta refectione expensarum veniant expensae advocati, et procuratoris, tamen in casu contumaciae praedictae,
3. veniunt solum expensae, quas fecit comparens ex sua comparitione, et ratione contumaciae actoris.

ARGUMENTUM.

Ad trutinam in hoc loco revocatur quaestio, an qui testes induxit, et jurare fecit, possit invitus ab adversario cogi ad illos examinare faciendum propriis dicti inducentis expensis.

SUMMARIUM.

1. *Qui testes induxit, et jurare fecit si poeniteat, non potest ab adversario cogi ad illos examinare faciendum.*
2. *Post juramentum tamen praedictum testes dicuntur effecti communes.*
3. *Ita ut ab altera parte possint examinari absque reiteratione terminorum.*
4. *Qui testes induxit, et jurare fecit, si renunciet huic examini, et altera pars examinare cupiat, hoc examen debet fieri sumpt. petentis.*
5. *Expensa examinis testium spectat ad inducentem, ut hic firmatur.*
6. *Et quomodo haec propositio procedat quando testes examinantur super interrogatoriis partis adversae breviter declaratur, etc.*

CONSULT. X.

Pulchra, frequenterque occurrens est disputatio, quae hic nunc proponitur, videlicet an qui testes induxit, et jurare fecit, possit invitus ab adversario cogi ad illos examinare faciendum, et an expensa hujusmodi examinis cedere debeat damno illius qui testes jurare fecit, an vero adversarii petentis illos examinari.

Et circa primam dubii propositi partem, licet optime calleam nonnullos in eam ire sententiam, quod qui testes induxit, et jurare fecit, utique cogi possit ad illos examinare faciendum, ea ratione ducti, quia testes postquam jurarunt habentur pro examinatis, ita ut solum remaneat examen extendere, hoc tamen non obstante, puto contrarium verius, et magis communiter receptum esse; verius siquidem, quia contra omnem rationem videtur, quod quis invitus cogatur ad proban-
1. dum de jure suo; magis vero communiter receptum, ut vi-

dere est penes *Post. de manut. obser.* 89. *n.* 8., *et seq. Rot. rec. decis.* 549. *n.* 3. *part.* 3., et conferunt etiam tradita per eamdem *Rot. decis.* 102. *n.* 18. *par.* 9. *t.* 1.

Neque huic sententiae pro meo judicio officere potest motivum superius in contrarium deductum nimirum, quod testes postquam jurarunt, habeantur pro examinatis, etc. quoniam aliis omissis responsionibus, dicimus dictum objectum procedere solum quantum ad hoc, ut etiam altera pars possit dictos testes
2. examinari facere, juramentum etenim illum tantummodo in proposito operatur effectum, ut faciat testes utrique parti communes, ut bene concludere videntur *Post. loc. cit. Rot. d. decis.* 549. *n.* 3. *par.* 3., *et dec.* 102. *n.* 18. *part.* 9. *t.* 1., ubi quod testes ab una parte inducti, et ad illius instantiam ju-
3. rati, possunt ad instantiam alterius partis absque reiteratione terminorum examinari, cum fuerint effecti communes.

Rebus autem sic se habentibus circa primam, successive descendendo ad alteram dubii partem, breviter, sed cum sensu veritatis respondeo, quod quatenus ad examen dictorum testium deveniatur citra consensum, et voluntatem illius, qui alias eosdem testes induxit, et jurare fecit, utique expensa hujusmodi examinis cedere debet damno alterius partis, quae pro examine instat, seu inste-
4. tit; et ad hanc firmandam propositionem triplici fundamento praecipue moveor; primum scilicet fundamentum est, quia nimis grave, et a ratione nimis remotum esset, quod quis propriis expensis invitus faceret, ac pararet probationes favore adversarii sui. Secundum est fundamentum, quia sicuti, qui testes induxit ad effectum illos deinde formiter examinandi, si poeniteat, et huic examini renunciet, non est cogendus ad illos examinandum, ut superius fuit ostensum, ita neque videtur compellendus ad subeundam expensam ejusdem examinis tanquam accessoriam, et pro eodem examine debitam, alias non esset eum quodammodo, ac per indirectum cogere ad d. examen faciendum; tertium denique fundamentum in eo consistit, quoniam cum certum, et indubitatum sit expensam examinis testium spe-
5. ctare, et pertinere ad inducentem, ut docet *Cavaler. decis.* 254., et conferunt tradita per *Scacc. de judic. lib.* 2. *cap.* 8. *quaest.* 6. *n.* 849., *et seq.* ubi ait, quod testes producti debent venire expensis producentis, et petentis illos examinari, ita ut ille contra quem producuntur non teneatur contribuere ad expensas etiam si det interrogatoria, per regulam, quod petens aliquid fieri tenetur ad expensas, cum aliis similibus apud eum videndis; ex hoc propterea funda-

mento unusquisque fateri debet expensam examinis spectare ad eum, qui pro eodem examine instat, non vero ad eum qui poenitens eidem examini renunciavit, attento quod supposita poenitentia, et renunciatione jam dicta, qui deinde pro examine instat, succedit in locum ejus adversarii in omnibus, et per omnia, et ipse dicitur inducens, ex qua consideratione me pluries docuerunt Practici, quod in hoc casu ille, qui pro examine instat debet formare articulos, qui vero poenitens testes induxisse examini renunciavit, debet dare interrogatoria quatenus, etc., et quod in proposita facti specie expensa examinis, licet omnibus superius expositis rationibus non adductis, sequatur eum, qui pro examine instat, concludere videtur etiam *Hieronym. Laurent. decis. Avenionen.* 116.

Caeterum ad Dei gloriam expeditis, ac resolutis quaestionibus superius propositis, unum pro corollario est hic adnotandum circa propositionem, qua diximus expensam examinis testium spectare ad inducentem, et est, quod etsi hujusmodi conclusio verissima sit, et recte procedat etiam in hypothesi, quod testes examinentur super interrogatoriis partis adversae, tamen ad
6. sensum nonnullorum limitatur in expensa necessaria pro judice, interprete, et Notario scribente examen, hanc enim ab utraque parte jure communi inspecto fieri debere pro rata semper quod ab altera parte dentur interrogatoria, ea ratione id suadent, quia testes inducens tantam impensam non faceret sine interrogatoriis, quantam facit cum interrogatoriis, ut aliis subtacitis videre est penes *Scacc. de judic.* § *d. lib.* 2. *cap.* 8. *quaest.* 6. *n.* 853., *et seq.*, ubi tamen subdit in hoc recedendum non esse a stylo, quod valde mihi arridet.

ARGUMENTUM.

Est praesens Consultatio tota circa illud quaesitum, an scilicet expensae primae instantiae debeantur per appellantem victum completo appellationis judicio, si primus judex victum condemnare omisit, aut expresse absolvit, vel si condemnavit, ejus sententia fuit a secundo judice revocata, et prout latius in Summario.

SUMMARIUM.

1. *Si judex primus victum in expensis condemnare omisit, et judex appellationis eum condemnat, debentur etiam expensae primae instantiae.*
2. *Limita tamen quando victus in prima instantia habet justam litigandi causam.*
3. *Limita secundo, ubi constat judicem appellationis condemnantem intellexisse de expensis coram se factis tantummodo.*

4. *Limita tertio, ubi judex appellationis non protulit sententiam super negotio principali, sed solum super desertione.*
5. *Limita quarto, ubi agitur de expensis interlocutoriae factis coram primo judice, ut hic declaratur, etc.*
6. *Expensae primae instantiae debentur etiam quando primus judex in eis victum condemnavit, et secundus sententiam primam confirmat l. de expensis nihil dicat; secus autem si eam revocat.*
7. *Expensae primae instantiae non debentur ubi victus fuit absolutus a primo judice, et judex appellationis primam sententiam confirmat cum condemnatione victi in expensis.*
8. *Quoties judex appellationis victum ab expensis absolvit, et judex primus expresse condemnaverat, an debeantur expensae primae instantiae, est videndum an sententia primi judicis fuerit revocata, vel confirmata, ut hic distinguitur.*
9. *Sed quid dicendum ubi sententia prima fuit tantummodo reformata.*

CONSULT. XI.

Quia certa, et determinata regula dari non potest circa dubium mihi propositum, videlicet, an expensae primae instantiae semper debeantur per appellantem victum completo appellationis judicio, nisi plures, ac inter se distinctae propositiones firmentur, propterea pro clariori etiam methodo plures hic distinguere casus operae pretium duxi.

Primus ergo est casus quando judex primae instantiae victum in expensis condemnare omisit, vel quia oblitus fuerit, vel quia non fuerint petitae, et in tali themate verior, ac magis re-
1. cepta sententia est, ut etiam expensae primae instantiae, debeantur si judex appellationis victum victori in expensis condemnavit, ut aliis congestis, pulchre animadvertit *Rot. rec. decis.* 335. *n.* 14. *part.* 16. *Amati decis. March.* 73.; Et licet *Decius in cap. repraehensibilis n.* 6. *extra de appellat. Roland. cons.* 62. *n.* 4. et alii ex antiquis, contrariam sententiam amplecti videantur, quando judex primae instantiae victum in expensis non condemnavit, horum tamen sententia tunc demum sibi arrogat locum, semper scilicet, quod appareat victum in prima instantia, in qua nec fuit condemnatus, nec absolu-
2. tus, habuisse justam causam litigandi, ut ponderat *Amat. loco cit. Carpan. ad Statut. Mediol. cap.* 55. *n.* 100., et ea ratione suadetur, quia sententia nunquam trahenda est ad casum, in quo judex videatur facere injustitiam; dictaque adversariorum sententia rursus procedere posset, quando scilicet essemus in casu, in quo constaret judicem appellationis in expensis condemnantem, non sensisse sub hujusmodi condem-

3. natione contineri expensas primae instantiae veluti quia dixisset victum victori ad expensas coram nobis factas condemnamus, ut de se patet; tertioque loco iterum procedere posset in hypothesi scilicet, quod judex appellationis non protulisset sententiam super negotio principali, sed solum pronun-
4. ciasset super desertione, ut bene notat *Scacc. de appell. quaest.* 11. *art.* 6. *n.* 161. *vers. declara* ubi ait, quod licet condemnatus in expensis simpliciter a judice appellationis, intelligatur condemnatus tam in expensis causae appellationis, quam causae principalis, hoc tamen procedere subdit, quando judex appellationis protulit sententiam super negotio principali, secus vero si pronunciavit super desertione tantummodo, quia tunc condemnatio non extenditur ad expensas causae principalis; et denique exadverso deducta per Decium, aliosque sectatores, locum habere possent, ubi, et quoties ageretur de expensis interlocu-
5. toriae, in quibus si judex primus, victum condemnare omisisset (idemque juris esset si in expensis eumdem victum expresse condemnasset, et exadverso ab hac condemnatione non fuisset appellatum) tunc quia procul dubio non posset judex appellationis causae principalis super praedicta omissa condemnatione, vel expressa condemnatione sententiam ferre supplendo, vel respective revocando ob transitum in judicatum dictae interlocutoriae propter non interpositam appellationem, nisi forsan interlocutoria esset lata super eo, quod affert praejudicium negotio principali, vel super eo, quod reddit negotium nullum, ideo in praedicto themate sub condemnatione in expensis facta per judicem appellationis, non continerentur expensae interlocutoriae, in quibus a judice primo non fuit facta condemnatio, ut docte aliis cumulatis edocet *Brederod. de appell. tit.* 40. *de expens. col.* 666. *litt. D.*

Secundus casus est quando primus judex victum expresse in expensis condemnavit, et secundus sententiam illam confirmat nihil de expensis dicendo, et in hac hypothesi censeo pariter deberi expensas pri-
6. mae instantiae, iis praesertim ductus rationibus, quod ubi sententia remanet confirmata, videtur etiam facta confirmatio in parte condemnante in expensis, cum sententia individua sit ad *Text. in l. in hoc judicio ff. famil. ercisc.*, quodque omnia, quae in confirmato existunt in confirmante repetita censentur ex vulgatis. Ex quibus infertur, quod si judex secundus revocaret primam sententiam, censeretur hujusmodi sententia etiam revocata quoad condemnationem in expensis, per rationem a contrario sensu.

Tertius est casus quando Judex primae instantiae victum ab expensis absolvit, et tunc si contingat, ut judex appellationis sententiam primam confirmet communi ore respondent Do-
7. ctores expensas dictae primae instantiae nequaquam deberi, etiam si judex appellationis victum victori in expensis condemnaret; etenim ad evitandam evidentem contrarietatem, talis condemnatio intelligi deberet in expensis tantummodo coram judice appellationis factis, ut docte ponderat *Gratian. decis. March.* 50. *n.* 1., *et seq.*

Quartus est casus quando judex appellationis partes ab expensis absolvit, et judex primus expresse victum condemnaverat, et in tali hypothesi punctus ea distinctione recepit decisionem, quod aut judex appellationis sententiam primam
8. confirmavit, vel eam penitus revocavit, si enim sumus in casu confirmationis, veluti quia dixerit bene fuisse judicatum, et male appellatum, et in hujusmodi facti specie ad evitandam evidentem contrarietatem, ut superius fuit dictum, procul dubio est concludendum absolutionem ab expensis factam a secundo Judice neutiquam extendendam esse ad expensas factas in prima instantia, ut pulchre docet *D. Balduc. in obs. ad cons. Ramon. cons.* 89. *cap.* 2. *n.* 17., *et seq. ubi concordan.*; si vero in secundo membro distinctionis versamur, videlicet quando judex appellationis primam sententiam prorsus revocavit, et tunc cum indubitanter censeatur etiam revocata in parte condemnante in expensis, sequitur ideo per consequens necessarium, quod hujusmodi absolutio extendatur etiam ad expensas primae instantiae, ad notata per *d. D. Balduc. loc. cit. n.* 20.

Quid autem dicendum sit ubi secundus judex primam sententiam prorsus non confirmavit, nec revocavit, veluti quia eam reformaverit, respondet *Balduc. loco superius cit.* quod non obstante d. reformatione, ab-
9. solutio secundi judicis, non comprehendit expensas primae instantiae, in quibus victus expresse fuerat condemnatus, et allegat. *Barz. decis. Bonon.* 23. *n.* 4. *vers. nam licet verum sit*, et pro hac conclusione ea mihi videtur adducibilis ratio, quia quoties secundus judex sententiam primam prorsus non revocat, sed in aliqua tantum parte reformat, in reliquis igitur confirmasse censetur, sicuti enim in ea parte, in qua eam reformare voluit, hoc dixit expresse, ita etiam si eamdem reformare voluisset quoad expensas, hoc pariter expresse dixisset.

ARGUMENTUM.

Enumerantur hic breviter expensae, quas victor recupera-

re, ac consequi potest a victo jure communi inspecto.

SUMMARIUM

1. *Copia petitionis est danda reo sumptibus actoris, et haec expensa actori non est reficienda.*
2. *Copia mandati procurae pariter est danda sumptibus comparentis.*
3. *Expensa primae citationis est reficienda a victo, nisi statim comparuerit, et debitum agnoverit, licet hoc ultimum non procedat, quando fuit prius extrajudicialiter monitus.*
4. *Idemque omnino dicitur de expensa libelli.*
5. *Amplia, ut idem procedat quoad expensas instrumentorum ab actore extract. ante litem, si reus mota lite comparet, et non vult litigare.*
6. *Victus non tenetur reficere expensas, quas victor fecit propria culpa.*
7. *Et hoc exemplificatur in expensis factis propter absentiam actoris.*
8. *Expensae factae praeter necessitatem, et quae solitum excedunt non sunt reficiendae, etsi ageretur de purgatione attentatorum.*
9. *Quando quis cedit liti, et altera pars hoc non obstante, vult reportare Sententiam, an sint reficiendae expensae pro d. sententia passae.*
10. *Ubi alicui incumbit necessitas faciendi aliqua acta, etsi quis non se opponeret, an facta ab aliqua persona oppositione, teneatur ista ad expensarum refectionem.*
11. *Apud Rot. Rom. aliaque suprema tribunalia in modica habentur consideratione expensae advocati, procuratoris, copistae, etc., et solum taxat scuta* 10. *pro qualibet instantia.*
12. *Secus tamen est in expensis judicialibus puta in citationibus, extractione scriptur., exam. Test., etc. pro quibus admittit integram refectionem.*
13. *Inter expensas judiciales connumerantur etiam sportulae.*
14. *Expensae pro extractione scriptur. ut sint reficiendae, an sit necessaria citatio contra reum, ut declaret, an velit stare simplici copiae.*
15. *Ubi accessus judicis ad locum differentiae fuit necessarius, expensae pro hoc accessu sunt reficiendae.*
16. *In taxatione expens. attenditur etiam id, quod fuit solutum procuratori, et advocato.*
17. *Etiam si quis habeat gratis in causa advocatum, ut hic firmatur.*
18. *Et quid ubi quis per se ipsum causam agitavit.*
19. *Expensae factae pro copiis instrumentorum reo consignat. sunt reficiendae.*
20. *Expensae litis veniunt sub promissione damnorum, et interesse.*
21. *Appellatione tamen expensarum non veniunt damna.*
22. *Sed quid dicendum, an scilicet hoc procedat ubi agitur de damnis intrinsecis, vel sumus in judicio revocationis attentat., vel agitur contra contumacem, etc.*

CONSULT. XII.

Licet verissimum sit, et experientia omnes practicos doceat, unamquamque civitatem suum proprium, et particularem stylum habere in determinando quas, et quales expensas victus victori reficere debeat; nullatenus tamen quia praxis non omnia semper solvit, ideo ad utilitatem in foris versantium, omnemque alium bonum finem, non ab re censui nonnulla circa hujusmodi materiam in terminis juris communis hic adnotare: lectorem igitur primo monitum volo, quod cum copia petitionis actoris reo sit danda sum-
1. ptibus dicti actoris, ut post alios firmarunt *Sanfelic. in prax. sect.* 39. *n.* 1. *Leoncill. decis. Ferrar.* 12. *n.* 6. ex hoc propterea inferunt omnes, hujusmodi expensam actori minime reficiendam esse etsi victor in causa remaneat, etenim alias vera non esset praefata propositio, quam J. C. simpliciter, et absolute firmant videlicet quod d. copia reo sit danda
2. sumptibus actoris; idemque puto concludendum de copia mandati procurae comparentis alieno nomine, quae est edenda sumptibus comparentis, ut docet *Vivius decis.* 11. *lib.* 1. *n.* 13.

Secundo lectorem monitum volo, quod licet expensa primae citationis regulariter a victo victori reficienda utique sit, hoc tamen non applicatur quoties
3. reus citatus statim comparuit, et debitum agnovit, nisi forsan idem reus fuisset prius extrajudicialiter monitus, quia tunc procul dubio teneretur ad expensas d. primae citationis, ut notat *Scacc. de Jud. lib. prim. cap.* 9. *n.* 2., *et seq.* ubi sub n. 7. subdit eadem ratione di-
4. scurrendum esse de expensa libelli, quae licet reo sit edenda sumptibus actoris, ut fuit dictum, tamen si reus fuerit extrajudicialiter monitus, poterit actor in tali casu repetere a reo victo expensam d. copiae libelli, hisque mirabiliter conferunt tradita per *Borgnin. decis.* 15. *n.* 33., *et seq.* ubi ait, quod si actor ante litem motam extrahere fecit a notario instrumenta, et scri-
5. pturas, et deinde lite mota reus comparet, et non vult litigare, sed solvere, dicit inquam, quod reus non tenetur ad dictas expensas, quod tamen limitat *Christin. decis. Belgic.* 262. *n.* 3. *vol.* semper quod actor antequam in jus vocaret adversarium suum, eum extrajudicialiter interpellasset ad solvendum, juxta regulam superius traditam.

Tertio est hic recte advertendum, quod etsi verissimum sit victum condemnatum in expensis, easdem expensas reficere debere victori, aeque tamen apud omnes est certum hanc conclusionem nequaquam procedere quo-
6. ad expensas, quas victor fecit

propria culpa, ut bene notat *Capuc. in prax. part.* 3. *cap.* 11. *art.* 8. *n.* 110., ubi quod propterea reus victus excusatur ab expensis, quas actor fecit ra-
7. tione suae absentiae, et est generale, quod expensae, quas collitigans praeter necessitatem facere voluit, vel solitum excedunt, nequaquam refici de-
8. bent, etsi ageretur de purgatione attentat., ut dixit idem *Capuc. d. part.* 3. *cap.* 11. *art.* 22. *n.* 383., *et seq. Rot. decis.* 117. *n.* 4. *part.* 13. *rec. De Luc. de Jud. disc.* 39. *n.* 19., ubi propterea subdit, quod quando quis cedit liti, et hac cessione non obstante altera pars pro sui satisfactione vult reportare sententiam, expensas passas pro hac obtinenda sententia recuperare non debet,
9. quod tamen ego intelligo, et libentissime admitto in hypothesi, quod renuncians liti a principio temere non litigaverit, secus quando malam fovebat causam, quia tunc si altera pars petat non obstante renunciatione ad definitivam procedi, poterit renuncians in omnibus expensis condemnari, et tenebitur etiam ad expensas factas post d. renunciationem, ut latius videre est *in cons.* 24. *circa finem*; caeterum alium pulchrum casum, in quo non omnes expensae in lite factae sunt reficiendae notat *D. Card. de Luc. loc. cit.*, et est quando alicui incumbit necessitas faciendi aliqua acta, quamvis
10. nullus se opponeret, tunc n. ait auctor citatus, quod si quis ob interesse ex. gr. successionis se opponat, non tenebitur iste nisi ad expensas, quas in majori quantitate fecit altera pars ratione hujusmodi oppositionis.

Quarto loco pro continuatione assumpti est iterum advertendum, quod quamquam stylus Sacrae Rotae Rom., et forsan aliorum Tribunalium talis sit, ut in taxandis, et reficiendis expensis, in modica habeantur consideratione, quae factae fuerunt in
11. Advocato, Procuratore, Copista, aliisque similibus, solum quod respectu Advocati, Procuratoris, et Copistae, conceduntur Scuta 10. pro qualibet instantia, ut notat *D. Card. de Luc. de jud. disc.* 39. *n.* 17., *et* 18., *et conferunt tradita per Gratian. discept. for. cap.* 56. *n.* 40., *et seq.* solumque admittat Rota refectionem, et quidem integram quoad expensas con-
12. sistentes in citationibus, extractione scripturarum, examine testium, sportulis, registris, et simil. quae judiciales, ac certae dicuntur ad tradita per eamdem *Rot. decis.* 522. *n.* 1., *et* 2. *part.* 14. *rec.* prout quo-
13. ad sportulas, tanquam necessarias pro lite idem dixit *D. Card. de Luc. d. n.* 17., *et* 18., de expensis factis in scripturis ad victoriam tamen causae necessariis reficiendis ab eo, qui in lite succumbit addenda est *Rotae decis. coram Priol. decis.*

273. *n.* 4., *et seq.* ubi quod i-
stae expensae inter vivas, et
judiciales numerantur, (et sub-
dit ulterius, quod haec proce-
dunt etiam si non praecesserit
14. citatio ad declarandum, an
reus velit stare simplici copiae,
quia talis citatio sit potius ex
urbanitate, quam ex necessi-
tate), quibus addi etiam me-
rentur expensae factae pro ac-
15. cessu judicis ad locum diffe-
rentiae, si iste accessus erat
necessarius ad notata in *decis.*
168. *n.* 7., *et seq. par.* 9. *t.*
1. *rec.*; His tamen non obstan-
tibus jure communi inspecto,
censeo, quod in taxatione ex-
pensarum, connumerandum sit
etiam id, quod fuit solutum
16. pro salario advocati, si in cau-
sa ejus opera erat necessaria,
et ex eadem ratione id pariter,
quod fuit solutum procuratori,
ut pulchre docet *Gratian. di-
scept. for. cap.* 56. *n.* 40., ubi
dicit hoc verum esse etiam si
quis habeat advocatum in cau-
sa sua gratis, cui rei conferunt
17. quoque tradita per *Capuc. in
prax. par.* 3. *cap.* 11. *art.* 20.
n. 326., *et seq.* ubi ait, quod
expensae procuratorum, et ad-
vocatorum sine scrupulo peti
possunt, quamvis ab istis fue-
rint eorum principalibus re-
missae animo tamen remune-
randi, et in hoc loco subdit
praeterea, quod in illis casibus,
in quibus expensae advocati, et
procuratoris debentur, adver-
tendum est, quod si quis per
18. se ipsum causam agitavit ta-
les expensas tunc neutiquam
consequi potest. Idem, quid-
quid sit de stylo S. Rotae a-
liorumque tribunalium, juris
communis dispositione attenta,
puto expensas factas pro copiis
instrumentorum reo consignat:
19. utique reficiendas esse, ut
notat *Add. ad Sanfelic. lib.* 3.
decis. 346. *vers. expensae copiae.*
Ultimo denique pro comple-
mento hujus consult. de altero
juris dogmate lectorem hic mo-
nitum volo circa materiam di-
ctarum expens., et est quod
facta per judicem condemna-
tione victi in expensis, in il-
lis tamen taxandis neutiquam
est habenda consideratio ad
damna per victorem passa, licet
20. n. verissimum sit expensas
litis venire sub promissione
damnorum, et interesse, ut no-
tat *Fenzon. ad Statut. Urb. cap.*
196. *n.* 6., *et* 7. penes quem
alii habentur concordantes, ae-
que tamen est certum appel-
21. latione expensarum nequa-
quam venire damna, ut aliis
subtacitis edocet *Urceol. cons.
for. cap.* 89. *n.* 59., *et Fenzon.
loc. cit.* quae tamen propositio
an recte procedat ubi agitur
de damnis intrinsecis, vel quan-
do sumus in judicio revocatio-
22. nis attentat., videnda est *de-
cis.* 73. *coram Bich.*, *et decis.*
221. *par* 16. *rec.*, *lateque pro-
sequitur D. Ansald. de comerc.,
et mercat. disc.* 64. *Thesaur. de-
cis.* 67. *per tot. Fermosin. de
judic. ad cap. finem litibus* 5.
de dolo, *et contumac. quaest.* 7.

vers., et huic resolut. n. 6. Rursusque an praedicta propositio procedat ubi agitur contra contumacem, videndus est *Formosin. supra quaest.* 10. *n.* 1., *et seq. Sanfelic. in prax. sect.* 38., ubi generaliter quaerit quas expensas reficere debeat contumax, qui vult audiri, *Rot. coram Bich. decis.* 497. *n.* 12., *et* 123. *n.* 4.

ARGUMENTUM.

Multa hic colliguntur circa modum servandum in taxatione expensarum, prout latius patet ex Sum.

SUMMARIUM.

1. *Pro taxatione expensarum facienda requiritur citatio.*
2. *Fidejussor tamen de judicatum solvendo non est citandus, sed sufficit citatio principali.*
3. *Taxatio expensarum contumacial. fit absque citatione.*
4. *Et hoc procedit etiam contra Actorem contumacem.*
5. *Ad istarum expensarum solutionem non est necessaria citatio.*
6. *Rursus requiritur juramentum super veritate, et quantitate expens.*
7. *De consuetudine tamen hoc juramentum non defertur solemniter, et recessit ab Aula.*
8. *Et contrarium procedere potest in expensis extrajudicial.*
9. *Data verisimilitudine expensarum quaelibet possibilis probatio admittitur.*
10. *Rursus requiritur judicis taxatio, et quod ferat suam sententiam.*
11. *Taxatio tamen judicis debet praecedere dictum juramentum.*
12. *Expensae litis non debent excedere duplum ejus, de quo disputatur.*
13. *Enumerantur expensae judiciales, et dicitur has esse integre reficiendas.*
14. *Immo pro istis potest relaxari mandatum absque alia liquidatione.*
15. *Extrajudiciales vero omisso juris rigore solent taxari juxta discretionem.*
16. *In judicio tamen attentat. reficiuntur, et debentur integre omnes expensae, nisi essent superfluae, et voluntariae.*
17. *Integre etiam debentur mandatario, et negotiorum gestori.*
18. *Pendente appellatione a definitiva potest fieri taxatio, ut hic explicatur.*
19. *In taxatione expensarum stylus est attendendus.*
20. *Judex Ordinarius potest taxare expensas coram aliis fact., secus vero delegatus, ut hic declaratur.*

CONSULT. XIII.

Visis in praecedenti consultatione rebus notabilioribus circa materiam taxationis expensarum, videlicet quaenam expensae in taxatione veniant, aut non, nunc descendendo ad alia, quae modum servandum in praedicta taxatione concernunt, dico, quod pro taxatio-

ne expensarum rite, et recte fact. facienda, ubi non adest stylus loci certus, et consuetus, prae caeteris infrascripta notari, ac servari debent a judice, ac a partibus.

Etenim illud primo in dispensabiliter pro meo judicio requiritur, ut pars victa, ac in expensis in contradictorio judicio condemnata citetur ad viden-
1. dum taxari expensas, vel ad interessendum taxationi, citatio n. semper est necessaria, ubi quis ex aliquo actu laedi potest, prout eleganter animadvertit *De Marin. resol.* 18. *n.* 3. *part.* 2., *et in terminis notat Ubert. de cit. cap.* 15. *n.* 302. ubi tamen, quod non est ci-
2. tandus fideiussor de judicatum solvendo quia judicium factum cum principali afficit eum secundario: dixi autem partem victam ac in expensis in contradictorio judicio condemnatam citandam esse etc. ad differentiam expensarum, in quibus victus in contumaciam fuit condemnatus, in
3. his etenim in poenam contumaciae fit taxatio absque alia citatione, ut docet *Camill. Borell. sum. decis. tit.* 46. *de contumac. n.* 131., *et* 132. *t.* 1. *Fermosin. de judic. ad cap. finem lit.* 5. *de dolo.*, *et contumac. quaest.* 10. *n.* 4. *et seq. Carpan. ad Statut. Mediol. part. prim. cap.* 10. *n.* 123., et in terminis expensarum contumacialium fact. a Reo, et ex eo
4. quod fuerit ab actore citatus, qui actor postea in termino citationis non comparuerit, vide *allegat. per D. Card. Albic. de incostan. in judic. quaest.* 2. *n.*
5. 25. ubi etiam quod ad istarum expensarum solutionem non est necessaria citatio.

Secundum requisitum, quod pro d. taxatione facienda jure communi inspecto necessario concurrere debet, consistit in juramento suscipiendo per victo-
6. rem super veritate, et quantitate dictarum expensarum, ut docet *Fenzon. ad Statut. Urb. lib.* 1. *cap.* 196. *n.* 115., *et seq. Ferentill. ad Buratt. decis.* 921. *n.* 22. *Rot. decis.* 177. *n.* 4. *part.* 7. *rec.* licet de consuetudine dictum juramentum
7. de raro deferatur solemniter, cum videatur recessisse ab Aula, ut notat *Rembold. decis.* 107. *n.* 3., *et* 4. *Ferentill. ad Buratt. d. decis.* 921. *n.* 22. *Rot. part.* 7. *rec. decis.* 177. *n.* 5., ubi quod in taxatione expensarum juramentum partis requiritur sed tamen de raro defertur solemniter, et contrarium pro meo judicio procedere for-
8. san potest in expensis extrajudicialibus, non vero in judicialibus, quae sufficienter justificantur ex actis; et circa praedictam taxationem expensarum est etiam advertendum, quod eo ipso, quod expensae
9. sunt verisimiles, quaelibet possibilis probatio admittitur ad notata per *Capuc. in prax. part.* 3. *cap.* 11. *art.* 22. *n.* 382.

Iterum nota, quod ad praefatum effectum illud etiam necessario

requiritur, ut scilicet judicis
taxatio cum effectu sequatur,
10. quodque idem judex suam
ferat sententiam super expen-
sis, ut communi ore fatentur
DD., et prae caeteris docet
Capucc. Ferentill. ad Buratt.,
et Fenzon. loc. cit. subdentes
11. tamen advertendum esse, quod
taxatio judicis debet praecede-
re juramentum superius dictum,
ob rationes, quas ipsi addu-
cuntur.
Ulterius est etiam notandum, quod
pro taxatione expensarum rite,
ac recte facienda, alia duo ex
parte judicis sunt observanda;
alterum scilicet an expensae
taxandae longe excedant id,
de quo principaliter disputaba-
12. tur, quoniam regula est, quod
expensae litis non debent ex-
cedere duplum ejus, de quo
litigatur, ut docte ponderat
Leoncill. decis. Ferrar. 104. *n.*
1., *et* 2., ubi hujusmodi de
causa testatur moderatam fuis-
se quamdam taxationem expen-
sarum; alterum vero in eo con-
sistit, quod expensae litis aliae
sunt judiciales, seu vivae nun-
cupatae, et sunt quae passae
fuerunt pro citationibus, inti-
13. mationibus, instrumentor. ex-
tractione, examine testium, et
similes, et circa istas commu-
ne Doctor. consortium in id con-
sentit, quod utique integre de-
beantur a victo victori, ut e-
docet *Add. ad Buratt. decis.*
921. *n.* 12. *Rot. post. Zacch.*
de oblig. Cam. decis. 262. *n.*
11., ubi quod immo pro istis
14. absque alia liquidatione po-
test relaxari mandatum, cum
ex actis liquidentur; aliae ve-
ro dicuntur extrajudiciales, seu
mortuae, ut ex. gr. quae fa-
ctae sunt in procuratore, ad-
15. vocato, solicitatore, et simil.
et istae, omisso juris rigore, so-
lent a judice taxari juxta di-
scretionem, ac ejus arbitrio,
ut optime animadvertit *Rot.*
coram Duran. decis. 101. *n.* 3.,
et in rec. par. 14. *decis.* 384.
nisi tamen expensae deberen-
tur jure actionis, ut infra pa-
tebit in cons. 15. vel ageretur
de expensis attentat. aliisque
similibus, attentans n. pro suf-
ficienti purgatione attentatorum
tenetur ad omnes expensas in-
16. tegre, et usque ad ultimum
quadrantem, dummodo non sint
superfluae, et voluntariae ad
tradita per *Rot. decis.* 80. *n.*
2. *part.* 13. *rec.* ubi ait, quod
integre in hoc judicio reficiun-
tur etiam extrajudiciales, puta
Advocati, Procuratoris, Copi-
stae, etc. hocque totidem ver-
bis dixit etiam in *decis.* 527.
part. 18. *t.* 2., *et coram Bich.*
decis. 73., et idem firmat quo-
que *D. Card. de Luc., de jud.*
disc. 39. *n.* 27., *et sub. n.*
31. alium quoque subdit ca-
17. sum, in quo tam judiciales,
quam extrajudiciales debentur
integre videlicet favore manda-
tarii, seu negotiorum gestoris.
Tandem pro coronide illud quo-
que circa taxationem expensa-
rum sciendum est tam a judi-
cibus, quam a partibus, quod

licet interposita appellatione a definitiva, ea pendente non videatur permissum ad taxationem expensarum devenire, ta-
18. men contrarium verius, et magis communiter receptum pro certo censeo, si taxatio fiat incontinenti antequam sit praesentata inhibitio, ut rationibus, et doctoribus cumulatis docent *Gratian. discept. fer. cap.* 698. *n.* 13., *et* 14. *Sabell. var. resol. cap.* 41. *n.* 3., aliosque in hanc sententiam euntes refert *Fermosin. de jud. ad cap. finem litibus* 5. *de dolo, et contumac. quaest.* 6. *vers. hoc praemisso*, licet tamen in
19. hoc, quam in aliis maxime sit deferendum stylo loci, ut generaliter monet *Rot. coram Bich. decis.* 73. *n.* 7., ubi quod in taxatione expensarum d. stylus est attendendus.

Post haec scripta iterum recognoscendo Sabellum loco citato, aliud notatu dignum penes eum inveni, et est, quod quamvis coram judice ordinario fie-
20. ri possit taxatio expensarum, etiam coram aliis judicibus fact., omnibus tamen cedulis dd. expensarum ei judicialiter consignatis, res tamen aliter se habet in delegato, nam iste sine speciali commissione non potest expensas coram aliis factas taxare, ut penes citatum auctorem videre est sub. n. 24.

ARGUMENTUM.

Inita transactione inter litigantes super negotio principali, quaeritur, an expensae praecedenter factae in lite praedicta amplius peti, ac consequi possint, si de his nihil dictum sit in d. transactione.

SUMMARIUM.

1. *Expensae litis, quae veniunt officio judicis, extincta lite per transactionem ante latam sententiam, amplius peti nequeunt.*
2. *Amplia, ut hoc procedat etiam inita transactione post sententiam, nisi de contraria mente contrahentium constet.*
3. *Rejiciuntur contrarium sentientes, et dicitur eorum sententiam tunc demum procedere, ubi scilicet transactio fuit inita, ut id, quod principali petitione petitum est solvatur.*
4. *Ut dicitur de eo, qui lite pendente solvit, qui potest pulsari pro expensis, si justam litigandi causam non habebat.*

CONSULT. XIV.

Ad dirimendas lites, quae inter D. Ludovicum Farsettum actorem, et D. Antonium Mariam Guidicellium reum conventum agitabantur, et per longum temporis spatium fuerant discussae, opera communium amicorum concordata, et ad effectum perducta inter partes praedictas amicabili compositione super omnibus capitibus in judicium deductis, praeter quam super expensis, quas utraque

pars in litibus praedictis sustinuerat, de quibus nihil fuerat dictum, subinde, et fere statim fuit per d. D. Farsettum actorem excitata praetensio, quod sibi ab adversario essent reficiendae expensae praedictae; unde orta inter praefatas partes super hujusmodi puncto non levi controversia, scribens ego pro D. Guidicellio, dicebam nequaquam D. Farsettum ejus adversarium audiendum, seu exaudiendum esse super praetensa consecutione dd. expensarum, etenim cum mihi in facto supponeretur transactionem fuisse initam antequam judex sententiam in causa promulgaret, nec aliquam inter partes ante transactionem praecessisse conventionem super dd. expensis, inde propterea omni posthabita dubitatione inferebam easdem expensas nullo prorsus pacto peti, ac conse-
1. qui posse, ea notissima ad ita firmandum me impellente juris conclusione, quod scilicet expensae, quae veniunt officio judicis, lite ante sententiam extincta ulterius peti non possunt, cum tunc judicis officium amplius non duret, ad notata in terminis per *Misinger. obs.* 48. *cent.* 4. *Verall. de transact. tit.* 5. *quaest.* 3. *n.* 13. *ubi alii concordan. habentur.*

Amplius punctum propositum altius, et accuratius examinando in praedictam sententiam eo libentius eundum esse animadvertebam, dum scribentes cum ea communiter pertranseunt in fortioribus terminis, videlicet etsi transactio super negotio principali inter partes celebrata appareat post latam senten-
2. tiam in causa cum condemnatione victi in expensis, tunc enim licet primo aspectu videatur concludendum expensas utique peti posse vigore dictae condemnationis, attamen contrarium ut dixi communiter est receptum, quoniam etsi in hac facti specie ratio superius exposita non applicetur, urget tamen alia non minoris ponderis consideratio, qua magis corroboratur nostrum assumptum, et est, quod quoties supponimus impositum fuisse finem per transactionem principali negotio, ex verisimili contrahentium intentione, dicendum etiam est fuisse initam pacem quoad expensas, nisi res ita se haberet, ut partes sibi reservassent jura sua pro dd. expensis, vel aliter de hujusmodi contrahentium intentione constaret, pro qua sententia videndus est *Camill. Borell. in summa decis. tom.* 2. *tit.* 39. *de expen. n.* 412., *et seq.*

Et licet contra haec mirabiliter obstare viderentur tradita per *Asin. in prax.* §. 32. *ampliat.* 38. hujus tamen doctoris scripta declarando dicebatur ejus Sententiam tunc demum forsan procedere, semper scilicet, quod constaret transactionem fuisse initam cum adversario, ad ef-
3. fectum, ut, id quod principa-

li petitione petitum est solveretur, tunc enim utique probabilius dicendum videtur reum nequaquam liberari ab expensis in vim transactionis etiam ante sententiam initae, nisi appareat justam habuisse causam litigandi, quemadmodum dici-
4. tur de eo, qui lite pendente petita solvit, et actoris desiderio satisfacit, secus vero ubi transactio fuit inita ad effectum lites componendi, ac extinguendi, ut ex lectura manibus tangi potest.

ARGUMENTUM.

Disputatur, et breviter deciditur, an indefinite vera sit propositio, quod ubi judex in expensis non condemnavit, quia ab illis tacite absolvisse censetur, expensae praedictae amplius peti nequeant, vel potius, an sit limitanda quoties agitur de expensis debitis jure actionis, vel vigore statuti, aut agitur de expensis factis in judicio manutentionis, purgationis attentat., vel si petantur eadem die, qua lata fuit sententia, aliisque similibus casibus, prout in Sum.

SUMMARIUM.

1. *Generalis conclusio est, quod quando judex victum in expensis non condemnavit, expensae neutiquam peti possunt.*
2. *Limita, ut non procedat in illis judiciis, in quibus implicite ex natura judicii, et ex juris dispositione veniunt expensae, ut dicitur de judic. manutentionis, attentatorum, etc.*
3. *Omissa per judicem condemnatione in expensis, potest haec fieri eadem die etiam post sententiam.*
4. *Expensae peti possunt etsi fuerint omissae in sententia, quando fuerunt promissae, sicque ubi debentur jure actionis.*
5. *Expensae debitae jure actionis peti possunt quodammodocumque lis finiatur.*
6. *Quoties agitur vigore obligationis cameralis, expensae sunt debitae jure actionis, et ideo peti possunt, ut supra.*
7. *Idem procedit quando quis promisit litem non inferre, vel eam in se suscipere cum clausula alias ad omnia damna.*
8. *In expensis debitis jure actionis, est regulare, quod integre debentur.*
9. *Postquam judex declaravit appellationem desertam, potest appellatus petere expensas a d. judice omissas.*
10. *Stante statuto mandante victum victori, etc. possunt peti expensae, esto, quod a judice fuerint omissae, et hoc quia tunc quoque debentur jure actionis, ut tamen hic declaratur.*
11. *Amplia denique quoties agitur de expens. contumacial.*

CONSULT. XV.

Non est vera indistincte propositio, quam nonnulli hujus

civitatis J. C. firmarunt, videlicet, quod quando judex in expensis victum non condemnavit,
1. expensae praedictae non debeantur, nec peti possint, quae generalis conclusio ultra Doctores congestos a dd. dominis, habetur etiam apud *Afflict. decis.* 42. *n.* 2. *Chartar. decis. Genuae* 1. *n.* 1. *Rot. post Zacch. de oblig. Cam. decis.* 218., ubi ait eam procedere etsi actum esset executive.

Quandoquidem pro hujus frequentissimae disputationis enucleatione sciendum est primo, quod praefata generalis conclusio sibi locum non arrogat in illis judiciis, in quibus implicite ex natura judicii, et ex juris dispositione expensae litis ve-
2. niunt, ut est exemplum de judicio manutentionis, nec non purgationis attentatorum, aliisque similibus, de quibus loquitur nonnullis additis declarationibus *Rot. coram Bich. decis.* 534. *per tot Capuc. in prax. par.* 3. *cap.* 11. *art.* 22. *n.* 360. *et seq.*, et conferunt tradita per *Scacc. de appell. quaest.* 17. *limit.* 21. *n.* 41. ubi ait, quo quoties agitur de purgatione attentatorum, licet judex non condemnaverit in expensis, tamen poterit post sententiam ex intervallo, et etiam post 10. dies condemnare.

Secundo declaratur propositio principalis superius exposita, ut sibi locum non usurpet, quoties omissa per judicem condemnatione in expensis, pars,
3. quae victrix fuit est diligens, et accurata petendo eadem die a judice, ut declaret, et pronunciet super expensis omissis, tunc enim expensas a judice omissas utique peti posse, et judici praeclusam non esse viam super eis pronunciandi dixerunt. *Fermosin. de judic. ad cap. finem litibus* 5. *de dolo, et contumac. quaest.* 5. *vers. unde notandum Fenzon. ad Statut. Urb. cap.* 196. *n.* 95. *Capuc. in prax. part.* 3. *cap.* 11. *art.* 16. *n.* 232.

Rursus praefata principalis conclusio declaratur, ut non procedat, nec recte applicetur in illis casibus, in quibus expensae inter partes fuerunt conventae, et omnia paucis verbis complectendo, quoties agitur de expensis, non judicis officio, sed jure actionis debi-
4. tis, in hac enim hypothesi omissam condemnationem non officere, et ea non obstante expensas peti posse, communis est sensus scribentium, ut videre est penes *Salust. Tib. lib.* 4. *cap.* 44. *n.* 1. *D. Card. Tusch. pract. concl.* 628. *n.* 20. *litt. E Asin. in prax.* §. 32. *ampl.* 12. *n.* 1. ubi ulterius subdit, quod expensae promissae, ac debi-
5. tae jure actionis semper peti possunt, sive lis sit finita per sententiam, sive per transactionem, sive aliter.

His autem positis ad ornamentum materiae infertur primo, quod quoties agitur vigore obligationis Cameralis, quia tunc sub

clausulis dictae obligationis partes se obligaverunt ad omnia damna, expensas, et interesse, ideo in tali themate expensae
6. tanquam debitae jure actionis, peti procul dubio poterunt etiam si judex condemnationem in expensis omiserit, ut docte firmavit *Rot. post Zacch. de oblig. Cam. decis.* 218. *cum ibi congestis*, et conferunt etiam tradita per *Capuc. in prax. par.* 3. *cap.* 11. *art.* 23. *n.* 394., *et* 496. ubi ait, quod quando quis promisit litem non inferre, vel eam suscipere cum clau-
7. sula alias ad omnia damna, etc. tunc peti possunt expensae etiam omissa a judice condemnatione, cum veniant sub dicta promissione loco damnorum, et interesse, et loco citato subdit etiam, quod dictae expensae debeantur integre, ad ra-
8. tionem scilicet, quod est impensum, hocque est regulare in expensis debitis jure actionis.

Infertur secundo, quod interposita appellatione ab uno ex litigantibus, si deinde contingat, ut ob ejus negligentiam in judicio appellationis, judex pronunciet appellationem desertam, certum tunc pariter est, quod pro parte appellati peti
9. possunt expensae in causa appellationis factae, esto, ut a judice, qui appellationem desertam pronunciavit de expensis praedictis nihil penitus fuerit dictum, hocque ea ponderatione suadetur, quia hujusmodi expensae petuntur jure actionis videlicet conditione capituli reprehensibilis, ut optime aliis cumulatis notarunt *Capuc. loc. sup. cit. n.* 395. *Brederod. de appellat. tit.* 40. *de expen. col.* 665. *litt. A.*, *et B.*

Iterum pro altiori assumptae quaestionis examine hic etiam opportune infertur, quod supposita statutaria dispositione, per quam demandetur victum victori condemnandum esse in expensis, in hujusmodi quoque themate militant, et ad un-
10. guem procedunt, quae dicta fuerunt in aliis illationibus ex ratione superius considerata, hoc tamen intelligendo dummodo victus justam litigandi causam non habuerit, ut docte firmavit *Fachin. contr. lib.* 12. *contr.* 52.

Alium denique casum, in quo praeclusa non est via expensas litis petendi, ex eo, quod judex de illis nihil dixerit, re-
11. fert, et examinat *Mysinger. obs.* 48. *cent.* 4. ubi loquitur de expensis contumacialibus.

ARGUMENTUM.

A decreto taxationis expensarum appellare non licet, potest tamen interponi appellatio ab excessiva taxatione expensarum, et quomodo hoc procedat declaratur, cum aliis, de quibus in Summario.

SUMMARIUM.

1. *A taxatione expensarum non datur appellatio.*
2. *Datur tamen ab excessiva taxatione.*
3. *Et quidem suspensiva, sed semel tantum, et debet exprimi excessus.*
4. *Et a tali excessu appellari potest etiam si ageretur de expensis contumacialibus.*
5. *Supposito d. excessu, potest etiam pars adire judicem taxationis, et ab eo obtinere illius reformationem.*
6. *Taxatio est sententia interlocutoria, quam judex semper reformare potest, ut hic firmatur.*
7. *Et hoc procedit etiam si post taxationem esset delatum juramentum parti.*

CONSULT. XVI.

Pro parte DD. Francisci, ac Julii Caesaris frat. de Amatoribus praetenditur, et speratur ad ulteriora procedendum esse in executione mandati in summa scutorum 30. relaxat: a D. Cursino pro expensis litis usque ad dictam summam servatis servandis taxatis, non obstante appellatione per illos de Zampiglis adversarios interposita a taxatione praedicta, quoniam cum ipsa taxatio sit actus declarativus sententiarum jam in judicatum transact., pro habenda deinde earumdem executionem in ea parte in qua victos condemnant in expensis, ex hoc propterea in tuto pro meo judicio ponitur pro-
1. positio, a taxatione expensarum appellationem non dari, eaque interposita nequaquam attendendam, seu admittendam esse, prout hac veritate agnita ingenue fatentur scribentes omnes, aliisque subtacitis videre est apud *Ridolphin. in prax. par. prim. cap.* 13. *n.* 620. *Rot. coram Rembold. decis.* 107. *n.* 1. In nihilum contra haec refragante, quod sicuti licitum est appellare a condemnatione in expensis, ut communiter admittunt doctores, ita etiam permissum esse debeat appellationem interponere a taxatione expensarum, quoniam ultra evidentem disparitatem resultantem ex ratione superius exposita, altera disparitatis ratio est, quod in tantum a condemnatione in expensis licitum esse debet appellare, quia scilicet quis ex eadem condemnatione gravamen recipere potest. Secus autem est, in taxatione expensarum, quae cum praesupponat condemnationem juste ac secundum juris tramites factam, non potest in aliquo gravans esse, nisi quoad excessum. Propterea strictius pro parte principalium meorum assumendo articulum, dicitur
2. quod exadverso erat interponenda appellatio ab excessiva taxatione expensarum, quod regulariter fieri posse testatur *Rot. rec. par.* 7. *decis.* 211. *n.* 4., *et coram Rembold. decis.*

460. *Add. ad Sanfelic. decis.* 346. *vers. a taxatione*, *Capuc. in prax. par.* 3. *cap.* 11. *art.* 17. *n.* 261., *et seq.* ubi ait, quod a taxatione expensarum
3. excessiva datur appellatio suspensiva, sed semel tantum, et debet exprimi excessus *Scacc. de appell. quaest.* 17. *limit.* 21. *n.* 63., *et seq.*, ubi ipse quoque admittit tantum appellationem ab excessiva taxatione, et dicit a tali excessu appellari pos-
4. se, etiam si ageretur de expensis contumacialibus, quod totidem fere verbis habetur etiam apud *Brederod. de appellat. part.* 2. *tit.* 40. *de expen. concl.* 668. *lit. D.* Rursusque ex abundanti, et pro norma hujus Civitatis Curialium animadvertere etiam lubet, quod quatenus adversarii ex taxatione praedicta, ut ipsi dicunt excessiva, se gravatos, ac laesos sensissent, ultra d. remedium appellationis ab excessiva taxatione cum expressione excessus, poterunt etiam eumdem judicem taxationis adire ad effe-
5. ctum ab ipso obtinendi reformationem decreti taxationis expensarum, quod posse fieri, nulloque jure prohiberi testatur *Cyriac. contr.* 61. *n.* 19., ubi eam evidentem rationem adducit, quia scilicet taxatio expensarum est sententia inter-
6. locutoria, quam judex revocare, ac reformare potest, cum quoad eum nunquam transeat in judicatum, ut notissimum est, et pulchre notavit etiam *Brederod. supra citat. concl.* 670. *litt. A.*, *et B.*, ubi insuper haec procedere ait etiam in hypo-
7. thesi, quod post taxationem esset delatum juramentum parti, cum hujusmodi juramentum non sit litis decisivum, sed stet loco probationis, ut latius apud eum videre est.

ARGUMENTUM.

Quaeritur an judex delegatus possit taxare expensas in causa factas praecipue si in sententia sibi reservavit hujusmodi taxationem.

SUMMARIUM.

1. *Judex delegatus post latam sententiam non potest expensas taxare, nisi contrarium suadeat rescriptum commissionis, et allegatur ratio.*
2. *Tam judici ordinario, quam delegato permissum est taxationem expensarum sibi reservare.*
3. *Sed tamen secundus non potest deinde taxare nisi talem facultatem habeat in rescripto.*
4. *Vel nisi ad taxationem deveniat dum fert sententiam.*

CONSULT. XVII.

Commissa per supremum principem cujusdam civitatis certi amici mei causa domino ejus auditori, postquam signatam hujusmodi commissionem, lata deinde servatis servan. per eumdem dominum sententia super

negotio principali, cum postmodum revocaretur in dubium, an d. dominus judex delegatus expensas in causa factas taxare posset, praecipue quia in sententia lata, fuerat cautus sibi reservando taxationem dd. expensarum, breviter sed cum sensu veritatis requisitus a d. amico, dicebam nequaquam dicto D. judici licitum, permissumque esse ad taxationem prae-
1. dictam devenire, hocque ea constanti, ac clara juris conclusione suadebam, quoniam scilicet judex delegatus post consumationem primi actus, hoc est post latam sententiam super negotio principali sibi directo, adeo spoliatus jurisdictione remanet, ut nisi contrarium ex tenore rescripti appareat, illam praetendere non posse quoad alios actus, certissimum sit, ut, aliis congestis dixit *Pacion. de locat. et conduct. cap.* 14. §. 9. *n.* 20., *et in terminis docet Carpan. ad Statut. Mediol. cap.* 56. *n.* 5., *et* 6. *ubi allegat Marant. in suo speculo*, *aliosque apud eum viden.*

Neque ad tribuendam d. Domino judici facultatem expensas praedictas taxandi aliquam considerationem mereri mihi videbatur praefata reservatio taxationis; etenim licet verissimum
2. sit tam judici ordinario, quam delegato permissum, ac concessum esse sibi reservare taxationem expensarum, maxima tamen cadit differentia inter primum, et secundum, et differentiam in proposito in eo residere dicunt communiter scribentes, quod primus, videlicet ordinarius, procul dubio potest deinde ad taxationem devenire, non sic vero secundus, qui in taxatione se intromitte-
3. re nequit, nisi talem habeat facultatem a rescripto, ob manifestam rationem superius consideratam, et ut aliis sub silentio omissis videre est penes *Carpan. d. cap.* 56. *n.* 5., *et seq.*, vel nisi eodem actu, quo
4. judex delegatus sententiam in causa promulgat, deveniat etiam ad taxationem expensarum. Quare dicebam, quod dictus D. Judex omissa d. reservatione facultatis expensas taxandi, potius debebat eas cum effectu taxare, nam sic pro meo judicio finis fuisset impositus huic disputationi, eo quia taxatio diceretur facta tempore habili, quo scilicet Delegati jurisdictio adhuc extincta non erat.

ARGUMENTUM.

Expensae mandati suspicionis fugae, et capturae vigore illius sequutae, omnesque aliae expensae, ad quam ex partibus spectent.

SUMMARIUM.

1. *Referuntur requisita ad hoc, ut quis possit capi tanquam suspectus de fuga.*

2. *Expensae mandati, et capturae spectant semper ad creditorem, etiam supposita validitate capturae.*
3. *Et quid si debitor fuerit prius citatus ad cavendum.*
4. *Quando mandatum suspicionis fugae est nullum culpa creditoris, tunc omnes expensae ad eum spectant.*
5. *Et hoc procedit etsi in meritis causae creditor alias bonum jus foveret.*
6. *Quoties nullitas procedit ob culpam executoris, ipse est condemnandus in expensis.*

CONSULT. XVIII.

Dominus Franciscus de Morettis carceratus sub die vicesima prima currentis Maii vigore mandati suspicionis fugae venit e carceribus relaxandus, et quidem gratis, ita ut ejus adversarius teneatur, et sit condemnandus in omnibus expensis, quoniam quod attinet ad excarcerationem praedictam, cum ex toto probationem contextu clare liqueat nullam fuisse exadverso datam probationem nisi circa creditum, quod pro parte carcerati non impugnatur, quinimo coram dominatione vestra illustriss. ductus illud libentissime fassus fuit, hinc necessario subsequitur ordinem de excarcerando d. debitorem amplius, nulloque pacto retardari posse, si verum prout verissimum est, quod ut mandatum contra suspectum de fuga sustineatur, ultra claram probationem crediti, debet etiam constare de imminenti debitoris fuga, ac de ejus deterioratione post contractum debitum, ut aliis cu-
1. mulatis late docet *Sabell. resol. cap.* 39. *per tot., et extat quoque super praedictis litteralis dispositio statuti hujus civitatis sub Rub. de suspect. et fugit.* Et si debitor carcerandus correum debendi habeat, prout in praesenti nostro casu, est etiam jurandus suspectus alter correus, ut videtur sentire *Rot. coram Ottob. decis.* 205. *n.* 7., *et pulchre dixit Scanarol. de visit. Carcer. lib.* 3. *§.* 8. *cap.* 2. *n.* 65. ubi eam efficacissimam adducit rationem, quod cum correus praedictus habeatur pro fidejussore, propterea perperam agit creditor contra unum tantum ex correis ad hoc, ut carceretur, et caveat, quia petit quod intus habet.

Positis autem in tuto his fundamentis pro obtinenda excarceratione praefati debitoris, nunc descendendo ad alteram praetensionem, nimirum, quod dicta excarceratio sit concedenda gratis, supplicatur super hoc recte reflecti, quod quantum primo loco attinet ad expensas
2. mandati, et capturae, planum est apud juristas, has utique semper ad creditorem spectare, etiam supposita validitate capturae, ut post alios scribentes libentissime fassus fuit *Scanarol. d. lib.* 3. *§.* 8. *cap.* 2.

n. 2. 3., *et* 4., *et conferunt tradita per Scacc. de judic. lib.* 1. *quaest.* 37. *n.* 20. ubi ait, quod quando debitor non fuit prius citatus ad cavendum, tunc creditor procul dubio tenetur ad expensas mandati sine spe recuperationis, quicquid sit si
3. fuisset prius citatus, et in ejus contumaciam esset relaxatum mandatum, ut apud eum latius videre est; quo vero ad alias expensas, circa quas aliqua difficultas cadere posset, cessat in praesenti themate omnis amaritudo, quoniam cum ex facto superius recensito clare convincatur d. mandatum suspicionis fugae nullitatis vitio subjectum esse culpa adversarii, qui non implevit pro ejus parte adimplenda, vindicat propterea sibi locum ea verissima juristarum conclusio, videlicet, quod ubi mandata suspicionis fugae
4. sunt nulla culpa creditoris, tunc omnes expensae solvi debent ab eodem creditore, ut docte docet probatque *Cyriac. contr.*464. *n.* 23. *Scanarol. loc. cit., et etiam lib.* 3. *cap.* 2. *§.* 10. *n.* 1., *et seq.* ubi hoc procedere subdit etiam si in meritis causae alias creditor bonum jus foveret, quicquid sit si nullitas processisset ob culpam executoris, quo casu verisimilius videretur condemnan-
6. dum esse in expensis ipsum executorem, prout observatum fuisse refert *Scanarol. d. lib.* 3. *§.* 8. *cap.* 4. *n.* 8.

ARGUMENTUM

Ponderatur, et breviter resolvitur an succumbens ex juramento litis decisivo, sit condemmnandus in expensis, et quid dicendum de juramento suppletorio.

SUMMARIUM.

1. *Juramento litis decisivo est locus etsi qui illud offert nullam pro se habeat praesumptionem.*
2. *Habens pro se instrumentum crediti, potest cogi ad jurandum super solutione.*
3. *Quis tamen non tenetur jurare, quoties agitur de delatione ejus fundatae intentioni contrariae.*
4. *Succumbens ex juramento litis decisivo, est condemnandus in expensis.*
5. *Secus vero est in succumbente ex juramento suppletorio actori delato.*
6. *Licet etiam in hoc casu ad sensum aliquorum aliquando sit facienda condemnatio.*

CONSULT. XIX.

Excitata coram me controversia, an locus esset juramento litis decisivo in causa vertente inter quemdam Andream Facinum ex una, et Alexandrum de Rofenis partibus ex altera, ex quo qui juramentum offerebat nullam pro se praesumptionem habebat, et ille, cui offerebatur suam intentionem fundatam esse dicebat su-

per instrumento crediti in actis producto; mea fuit opinio utique locum esse juramento praedicto, quoniam ea, quae exadverso opponebantur, nullam mihi videbantur habere subsistentiam in jure.

Capiendo etenim primum objectum, licet inter nonnullos antiquos acerrima esset controversia, an ille qui pro se nullam praesumptionem habebat, posset juramentum litis decisivum alteri offerre, secundum tamen sensum modernorum animadvertebam communiter in eam iri sententiam, quod utique locus sit juramento litis
1. decisivo, etiam si qui illud offert nullam pro se habeat praesumptionem, ut rationibus, et auctoritatibus ad satietatem cumulatis, et adversariis satisfaciendo docte docet *Paul. Granut. Theorem.* 10. *n.* 1. *per tot. Redolph. in prax. par.* 1. *cap.* 10. *n.* 161. *Boer. decis.* 95. *n.* 5.

Quo vero ad secundum obiectum, in quo informantes magnam vim faciebant, pedesque toto spiritu figebant radicitus evulsum esse ostendebatur ea ponderatione, quod potest stare simul, ut quis habeat instrumentum crediti liquidum, et clarum, et tamen de eodem credito fuerit satisfactus; unde quamvis creditor praedictus cogi nequeat ad jurandum super credito, quia pro hoc habet intentionem fundatam in instrumento praedicto, poterit tamen cogi ad suscipiendum ju-
2. ramentum, vel illud referendum super solutione, utpote compatibili cum eodem instrumento, ut alios cumulando pulchre notat *Andreol. contr.* 177. *n.* 4., *et seq.* ubi unum casum ab alio distinguendo ait adversariorum sententiam procedere semper, quod agatur de de-
3. latione, quae fundatae actoris intentioni ex diametro adversetur, secus vero quando cum ea commode stare potest, prout in hoc nostro casu.

His itaque fundamentis, et rationibus fuit monitus creditor ad jurandum super d. solutione; verum quia iste juramentum suscipere recusavit, fuit delatum alteri parti, quae cum statim juraverit non esse debitricem, sed satisfecisse, fuit propterea absoluta ab exadverso impetitis, et adversarius in expensis condemnatus, ex nimis trita juris propositione,
4. quod succumbens ex juramento litis decisivo est condemnandus in expensis de qua *Jas. in l. properandum §. sin. aut. alterutr. n.* 10. *vers. septimo autem C. de judic. Carpan. ad Statut. Mediol. tom. prim. cap.* 55. *n.* 42. ad differentiam succumbentis ex juramento sup-
5. pletorio actori delato, quem non esse condemnandum in expensis dixerunt *Fermosin. de judic. ad cap. finem litibus* 5. *de dolo, et contumac. quest.* 5, *vers. ad secundum*, ubi quod non debet fieri condemnatio expensarum, quando sententia fer-

tur ex probationibus privilegiatis, puta ex juramento suppletorio delato ob semiplenam probationem, hocque totidem verbis firmavit *Rot. Bonon. coram Gyps. decis.* 104. *n.* 43. *Peregrin. decis.* 152. *n.* 6. *Magon. decis. flor.* 12. *in fine*, quamvis etiam in hoc casu aliquan-
6. do faciendam esse condemnationem in expensis voluerint aliqui, inter quos *Ridolphin. in prax. part. prim. cap.* 13. *n.* 627., qui solum hic indicatur, quia iste non est casus noster.

ARGUMENTUM.

Quando quis absolvitur ab observatione judicii, an adversarius sit condemnandus in expensis, et quid si hujusmodi absolutoria emanaverit ob peremptionem instantiae, et an instantia perempta si obtineatur spiritus insufflatio a principe, an inquam prius sint reficiendae expensae, docetur in hac Consult. cum aliis, de quibus in Sum.

SUMMARIUM.

1. *Quando reus absolvitur ab observatione judicii, actor est condemnandus in expensis.*
2. *Et hoc etiam procedit quando quis absolvitur ob instantiam peremptam ex negligentia actoris.*
3. *Limita si ex aliqua justa causa appareat instantiam lapsam non esse ex partis petentis negligentia.*
4. *Amplia, ut omnes expensae liquidae prius sint reficiendae quando lapsa est instantia, etsi obtineatur spiritus insufflatio a principe.*
5. *Et illis refectis amplius non repetuntur, quamvis deinde in causa obtineatur cum condemnatione victi in expens.*
6. *Quando instantia periit culpa rei, et ipse petit spiritus insufflationem, an teneatur ad expensas.*
7. *Et quid an minor evitare possit refectionem harum expens. per viam restitut. in integr.*

CONSULT. XX.

Introducto in hoc tribunali judicio pro parte D. Andreae Bottini, in quo pulsabatur D. Sebastianus de Aldinis, pro quadam praetensa relevatione, et desuper formato voluminoso processu, postmodum dedit casus, ut D. Bottinus ab hac lite cessavit. Hodie autem post silentium octo mensium, et ultra, praetendens idem D. Bottinus judicium praedictum reassumere, ac per sententiam definitivam illi finem imponere, instando acerrime pro admissione nonnullorum jurium dicimus dictae instantiae neutiquam esse locum, quinimo D. Aldinum reum conventum absolvendum esse ab observatione judicii, et D. adversarium in omnibus expensis condemnandum.

Fundamentum hujus propositionis in eo residet, quia in hac ci-

vitate extat dispositio municipalis, in qua sub Rub. de Judic. litteraliter legitur, et expresse cavetur, ut elapsis octo mensibus integris cum silentio in causa propter negligentiam actoris, tunc hujusmodi instantia dicatur per empta, judexque possit ad petitionem rei eumdem absolvere ab observatione illius judicii; unde si res re vera ita se habet, prout ex lectura dicti statuti incontrovertibiliter convincitur, sequitur porro per necessarium consequens, quod etiam actor praedictus condemnandus sit in expensis, tum quia regula generalis est, quod qui obtinet
1. absolutoriam ab observatione judicii, debet etiam obtinere contra adversarium condemnationem in expensis, ut pulchre firmavit *Gratian. decis. March.* 137. *n.* 21. *ubi quod haec est verior Sententia Add. ad Sanfelic. decis.* 346. *vers. quando quis absolvitur*; tum etiam quia in his praecisis terminis non desunt auctoritates firmantes,
2. quod quando reus absolvitur ab observatione judicii ex eo quod instantia perempta sit negligentia actoris, tunc procul dubio actor condemnari debeat in expensis, ut aliis omissis videre est penes *Carpan. ad Statut. Mediol. cap.* 55. *n.* 31. *Chartar. decis.* 24. *Grammatic. decis.* 91. *Ricc. collect.* 2049. *Paitell. decis. seu annot.* 16. *n.* 13., *et seq.*

Neque ad evitandam praedictam condemnationem in expensis objici meretur pro parte actoris, quod doctrinae superius
3. allegatae non applicentur, quoties ex aliqua justa causa apparet instantiam lapsam non esse ex partis petentis negligentia ad tradita per *Borell. Sum. decis. tit.* 64. *de instantia causarum. n.* 78. *tom.* 1., quoniam licet veritatem ingenue fatendo objectum credatur optimum in se, respondetur tamen, quod cum causae ex adverso allegatae sint mere ideales, et de illis nulla in actis data fuerit probatio, propterea merito dici potest eumdem D. adversarium defecisse in praetensione sua, quo consistebat in concludenter probandis, ac justificandis dictis praetensis causis.

Et haec sunt, quae occasione in dicta causa scribendi requisitus breviter cumulabam; caeterum alia circa hanc materiam sunt videnda apud citatos D. D., et signanter penes *Grammatic. Ricc.*, *et Paitell.*, ubi asserunt, quod actor, cujus culpa, vel
4. mora instantia periit etiam si obtineat spiritus in sufflationem a principe, tamen non auditur nisi integre refectis omnibus expensis liquidis, et quod illis
5. refectis amplius non repetuntur, etsi deinde obtineatur in causa cum condemnatione adversarii in expensis; ulterius subdunt aliam esse insufflationem, quae fit ad instantiam actoris, qui fuerit in mora pro-

sequendi judicium, et quod tunc utique, ut dictum fuit reficiendae sunt prius expensae, aliam vero quae fit ad instantiam rei, et in hoc casu expensas reficiendas non esse sustinent, ea ratione quia in reo
6. mora non potest considerari, licet pro hujus ultimae propositionis intelligentia videndus quoque sit *Scacc. de appell. quaest.* 15. *n.* 320. ubi ait, quod judex debet condemnare eum, cujus culpa instantia est perempta, sive actor, reus sit, quia licet in reo mora nequeat considerari, in eo tamen est considerabilis culpa. Alia denique videnda sunt penes *Thesaur. decis.* 9. *per tot.* ubi quaerit, an minor evitare possit refe-
7. ctionem dictarum expensarum per viam restitutionis in integrum.

ARGUMENTUM

Agitur de repetitione expensarum litis fact. a negotiorum gestore, nec non etiam an expensae praedictae praesumantur factae de proprio ab eodem negotiorum gestore.

SUMMARIUM

1. *Qui pro alio expendit sine mandato, expensas repetere potest ratione negotiorum gestorum.*
2. *Et hoc indubitanter est verum quando in causa fuit obtentum.*
3. *Aliqua judicantur circa probationem faciendam super dictis expensis.*
4. *Expensae praesumuntur factae ab illo, qui illas facere tenebatur, et ad quem negotium pertinebat.*
5. *Hoc tamen intellige quando sumus in dubio.*
6. *Secus vero quando constat eas fuisse solutas ab alio, quam a principali, nisi saltem per conjecturas constet principalem easdem solventi subministrasse.*
7. *Et hoc exemplificatur in terminis procuratoris, qui expensas fecerit pro principali, et quaeritur etiam quid dicendum quando non obtinuit.*

CONSULT. XXI.

Dominus Marcus de Aldobrandis procurator, seu negotiorum gestor Domini Francisci Mariae de Cechinis post multas, notabilesque passas expensas, ac dispendia bursalia, ut dictum D. Cechinum defenderet, salvumque faceret a molestiis, et vexationibus, quibus judicialiter pulsabatur, postque ei ad patriam reverso factas pluries, ac pluries amicabiles instantias, ut eas exbursaret, ac solveret, tandem agnoscens dictus D. Aldobrandus, quod intentum consequi non poterat nisi jure medio, eumdem D. Cechinum mensibus elapsis ad d. effectum coram D. vestra Illustriss. pulsare, ac perturbare coepit; hodie autem cum in dubium revocari contingat, an dictus D. Instans sit exaudiendus, nec ne, dicimus cir-

ca hujusmodi punctum affirmative concludendum esse.

Quicquid enim sit, an de mandato procurae D. de Aldobrandis pro faciendis dd. expensis in actis re vera constet, nec ne, in quo DD. in hac causa scribentes mirabiliter se involvere videntur, tota difficultas in eo residet, an scilicet expensae pro quibus modo instatur fuerint sufficienter probatae, seu liquidatae, aut non, quandoquidem quatenus etiam per hypothesim pro constanti firmari posset de praefato mandato nullibi apparere, non ex hoc tamen sequeretur instanti praedicto praeclusam esse viam agendi pro repetitione, et consecutione dictarum expensarum nimis, n. est notum in jure,
1. quod qui pro alio expendit sine mandato, expensas utique repetere potest ratione negotiorum gestorum ad *Text. in l. unic. §. sed nec ob impensas C. de rei Uxor. act.*, et in nostris terminis, quod simplex negotiorum gestor expensas re-
2. petere possit, indubitanter quando obtinuit, ut in nostro casu docet *Glos. in l. ex parte* 39. *in princ. verbo obtinuit ff. famil. ercisc.* conferuntque tradita per *Gratian. discept. for. cap.* 56. *n.* 9.

Quod autem attinet ad punctum, in quo totam difficultatem residere fuit dictum, super hoc opus non est in praesenti facti specie laborare, ac verba facere, dum ex processu in hac causa fabricato, concludentes, ac incontrovertibiles probationes super dd. expensis datas, et factas fuisse apertissime
3. ex ejusdem processus lectura convincitur, quantumvis aliae minores probationes procul dubio exuberassent per ea, quae tradunt *Natta cons.* 102. *n.* 2. *De Angelis de impens.*, *et melior. in re dotal. art.* 5. *n.* 20. *Rot. decis.* 117. *n.* 3. *part.* 13. *rec. omnes ex gratia viden.* Et ex his, omissis brevitatis gratia nonnullis aliis, quae hic subnecti possent, iterum dicimus dictum D. de Aldrobrandis omni posthabita dubitatione exaudiendum, ejusque instantiis, ac menti blandiendum esse non obstantibus exadverso deducti, et signanter, quod
4. expensae praesumantur factae ab eo, qui illas facere tenebatur, et ad quem negotium pertinebat ad sensum *Rotae penes Post. de manut. decis.* 478. *n.* 4., *et coram Ubald. decis* 326. *n.* 6., quoniam, ut ore tenus dicebamus, objectum tunc de-
5. mum procederet, quoties scilicet essemus in dubio, et non constaret quis expensas revera solvisset, secus vero ubi patet in rei veritate easdem expensas fuisse solutas ab alio, quam a principali, quia tunc nisi sal-
6. tem per conjecturas ostendatur principalem illas subministrasse, praesumendum utique est factas fuisse de proprio a solvente, ea evidentissima ratione, nimirum, quia pecuniae

praesumuntur solventis, ut bene ponderat *Capuc. in prax. part.* 3. *cap.* 11. *art.* 4. *per tot.* ubi loquitur in terminis procuratoris, et ait, quod quando pro-
7. curator exbursavit pecunias pro expensis litis, et non constat saltem per conjecturas principalem illas subministrasse procuratori, praesumuntur factae a procuratore de proprio licet subdat, quod si procurator succumberet difficulter eas recuperaret.

ARGUMENTUM.

Quoties quis obtinet sententiam pro praelatione, aut redhibitoria, quam praetendebat, si hujusmodi sententia amplius uti non vult, et reus promptus est ei parere, an teneatur actor praedictus ad expensas litis.

SUMMARIUM.

1. *Qui obtinuit sententiam pro retractu, praelatione, aut redhibitoria, quam praetendebat, an possit ei renunciare.*
2. *In dictis tamen casibus, si reus est promptus parere dictae sententiae, actor tenetur ad expensas litis.*
3. *Et adducitur hujus propositionis ratio.*

CONSULT. XXII.

Domini Franciscus, et Sigismundus fratres de Blasinis quamquam in causa redhibitionis per eos promotae, ac excitatae contra dominos Herculem, et Julianum de Gualaguinis, post longam disputationem sententiam favorabilem obtinuerint, victoresque in dicto judicio remanserint, nihilominus cum poenitentia ducti ad acta statim comparuerint, et praevia expressa renunciatione dictae sententiae ad eorum favorem latae protestati fuerint ea uti nolle, nec amplius redhibere velle, ideo ob hanc renunciationem in praesenti statu rerum factam, pro certo, et indubitato credimus concludendum esse eosdem teneri ad expensas litis.

Et enim veritate inspecta, ac bene perpensa quamquam verisimilius videatur praefatis dominis fratribus de Blasinis non
1. esse vetitum ad dictam renunciationem devenire per ea, quae tradit *Franc. decis.* 346. *per tot. Sanfelic. lib.* 1. *decis.* 108. *n.* 15., *et* 16. tamen in his, similibusque casibus receptissima est a juristis conclusio, quod si reus conventus promptus est parere sententiae, prout in praesenti mihi pro indubitato supponitur, quod tunc inquam procul dubio actor teneatur ad
2. expensas litis ut ex *Carpan. ad Statut. Mediol., et De Luc. ad Franc. docte firmavit D. Corradin. de jur. prael. quaest.* 21. *n.* 10. ubi litteraliter ait, quod quando quis obtinet sententiam pro praelatione, aut redhibito-

ria, quam praetendebat, si deinde hujusmodi sententia uti nolit, et reus conventus promptus sit ei parere, tenetur ad expensas litis.

Et licet secundum id, quod primo aspectu enarrati facti tenor ostendit, nimis durum videatur, ut actor, qui obtinuit, et victor in causa fuit, teneatur ipse ad expensas ex eo, quod ad d. renunciationem devenerit, cum regulare sit, ut quisque libere renunciare possit his, quae ad sui favorem inducta sunt jure speciali, ta-
3. men omnis difficultas, et amaritudo ea animadversione tollitur, quod admissa etiam in actore facultate deveniendi ad dictam renunciationem, ut fuit dictum, tamen vel ex eo, quod ex ea satis, superque constare dicatur de malo animo ejusdem actoris, quod scilicet litem fecerit non nisi ad effectum in expensis damnificandi ejus adversarium, vel ex eo, quod hujusmodi inconstantia licita, ac permissa esse debeat, sed tamen absque damno tertii, ex his inquam considerationibus, clarum, ac undequaque justum esse videtur, ut dictus actor teneatur ad expensas, ut de se patet.

ARGUMENTUM.

Resolvitur in hac consultatione illa quaestio, an scilicet, et quando emptor agere possit contra venditorem pro expensis passis occasione litis, et molestiarum sibi illatarum, et quaeritur etiam quas expensas emptor in hujusmodi casibus a venditore praetendere possit.

SUMMARIUM.

1. *Re vendita evicta, emptor agere potest pro expensis, damnis, etc. contra venditorem.*
2. *Sed quid dicendum quando res vere evicta non fuit, sed emptor in causa obtinuit.*
3. *Ubi emptor neglexit petere contra evincere praetendentem eum condemnari in expensis, tunc pro expensis in d. judicio passis nequit venditorem turbare.*
4. *Quando agitur de evictione ex natura rei, emptor non potest agere contra venditorem pro expensis passis, nisi aliter inter eos conventum sit.*
5. *Et est adeo verum, quod est necessaria specialis promissio, ut hic declaratur.*
6. *Quoties venditor tenetur ad dd. expensas, debet refundere illas, quae fuerunt necessaria pro lite.*
7. *Et quid dicendum circa praedicta ubi apparet de emptoris contumacia in respondendo actori.*

CONSULT. XXIII.

Injusta, omnique ratione destituta est praetensio, quam mensibus elapsis suscitavit dominus Gregorius de Brunellis, et cui inhaerendo, eamque nunc reassumendo instat relaxari mandatum contra dominum Joan-

nem Franciscum de Tamonellis principalem meum pro summa, de qua in actis, ad effectum se reintegrandi de expensis passis occasione cujusdam litis eidem motae pro parte domini Alexandri de Ursellis, qui jure retractus, quemdam fundum a principali meo dicto D. adversario venditum evincere praetendebat, quoniam etsi verissimum sit, et citra veri praejudicium inficiari nequeat, quin
1. rei venditae evictione sequuta habeat emptor actionem contra venditorem pro consequendis expensis, damnis, et interesse praefata occasione passis, ut docent communiter scribentes; attamen omisso quod cum casus praedictae evictionis revera in d. judicio non venerit, sed emptor in causa obtinuit, est in hujusmo-
2. di hypothesi admodum controversa quaestio, an idem emptor agere possit pro expensis praedictis, de qua multa cumulat *Mangil. de evict. quaest.* 184. *et* 185. *Christin. decis. Belgic. dec.* 123. *n.* 3. *vol.* 1., *et dec.* 182. *n.* 10. *vol.* 4. *Thesaur. quaest. for. lib.* 3. *quaest.* 18. *n.* 3., *et* 4. *Natta cons.* 232. *n.* 2., *et seq. vol.* 1. *Asin. in prax.* §. 32. *cap.* 2. *ampl.* 67. *Bersan. de compens. cap.* 2. *quaest.* 19. *n.* 33., his inquam, aliisque similibus ad evitandas prolixitates omissis, illud prae ceteris supplicamus reflecti utpote aeque certum, videlicet, quod quamquam superius exposita conclusio in se verissima sit, tamen sibi locum non arrogat quoties, prout in praesenti, constat emptorem in judicio cum evincere praeten-
3. dente passo, neglexit petere eum condemnari in expensis, judexque pariter d. condemnationem omisit, tunc enim emptorem praeclusam habere viam amplius agendi, et perturbandi venditorem pro consequendis expensis in eadem lite passis sustinet docte *De Marin. resol.* 108. *par.* 1. *n.* 3. *Thesaur. quaest. for. lib.* 3. *quaest.* 18. *n.* 5., et pro hac conclusione ea mihi videtur urgere efficacissima ratio, quod cum in praefato casu certissimum sit venditori vetitum esse amplius petere dictas expensas litis ob solam incuriam emptoris, qui illas petere neglexit, cum solo officio judicis peti possent, quod lata sententia expiravit, ideo jure merito debet sibi imputare emptor praedictus.

Rursus ex alio non minoris ponderis fundamento, dicimus locum nullo pacto esse exadverso institis, ac petitis, quandoquidem cum ex facto superius breviter recensito elucescat, et apud partem adversam sit in confessis, quod in praedicto casu ageretur de evictione ex
4. natura rei, sicque de evictione non procedente ex culpa venditoris, probabilius propterea videtur, quod in hujusmodi facti specie nulla emptori competat actio pro consequendis dictis expensis, nisi aliud ex verbis instrumenti resultet, ac

colligi possit, quod certe non evenit in nostro casu, ut ex ejus lectura manibus tangi potest, ut hac amplexata sententia, aliisque congestis pulchre dixit *Gratian. discept. for. cap.* 205. *per tot., et signanter n.* 38., *et cap.* 433. *n.* 19. *et* 20., ubi quod ad hoc, ut venditor, et ejus haeredes in d. casu te-
5. neantur, necessaria est specialis, et specifica promissio evictionis, videlicet rem esse tutam, et securam etiam adversus retractum consanguineorum.

His autem sic praelibatis inani labore procul dubio torquentur domini exadverso scribentes in ea examinanda quaestione, quaenam scilicet expensae sint per venditorem refundendae, dum, ut fuit dictum, et evidenter probatum nullo jure, nullave ratione in proposito, et praesenti casu praetendi possunt; caeterum si deberentur, fatemur nos quoque quod essent
6. refundendae omnes expensae, quae pro lite fuerunt necessariae, ad tradita per *Fachin. contr. jur. lib.* 2. *cap.* 39. *in fin.* ubi etiam docet quid di-
7. cendum sit, supposita emptoris contumacia in respondendo actori.

ARGUMENTUM.

Cedens liti an, et quando sit condemnandus in expensis etiam factis post hujusmodi cessionem, ex eo quod scilicet altera pars petat, ut procedatur ad definitivam sententiam, non obstante d. renunciatione.

SUMMARIUM.

1. *Cessionarius census potest agere pro fructibus census.*
2. *Renuncians liti statim ac agnoscit malum jus fovere, non condemnatur in expensis.*
3. *Et sufficit, ut cessaverit a d. lite a die productionis instrumenti, non autem indicationis ejusdem, ubi negotium cum eo gestum non est.*
4. *Referuntur contrarium sentientes.*
5. *Sed eorum sententiam procedere declaratur, quando renuncians malam a principio fovebat causam, secus si renunciatio processerit ex causa de novo superventa.*
6. *Hoc idem procedit in eo, qui extra tempus emendat libellum suum, aut omisso primo transit ad aliud judicium.*
7. *Item eadem juris dispositio militat in renunciante appellationi.*
8. *Qui distulit producere jura sua ad defatigandam partem adversam in expensis, est condemnandas in expensis etsi obtineat in causa.*
9. *Ubi renuncians malam a principio fovebat litem, potest altera pars instare, ut non obstante renunciatione deveniatur ad definitivam sententiam, cum condemnatione d. renunciantis in expensis etiam factis post renunciationem.*

CONSULT. XXIV.

Dominus Franciscus de Zanellis principalis meus uti cessionarius d. Alexandri de Fabiis sub die decima tertia mensis Augusti currentis anni introduxit coram dominatione vestra illustriss. judicium contra D. Oratium de Montebuguolis, in quo praevia productione instrumenti cessionis ad ejus favorem cujusdam census alias, et de anno 1690. per d. D. Montebugnolum venditi praefato D. de Fabiis, instabat relaxari mandatum contra d. de Montebugnolis pro omnibus fructibus decursis, et non solutis; sed quia lite sic introducta fuit per reum conventum exhibitum, atque productum instrumentum extinctionis praedicti census, (quod instrumentum penitus ignotum erat principali meo, utpote celebrato cum praedicto de Zanellis cedente) propterea agnoscens idem principalis malum jus fovere ad acta personaliter comparuit, et a dicto judicio velle recedere dixit, quinimo eidem expresse renunciavit.

Post hujusmodi renunciationem res in suspenso, seu ut dici solet, in pendulo per multos menses steterunt; verum hodie excitata dubitatione, an dictus de Zanellis actor sit condemnandus in expensis passis per reum in lite praedicta, requisitusque ego, ut super hujusmodi controversia meum animi sensum exponam, respondeo breviter, ac omni posthabita dubitatione propositum punctum esse resolvendum negative, favore scilicet actoris praedicti; quandoquidem cum ex supra enarrata facti historia clare elucescat d. D. de Zanellis actorem justam agendi, et litigandi causam habuisse, resultantem videlicet tum ex instrumento cessionis census prae-
1. dicti, quod ipsi indubitanter tribuebat actionem fructus ejusdem census exigendi, ut edocet *Cenc. in addit. ad cap.* 2. *quaest.* 2. *art.* 1. *n.* 52., *et* 53. tum etiam ex ignorantia praedictae extinctionis praecedenter factae, ut fuit superius expositum, hinc ingenue ac libentissime fateor, quod nescio percipere rationem, ob quam in proposita facti specie intrare possit actoris condemnatio in expensis, propiereaque iterum dico utique punctum propositum esse decidendum favore actoris, satis etenim mihi vide-
2. tur, quod ad evitandam condemnationem in expensis cessaverit ipse a lite a die productionis instrumenti praedicti, ut hac recepta sententia pulchre in terminis notarunt *Asin. in prax.* §. 32. *limit.* 18. *n.* 1. *Gratian. discept. for. cap.* 725. *n.* 28., *et seq.* ubi ait praedicta procedere etiam si actor a
3. lite non cessaverit a die indicationis instrumenti, sed solum a die actualis productionis, quoniam ubi negotium non est ge-

stum cum actore, non sufficit ei indicare instrumentum, sed est necessaria actualis productio, addo etiam *Carpan. ad Statut. Mediol. cap.* 55. *n.* 28., *et* 29. ubi ait, quod qui renunciat liti visis instrumentis, ex quibus malum jus renunciantis oritur, non condemnatur in expensis, nisi instrumenta sint ex facto proprio.

Positis autem in tuto his fundamentis, non est, quod ex adverso dicatur contrariam sententiam probabiliorem videri,
4. attento quod aequitas non suadet, ut pars, quae in lite expensas passa fuit, ob renuntiationem ab alia parte factam, eas amittere debeat, quodque re vera contrarium senserint *Scacc. de appell. quaest.* 17. *limit.* 2. *n.* 114. *aliique exadverso congesti;* quoniam pro eliminatione hujus objecti, respondetur allegatam ex adverso rationem non subsistere, minusque aequitati consonum esse, ut pars, quae justam habuit litigandi causam, et quae statim ac agnovit malum jus fovere liti illico renunciavit, pati debeat condemnationem in expensis contra expressam, et vulgatam regulam statuentem victum victori condemnandum esse in expensis, nisi justam litigandi causam habeat, et quoad doctrinas allegatas respondetur eas recte procedere semper, quod liti renuncians
5. malam, ac calumniosam a principio foveret litem, secus vero quando a principio justam litigandi causam habebat, et ad litis renunciationem devenit ob causam de novo superventam, ut bene ponderat *Peregrin. decis.* 152. *n.* 2. ubi ait, quod qui liti cessit, est condemnandus in expensis, nisi ex nova causa superveniente a lite cessaverit, sicque pateat non animo calumniandi litigasse, hocque exemplificat, ampliatque procedere etiam in eo, qui ex-
6. tra tempus emendat, et corrigit suum libellum, aut omisso primo transit ad aliud judicium, addo etiam *Gratian. discept. for. cap.* 572. *n.* 14., *et seq.* ubi, quod renuncians appellationi non liberatur ab ex-
7. pensis, prout dicitur de eo, qui renunciat liti, nisi causa, propter quam renunciatur supervenerit de novo. *Capuc. in prax. par.* 3. *cap.* 5. *art.* 6. *n.* 66. ubi ait, quod Rota firmat condemnationem in expensis fieri, etiam si liti cedatur, sed subdit Rotae opinionem procedere semper quod cedens malitiose cesserit, alias secus, et ita testatur pluries observasse; et his denique addere etiam lubet, quod tantum abest, ut in hoc nostro themate pars, quae liti renunciavit, sit condemnanda in expensis, quod potius hujusmodi condemnationem mereri videtur adversarium, attento, quod iste longo temporis spatio distulit, neglexitque producere instrumentum extinctionis d. census, non

obstante, quod illud penes se haberet, et statim producere
8. posset, ut ponderat *Carpan. ad Statut. Mediol. par. prim. cap.* 55. *n.* 47., *et seq. Surd. decis.* 332. *n.* 6., *et* 7. ubi, quod qui distulit producere jura sua ad defatigandam in expensis partem adversam, condemnatur in expensis, etsi in causa obtineat, quod dixit etiam *Capuc. in prax. par.* 3. *cap.* 5. *art.* 7. Haec igitur sunt, quae requisitus super proposito dubio pro veritate dicebam; caeterum post haec scripta occasione typis mandandi has meas consultationes unum satis utile, ac notatu dignum circa condemnationem in expensis faciendam, aut non, ubi quis liti renunciat, hic subnectere optimum censui, et est, quod ubi renuncians malam, et calumniosam a principio fovebat litem, potest altera pars petere, et coram judice causae instare, ut ad definitivam sententiam procedatur non obstante renunciatione praedicta, et hoc ad effectum, ut de jure suo secura sit, quod per factum, et culpam renunciantis positum erat in dubio, judexque in hujusmodi casu non obstante prae-
9. fata renunciatione, annuendo praedictae instantiae, poterit omni posthabita dubitatione ad definitivam procedere, et renunciantem in expensis etiam ex post factis condemnare, qui debet sibi imputare si malam, et calumniosam litem assumpsit, atque indebite jura alterius partis in dubio posuit, ut pulchre animadvertit *Rot. decis.* 522. *n.* 7., *et seq. par.* 14. *rec. ubi alios congerit.*

ARGUMENTUM.

Quaeritur an haeres gravatus, et usufructuarius expendentes in litibus, hujusmodi expensas recuperare possint a fideicommissario, et proprietario respective, et an Capitulum litem habens cum aliquo, debeat eam facere sumptibus communibus Ecclesiae, vel potius hujusmodi expensae sint faciendae de bursa particulari DD. Canonicorum.

SUMMARIUM.

1. *Haeres gravatus consequitur, er recuperat expensas fact. in litibus pro defensione, seu recuperatione bonorum fideicommissariorum, ut hic declaratur.*
2. *Et quid dicendum de expensis fact. in Inventario.*
3. *Expensae praedictae non compensantur cum fructibus.*
4. *Amplia, ut ad sensum aliquorum praedicta procedant, etsi haeres praedictus in causa non obtinuerit, dummodo calumniose non litigaverit.*
5. *Ad expensas litis tenetur tam usufructuarius, quam proprietarius licet non aequaliter, sed ut hic declaratur.*
6. *Et quid si lis non concernat interesse utriusque.*

7. *Quando Capitulum litem habet cum aliquo, si haec non respicit utilitatem, et commodum Ecclesiae, tunc expensae sunt faciendae de bursa particulari DD. Canonicorum, secus vero si d. lis concernat utilitatem, et commodum Ecclesiae.*

CONSULT. XXV.

Folium, quod mihi fuit communicatum ad effectum, ut secundum juris tramites meam interponam sententiam, duo continet dubia, alterum scilicet, an haeres gravatus, qui notabiles sustinuit expensas in litibus pro recuperatione, et defensione bonorum fideicommissariorum, possit eas recuperare, atque detrahere in restitutione fideicommissi; alterum vero, an Capitulum cum aliquo litem habens, debeat eam facere sumptibus communibus Ecclesiae, vel potius propriis.

Et quantum attinet ad primam ex difficultatibus propositis, ut meum animi sensum pro veritate exponam, breviter respondeo, quod utique verior mihi videtur sententia, ut haeres gravatus consequi, ac recupe-
1. rare valeat omnes expensas necessarias notabiliter, habita ratione ad patrimonium, et fructus ab ipso passas, pro defensione, seu recuperatione bonorum fideicommissariorum, eaque ratione ad hanc firmandam propositionem moveor, quoniam cum hujusmodi expensae, ut patet ad sensum, procul dubio dicantur factae ad perpetuam fideicommissis utilitatem, non autem ad merum, et privatum commodum haeredis gravati hinc ideo sequitur, quod, et ipsum fideicommissum sequi debeant, ut bene ponderat *D. Card. de Luc. de fideic. disc.* 163. *n.* 4. *Urceol. consult. for. cap.* 20. *n.* 31., *et n.* 29., ubi idem dicit de inventario, et
2. publicatione instrumenti: *Carill. decis.* 249. *n.* 8. ubi ait, quod haeres gravatus potest repetere, fortiusque retinere pro dictis expensis *Marescot. var. resol. lib.* 2. *cap.* 109. *n.* 5., *et* 6., ubi cum hac ipse quoque pertransit sententia, subdens etiam expensas praedictas
3. nequaquam compensandas esse cum fructibus; quinimo addo etiam, quod hactenus exposita adeo vera, ac tam libenti animo a juristis sunt amplexata, quod ad sensum gravissimorum Doctorum ea recte procedunt etiam si haeres praedictus in causa non obtinuerit,
4. sed contrariam reportaverit sententiam dummodo tamen calumniose non litigaverit, ut aliis subtacitis animadvertit *Urceol. loc. cit. n.* 31., qui tamen punctus hic non est assumendus, cum in facto mihi pro indubitato supponatur haeredem praedictum utique obtinuisse.

Neque facessit, quod Rota in terminis usufructuarii, et proprietarii pluries firmaverit expen-

saelitis deberi tam a proprietario, quam ab usufructuario, licet non aequaliter, sed ab
5. unoquoque pro rata, videlicet a proprietario pro rata proprietatis, ab usufructuario vero pro rata ususfructus ad rationem aetatis juxta *Text. in l. haereditatum ff. ad leg. Falcid.* (hoc tamen intelligendo,
6. quando lis utriusque interesse concernit, quicquid sit ubi ea respicit solam proprietatem, vel usumfructum), ut videre est in *decis.* 761. *part.* 18. *t.* 2., *et decis.* 10. *par.*.19. *rec.* Quoniam quicquid sit de hac propositione, omissis aliis considerationibus, respondetur eam non applicari, nec ullo pacto procedere in casu, de quo hic est quaestio, praecipue ob pluralitatem, et incertum numerum fideicommissarior., et quia nullus habetur proprietarius, sed omnes veluti usufructuarii se habent, ut de se patet.

Visa autem veritate primi puncti superius expositi, nunc transitum faciendo ad secundum, quia super hoc fuit mihi exhibitum factum nimis vagum, ideo, et generali responsione satisfaciendo, dico communem juristarum in eam inclinare distinctionem, nimirum quod aut meritis causae, de qua agitur inspectis, vere dici potest, ut dicta lis utilitatem, et commodum Ecclesiae respiciat, et tunc utique DD. Capitulares optimum jus fovent, aut vero res ita se habet, ut eadem lis nullum commodum, ac utilitatem Ecclesiae concernat, sed tantummodo privatam DD. Canonicorum, et in hujusmodi themate procul dubio expensae faciendae sunt de bursa particulari eorumdem, ut aliis sub silentio omissis docte dixit *Rot. decis.* 138. *n.* 1. *par.* 1. *rec.* ibique docet etiam quando vere dici possit litem tangere interesse Ecclesiae, et quando non.

ARGUMENTUM.

Quaestio, quae in hac consultatione resolvitur circa illud versatur, an scilicet judex possit condemnare victum in expensis etiam, si non sint petitae; secundo, an victus possit condemnari in expensis interlocutoriae usque ad definitivam, quinimo in ipsa definitiva sententia.

SUMMARIUM.

1. *Judex potest victum in expensis condemnare, etsi non fuerint petitae.*
2. *Et hoc procedit tam in expensis factis ante litis contestationem, quam post.*
3. *Ante latam sententiam officium judicis dicitur durare.*
4. *Haeres, qui injustam litem a defuncto inchoatam prosequitur, est in sententia condemnandus in expensis.*
5. *Condemnationi in expensis subjacet etiam Ecclesia, fiscus, ru-*

sticus, etc. si justam causam litigandi non habeant.

6. *Regulariter judex post latam sententiam non potest condemnare in expensis, etsi hujusmodi facultatem sibi reservasset.*

7. *Limita tamen in expensis interlocutoriae, in quibus judex potest victum condemnare usque ad definitivam, et etiam in ipsa definitiva, ut hic declaratur.*

8. *In dubio victus est condemnandus in expensis.*

CONSULT. XXVI.

Ad redarguendam de injustitia sententiam Excellentiss. Domini Bottini latam in causa vertente inter Dominum Franciscum Zirellum, et Dominum Antonium de Montanariis, in ea parte, in qua D. Montanarius praedictus condemnatus fuit in omnibus expensis tum causae principalis, tum etiam articuli in medio ejusdem causae disputati, tria hodie deducuntur ab informantibus pro d. condemnato, primum videlicet est, quod condemnatio praedicta evidentem contineat injustitiam, ex eo, quod expensae non fuerunt a victore petitae, secundo quia D. Montanarius d. agitaverat litem uti haeres D. Julii Caesaris de Landis, qui in ejus vita illam inchoaverat; et ultimum in eo consistit quia d. D. Montanarius victus, fuit condemnatus in definitiva etiam in expensis articuli qui ante definitivam fuerat resolutus, absque eo, quod tunc condemnaretur in expensis; at nullo ex his obiectis labefactari praedictam sententiam, et inani torqueri labore D. Montanarium, in promovendis jam expositis disputationibus patebit ex infra dicendis.

Etenim, quod attinet ad primum objectum, videlicet, quod expensae non fuerint a victore petitae, hoc facili negotio removetur, tum ponderando, quod constans, certa, et com-
1. muniter amplexata est propositio, quod judex possit victum in expensis condemnare etiam si a parte non fuerint petitae, ut docet *Carpan. ad Statut. Mediol. cap.* 55. *n.* 91. *Brederod. de appell. par.* 2. *tit.* 40. *de expen. col.* 670. *litt. D., et seq. et* 671. ubi optimam assignando rationem sustinent hujusmodi propositionem proce-
2. dere, posthabita penitus distinctione, an agatur de expensis factis ante litis contestationem, vel post; tum etiam quia ex processu in hac causa fabricato totum contrarium resultat, et signanter fol. 80., in quo legitur D. comparentem pro D. Zirello in calculo ferendae sententiae petiisse ejus adversarium condemnari in expensis, quam instantiam praedicto tempore fieri posse,
3. non est haesitandum, cum Judicis officium adhuc durare dicatur.

Descendendo autem ad secundam

difficultatem, hanc pariter aut parvi, aut nullius roboris esse, patet ex eo, quia cum certissimum sit haeredem, et defunctum pro una, eademque persona reputari ex juribus vulgatis, hinc propterea sequitur, quod sicuti defunctus condemnationem expensarum evitare non potuisset, ex quo litem temere, et sine justa causa in-
4. ceperat, ita nec ejus haeres, qui suum jus metitur a defuncto, ut bene animadvertit *Asin. in prax.* §. 32. *ampl.* 4. *Carpan. d. cap.* 55. *n.* 51., *et seq.* ubi etiam subdit, quod condemnationi expensarum subjacet Ecclesia, Fiscus, Rusti-
5. cus, etc. quando justam litigandi causam non habent, non obstantibus privilegiis ad eorum favorem a jure introductis; fortiusque exadverso opposita difficultas in hac nostra hypothesi obmutescit, attento, quod haeres praedictus in lite perseverare voluit usque ad definitivam Sententiam, quantumvis ex probationibus in Processu cumulatis clare constaret de ejus malo jure.

Tandem accedendo ad id, quod tertio loco dicitur, videlicet condemnationem jam dictam ab evidenti injustitia vindicari non posse, ex eo, quod victus fuerit in definitiva condemnatus etiam in expensis articuli antea agitati, circa hanc difficultatem respondetur, quod licet apud juristas passim scripta reperiatur propositio, qua
6. judici denegata videtur facultas in expensis condemnandi post latam sententiam, ita ut hujusmodi facultatem nec minus sibi reservare valeat, inter caeteras tamen fallentias, quas recipit praefata conclusio, ea J. C. communiter est amplexata, videlicet, ut non procedat quoties agitur de expensis interlocutoriae, in quibus Judici permissum esse vi-
7. ctum condemnare usque ad definitivam, et etiam in ipsa definitiva si victus in interlocutoria, etiam in definitiva succubuerit, prout in nostro themate, aliis sub silentio omissis dixit *Carpan. allegato cap.* 55. *n.* 83. *et seq.*, et conferunt tradita per *Brederod. de appell. tit.* 40. *de expen. coll.* 666. *litt. A. et B.*, ubi loquitur in fortioribus terminis.

Et ex his breviter hic collectis, non videtur amplius ex ullo capite dubitandum de justitia sententiae d. D. mei Bottini, animadverso etiam, quod quatenus aliqua levis difficultas insurgere posset, quod tamen mordicus impugnatur, in hujusmodi tamen dubietate resolvendum esset pro justa con-
8. demnatione, quemadmodum in dubio victus est condemnandus in expensis, ut inter alios docet *Natta cons.* 108. *n.* 5. *vol.* 1.

ARGUMENTUM.

Nonnulla in hoc loco colliguntur circa materiam sportularum, et praecipue an sportula Judici debeatur quando fuit conclusum in causa, fuerunt auditi Procuratores, et laboratum in ea, licet ad delationem sententiae non fuerit deventum; secundo an Sportula sit recipienda habito respectu ad id, quod fuit petitum, vel ad id, quod fuit concessum; et tertio, an d. Sportula debeatur judici pro re in judicium deducta, vel solum pro eo, quod principaliter petitum est.

SUMMARIUM.

1. *Quando liti fuit renunciatum, vel inter partes ante sententiam transactum, adhuc judici debetur Sportula, si erat conclusum in causa, ipseque audiverat procuratores, et in causa laboraverat, ut hic declaratur.*
2. *Quoties non stat per aliquem quominus aliquid fiat, id habetur pro facto.*
3. *Et quid dicendum ubi transactio fit ante conclusionem in causa.*
4. *Et quid pariter, an praedicta procedant quoad patrocinia Advocato debita.*
5. *Pro regulanda sportula D. Judici debita, est inspicienda res, seu creditum in libello petitum, etsi judex partem tantum concesserit.*
6. *Haec tamen intellige quando bona, ad quae agitur aequivalent, vel excedunt valorem in petitione expressum, secus quando sunt minoris valoris.*
7. *Et est adeo vera propositio, quod sportulae debentur ad rationem ejus, quod fuit petitum, ut pro eis regulandis, non sit consideranda res in judicium deducta, sed id, quod fuit principaliter petitum, ut hic declaratur.*
8. *Ubi agitur de rei possessione pro sportula regulanda, aestimatur solum commodum possessionis; ubi agitur ad rei divisionem, interesse divisionis, non autem rei dividendae valor, si decessione bonorum eorum valor, non autem quantitas debitorum, si de sequestro debetur Sportula juxta valorem crediti sequestrantis, non pro modo, rei sequestrata.*

CONSULT. XXVII.

Excellentiss. D. N. N. post longum exercitium juris dicentiae hujus civitatis, tandem advento fine officii sui, et publicato, ut moris est sindicatu, triplici petitione fuit querelatus, primo scilicet ex eo quod indebite, et omni adversante ratione Sportulam receperit in causa vertente inter D. Franciscum Morettum, et D. Alexandrum Aldobrandum, dum in ea per Dominat. suam Excellentiss. lata non fuit sententia, etsi processum vidisset, et in causa fuisset conclusum; secundo quia excessivas receperit Sportulas in causa D. Ju-

lii Ambrosini cum D. Caesare
Macrino, in qua dd. Sportulae
fuerunt exactae, non habita
ratione ad rem, quae concessa
fuit in sententia, sed ad id,
quod fuit petitum, tertio de-
mum ex quo pariter excessive
Sportulas in altera causa exe-
gerit, in qua agebatur de sola
rei possessione, et dictus D.
Judex eas recepit, non secun-
dum commodum possessionis,
sed habito respectu ad rei va-
lorem; his, inquam, tribus pe-
titionibus querelatus dictus
D. Judex, cum nunc quaera-
tur pro veritate, quid juris sit
circa expositas inspectiones,
nonnullis sub silentio omissis,
quae ad defensam D. Judicis
conferre possent, ex quo ipse
mirabiliter, ac secundum pro-
priam morum ingenuitatem,
pluries instetit strictum, ac
rigorosum fieri examen super
exactione dd. Sportularum, vi-
delicet, an fuerint juste, ac
legitime acceptae, aut non, ad
effectum, ut jus suum unicui-
que tribuatur, respondeo uti-
que in omnibus casibus supe-
rius expositis, praeter quam in
tertio, et ultimo, eas fuisse
summa ratione, et justitia re-
ceptas.

Assumendo etenim Sportulam in
primo casu receptam, res pro
meo judicio satis clara videtur,
dum nimis est nota in jure pro-
1. positio, quod Sportula debe-
tur integre judici, nedum in
casu, in quo consummatus est
actus, pro quo solvi solitum
est, verum etiam ubi fuit con-
clusum in causa, fuerunt visa
acta, auditi procuratores, et
laboratum in ea, licet deinde
ad prolationem sententiae non
fuerit deventum, vel ex eo,
quod partes transegerint, vel
quia fuerit renunciatum liti,
ut in praedicto casu; quoties
enim judex in causa laboravit,
et per eum non stat quin fe-
ratur sententia, semper ei de-
betur Sportula, ne alias sit in
facultate litigantium eum per
compositionem inter ipsos, de-
ludere, ut bene ponderat *Co-
sta de portion. rat. quaest.* 86.
in fine. Cyriac. contr. 67. *n.* 42.
Zacch. de Salar. quaest. 72. *n.*
23., ubi hanc nostram senten-
2. tiam sustinet, subdens, quod
quoties non stat per aliquem
quominus aliquid fiat, id ha-
betur pro facto, addo etiam
Verall. de transact. tit. 5. *quaest.*
3. *n.* 12. ubi ait quod si trans-
actio fiat post causae conclu-
sionem, et visis jam actis a
judice, Sportulae adhuc inte-
gre ei debentur, secus vero si
3. transactio fiat ante, quia tunc
Sportulae, ut ipse ait, deben-
tur pro rata, addo insuper *Gra-
tian. discept. for. cap.* 55. *n.*
15., ubi dicit idem procedere
4. in Advocato, cui debetur pa-
trocinium etiam causa, ut su-
pra, per concordiam finita.

His vero sic praelibatis circa pri-
mum punctum, capiendo suc-
cessive secundum, rursus re-
spondeo, et constantissime fir-
mo d. Domino Judici omnem

rationem utique assistere, etenim hanc quaestionem accurate perpendendo nimis durum, ac a ratione alienum mihi videretur, quod petita contra unum, vel plures debitores certa summa, et per D. Judicem passo labore in agnoscendo, an tota summa deberetur, et esset concedenda, deinde lata sententia, pro regulanda sportula d. D. Judici debita esset habenda ratio ad id tantum, quod in sententia praedicta esset con-
5. cessum; unde quod in rei veritate in his casibus sit inspicienda res, seu creditum in libello petitum, esto, quod Judex in sententia partem tantummodo concesserit optime firmavit *Gratian. decis. March.* 226. *n.* 3., *et seq. Fontanella decis.* 214. *n.* 1., *et* 2., et licet me non lateat haec tantummodo sibi locum arrogare semper, quod bona debitoris, ad quae agebatur aequivalerent, vel excederent valorem in petitione expressum, secus vero quando
6. constaret ea esse minoris pretii, ea evidentissima ratione, quia alias dari posset locus absurdo, ut Sportula D. Judicis totam rem controversam nedum absorberet, sed etiam illa longe major esset, ut bene animadvertit *Fabr. in suo Cod. lib.* 3. *tit.* 2. *definit.* 1. *tit. de Sportul.*, *et sumpt.*, super hoc tamen objecto in praesenti non sunt figendi pedes, nec de ea ulla habenda est ratio, utpote a casu nostro nimis extraneo, si vera sunt ea, quae in facto mihi communicato exposita fuerunt.

Quod porro ultimo loco pertinet ad Sportulam in praedicto tertio casu receptam, circa quam tota pro meo judicio versatur difficultas, confirmando id, quod superius in principio dixi, meum animi votum est, quod haec nullo pacto a vitio excessivitatis vindicari possit si vera prout verissima est conclusio, quod Sportula non debetur pro re in judicium deducta, sed solum ad rationem ejus, quod principaliter petitum fuit, nisi forsan negotium ita se haberet, ut dicta res esset minoris valoris, eo quod in libello fuit petitum, et pro hac veritate conferunt quae circa secundum punctum fuerunt exposita, et videndus quoque est *Natta cons.* 154. *n.* 8. *Cyriac. contr.* 67. *n.* 14. *ad* 17. ubi ait, quod si in judicio agatur de rei possessione, pro regulanda Sportula aestimatur commodum pos-
8. sessionis, non autem valor rei, si agitur ad rei divisionem, attenditur interesse divisionis, non rei dividendae valor, si de cessione bonorum, inspici debet eorum valor, non autem quantitas debitorum, et in terminis rei sequestratae, hoc totidem verbis dixit etiam *Fabr. in suo Cod. lib.* 3. *tit.* 2. *definit.* 9., ubi firmat Sportulam judici non deberi pro modo rei sequestratae, sed juxta valorem crediti sequestrantis, nec non *Definit.*

1. *sup. citat.*, ubi alia quoque circa materiam Sportularum habentur.

ARGUMENTUM.

Disputatur an, et quando Curator possit praetendere salarium, seu mercedem pro susceptione, et administratione curae ad lites.

SUMMARIUM.

1. *Curatoris officium gratuitum est, ut hic firmatur.*
2. *Curator ad lites, qui neglexit petere sibi provideri de salario, cura deinde administrata nihil pro eo petere potest.*
3. *Procuratori debetur salarium etsi non sit conventum, si iste est solitus operas suas locare, et debetur ab eo, a quo fuit electus, etsi causa ad alios spectaret, ut hic declaratur.*
4. *Secus vero est in Curatoribus ad lites pro tempore, quo non petierunt sibi provideri de Salario.*
5. *Quod tamen intellige nisi vigeat consuetudo in contrarium, quae utique valida est.*

CONSULT. XXVIII.

Non est exaudiendus, nec ullo pacto annuendum instantiae, seu petitioni porrectae, et respective pluries factae per D. N. N. hujus civitatis causidicum, ad effectum consequendi salarium, seu mercedem, ut ipse praetendit sibi debitam occasione susceptionis, et administrationis cujusdam curae ad lites, quoniam, omissis generalibus, quae in proposito ad solum finem implendi chartas hic cumulari possent, illud prae caeteris supplicatur recte reflecti, quod cum apud juris
1. professores certum, et indubitatum sit Curatoris officium regulariter esse gratuitum, hinc evidenter resultat, ac constantissime firmari potest perperam pro parte dicti D. Curatoris nunc instari pro salario, seu mercede curae in casu, de quo hic est quaestio susceptae, et administratae, etenim cum ex iis, quae in facto mihi praesupponuntur dictus curator contra communem stylum, ac praxim omiserit, ac neglexerit petere sibi provideri de salario, et propterea a D. judice eo minus fuerit constitutus, quis, rebus sic stantibus, non fatebitur mentem praedicti Curatoris in hujusmodi hypothesi utique fuisse ejusdem curae officium,
2. quod ut dixi regulariter gratuitum est, gratis quoque administrandi, ac proinde nihil penitus ab ipso nunc peti, nec praetendi posse pro ejus Salario, seu mercede? unde hac veritate optime cognita eandem amplexatus, fuit sententiam *D. Co. Bonden. in suis colluct. legal. colluct.* 50., ubi licet primo firmet salarium deberi procuratori, etiam si non fuisset
3. conventum, si iste solitus est operas suas pro mercede loca-

re, et quidem ab eo a quo fuit electus, quamvis re vera causa ad alios spectaret, nisi tamen alicui sit obnoxius exceptioni, ob quam ei vetitum sit officium exercere, cum multis aliis circa hanc materiam, his tamen non obstantibus sub n. 10., et 11. contrarium concludit, ac sustinet quoad Cu-
4. ratores ad lites, superius expositis rationibus superinnixus, monetque eosdem Curatores, ut in principio curae petant sibi provideri de salario, quia alias pro tempore transacto ait, quod non deberetur tanquam non petitum neque constitutum, etiam cura administrata, et allegat *Alex. Concivem meum cons. Menoch. cons. Zacch. de Salar., et Michalor. de frat. apud eum viden.*

Quibus in nihilum obstare mihi videtur id, quod mordicus ex adverso objicitur de asserta, ac praetensa consuetudine in hac civitate vigente, solvendi salarium Curatoribus ad lites etiamsi, ut superius fuit dictum, non sit ab ipsis petitum, quoniam licet me non lateat verissimum esse dogma, quo statuitur in his casibus attenden-
5. dam esse consuetudinem quam valide induci posse docent relati per *D. Bonden. loc. cit. n.* 9., tamen quia haec non fuit concludenter probata., prout onus asserenti incumbebat ex juribus vulgatis, ideo merito dici potest D. adversarium agentem vigore praedictae praetensae consuetudinis defecisse in praetensione sua; et veritatem ingenue fatendo sane impossibile erat, quod posset super d. consuetudine concludens dari probatio, dum nemini notum est, quod unquam solutum sit salarium Curatoribus ad lites, qui onus curae susceperunt, ac administrarunt, absque quod insteterint pro constitutione ejusdem, ut potest illustriss. D. meus ex abundanti se in camera informare.

ARGUMENTUM.

Sequitur materia praeceden. consult., et quaeritur an unica Sportula debeatur, quando sententia plura capita continet, vel tot Sportulae debeantur quot sunt capita sententiae.

SUMMARIUM.

1. *Pro regulandis Sportulis est attendendus stylus uniformis curialium.*
2. *Quando causa, in qua lata fuit sententia est una, unica debetur Sportula etsi sententia plura capita contineret.*
3. *Si vero plures sunt causae, tot debentur Sportulae quot sententiae, seu capita sententiae.*
4. *Explicatur quando una, et quando plures dicantur causae.*
5. *Quando plures sunt causae, plures etiam debentur Sportulae etsi unica porrecta esset petitio.*
6. *Petitio efformata super pluribus capitibus licet materialiter*

una dicatur, plures tamen petitiones formaliter sunt.

7. *Statutum, quod pro pluribus capitibus sententiae unica debeatur Sportula quomodo sit intelligendum.*

8. *Amplia praedicta etiam si super contentis in sententia jam esset pronunciatum, et ex nova commissione iterum pronunciaretur.*

9. *Amplia iterum, esto, quod plura capita sententiae essent efformata super execeptionibus a reo deductis per viam verae reconventionis.*

CONSULT. XXIX.

Quamvis pro regulandis sportulis Dominis judicibus debitis, maxime sit deferendum consuetudini loci, ita ut si ostenda-
1. tur stylus uniformis curialium difficulter ab eo recedi possit, ut ponderat *Gratian. discept. for. cap.* 55. *n.* 38., *et seq.* Attamen quia curiales, ut plurimum de stylo requisiti, vel in plures acies dividuntur, vel illum affirmare penitus recusant, propterea nonnulla hic subnectere opportunum duxi secundum juris communis tramites circa illam frequentem quaestionem, videlicet quomodo sint regulandae Sportulae ubi a D. Judice fertur sententia pluribus capitibus distincta.

Dico igitur pro hujus puncti determinatione, quod jure communi inspecto pro regulandis dd. Sportulis recte est inspiciendum, an causa, in qua lata fuit sententia sit una, vel potius plures, ac disparatae sint causae, licet a partibus litigantibus cumulatae; etenim si in primo casu versamur indubitati juris est unicam deberi Sportulam, etiam si plures senten-
2. tiae fuissent latae vel una pluribus capitibus distincta, ea evidentissima ratione, quia nimis durum esset, ut ex avaritia aliquorum judicantium possent sportulae ad eorum arbitrium, dividendo sententias in plura capita, augeri; si vero quaestionem ad terminos secundi casus restringimus, totum oppositum firmandum est, videlicet tot deberi sportulas, quot sunt sententiae, seu capita ejusdem
3. sententiae, ut ex ratione infra alleganda sit manifestum, et concludere videtur *Scacc. de Sent., et re judic. glos.* 7. *q.* 4. *spec.* 3. *n.* 31. Una autem dicitur causa quando ex. gr. actum fuit ad plures res insimul venditas, vel titulo fideicommissi contra plura corpora bonorum ab eadem persona possessorum, et paucis verbis quando fuit actum de eadem re, seu iisdem rebus inter easdem personas, et eodem jure, vel cognitio unius ordinatur prin-
4. cipaliter ad cognitionem alterius, et venit implicite, ac in consequentiam alterius, ut ponderat *Ubert. de citat. cap.* 14. *n.* 168. *Rot. decis.* 8. *n.* 5., *et seq. par.* 16. *rec.*, tunc vero plures dicuntur causae quando est instituta actio contra personas

diversas, et pro diversis causis, et bonis, ut a contrario sensu arguere est, et videnda sunt tradita per *Zacch. de salar. quaest.* 72. *n.* 21.

His vero generalibus pro certis positis, ac firmatis, infertur primo, ut ea, quae dicta fuerunt circa pluralitatem sportularum sibi vindicent locum e-
5. tiam si una tantum porrecta esse petitio, quandoquidem nimis alta esset iniquitas, quod judex ex arbitrio litigantium plures Causas decideret, et pro illis unicam tantummodo sportulam reciperet, ut bene considerat *Scacc. loc. cit.*, praeterquam quod, est etiam animadvertendum, quod quando petitio efformatur super pluribus, ac distinctis negotiis, licet materialiter una dicatur petitio propter unitatem chartae, et
6. petitionis, formaliter tamen, et quoad substantiam plures dicuntur petitiones, ut de se patet, et docet etiam *Bald. in l. edita actio in* 2. *lect. quaest.* 15. *n.* 94, *C. de eden.*

Infertur secundo, ut praedicta recte procedant etiam stante statuto, quod pro pluribus capitibus sententiae unica tantummodo recipiatur sportula, hujus-
7. modi enim statuta eam recipere interpretationem, nimirum, ut feriant tantummodo casum, in quo illa diversa capita ab eodem fonte promanent, et unum veniat in consequentiam alterius, secus vero si sint diversa et decisionem rerum distinctarum contineant, clare resultat ex fundamentis superius positis, et videtur quoque sentire *Scacc. de Sent. et re Judic. glos.* 7. *quaest.* 4. *spec.* 3. *n.* 31.

Rursus, et 3. loco infertur, ut pariter superius exposita, locum habeant etiam si super contentis in sententia alias fuisset pronunciatum, causaque denuo committatur, ac super ea pronuncietur, tunc enim spor-
8. tulas pariter judici deberi pro nova sententia, et antecedentia judicata in nihilum obstare sustinet *Fabr. in suo Cod. lib.* 3. *tit.* 2. *de Sportul. definit.* 5., ubi ait, quod salarium debetur judici, qui ex nova commissione causam a se judicatam iterum cognoscit.

Infertur ultimo, ut id, quod fuit firmatum de pluralitate sportularum, quoties sententia plura, ac diversa capita continet, sibi locum usurpare quoque debet, esto quod aliqua ex dictis capitibus fuissent efformata super exceptionibus a reo deductis per
9. viam reconventionis, nam praesupposita vera reconventione, sive tacita, sive expressa, si Judex super ea pronunciet indubitatum est ei deberi sportulam diversam ab ea, quae solvitur pro conventione actoris, ut docte firmarunt Scacc. *de sent. et re judic. d. glos.* 7. *q.* 4. *spec.* 3. *n.* 31. *Fontanell. decis.* 214. *n.* 5., *et seq., ubi alii concordan. habentur.*

20. *Item falsus Procurator, qui scilicet non habet mandatum tenetur ad expensas.*
21. *Expensae non coacervantur cum summa principali ad constituendam summam appellabilem.*
22. *Actor, qui plura facta connexa, vel distincta proposuit, et omnia non probavit an, et quando sit condemnandus in expensis.*
23. *Expensae necessariae pro defensione rei locatae spectant ad locatorem.*
24. *Executor testamentarius, qui fecit expensas in exigendis rebus, vel exequenda dispositione defuncti, eas recuperat e bonis haereditariis.*
25. *Emptor, qui expensas passus est in litibus, an eas repetere possit ab eo, qui praelationem petit.*
26. *Difformitas sententiarum circa condemnationem in expensis, non inducit difformitatem in negotio principali.*
27. *Judex inferior, non obstante appellatione ad superiorem, potest exigere Salarium executive.*
28. *Sportulae pro cessione bonorum debentur ex pretio bonorum, quae cessa sunt.*
29. *An Advocatus, et Procurator agere possint pro Salario contra victum, vel contra victorem agere debeant.*
30. *Advocato debetur Salarium pro consilio dato etiam sine labore.*
31. *Salarium Advocati, et Procuratoris est praestandum in fine litis de jure communi.*
32. *An ratione Salarii debiti, vel expens. fact. in aliqua Curia, Clientuli dicantur de jurisdictione illius.*
33. *Et an Procuratores pro solutione registri, et expensarum causae conveniri possint.*
34. *Et rursus, an pro Salario, et expens. litis retineri possint scripturae loco pignoris.*
35. *Et denique alia videnda sunt sub hoc numero, videlicet quomodo sint regulandae Sportulae in causa alimentorum, legati annui, attentat., an in causis summariis, et pauperum Sportulae debeantur, et quomodo sint taxandae ubi a jure nullum est definitum Salarium, an Advocato, cui prohibita erat advocatio, vel male se gessit debeatur Salarium, et de expensis accessus, et recessus judicis, et Advocati ad locum differentiae.*

CONSULT. XXX.

Expositis in preceden. Consult. multis scitu dignis circa hanc materiam expensarum litis, cum adhuc pro coronide non nulla varia satis utilia, hic breviter remaneant consideranda, ideo primo lectorem monitum volo, quod quoties fertur sententia condemnatoria in expensis, non est necessarium ad hoc, ut valeat, et suum sortiatur effectum, ut in scriptis feratur,
1. unde probari poterit etiam per testes, etsi insimul cum sententia definitiva fuerit lata (pro qua utique requiritur scriptura), ut pulchre docuit post multos alios *Gratian. discept. for. cap.* 33. *n.* 19., *et seq.* ubi tamen hoc intelligit de ex-

pensis, quae veniunt officio judicis, secus de debitis jure actionis, et hujus differentiae reddit rationem.

2. Secundo lectorem pariter monitum volo, quod litigator condemnatus ad expensas, si nihil habeat de proprio, ex quo illas solvere possit ad sensum nonnullorum, est puniendus in corpore, ut late ponderat *Buccaron. de differ. inter judic. Civil., et Crim. differ.* 191. *in prim. dub.*, qui eam adducit rationem, videlicet, quod quoties quis est obligatus ex delicto, seu maleficio, intrat regula, quod qui non habet in aere luat in corpore, qui autem condemnatur in expensis, vel condemnatur ex quo calumniose litigavit, aut temere, vel quia contumax fuit, et calumnia, temeritas, ac contumacia omnia sunt delicta; circa

3. quod tamen sub silentio non est omittendum, quod hujusmodi theorica hodie in praxi non est amplexata, nec usu recepta, ut etiam testatur *Capuc. in prax. par.* 3. *cap.* 11. *art.* 19. *n.* 299.

Tertio sciendum est constantem esse apud juristas propositionem, ut Salaria Advocatorum, Procuratorum, ac expensae necessariae pro vincenda lite, ac exigendis debitis, ut inquam, primo loco sint deducendae cum

4. praelatione omnibus creditoribus, ut docet *Carleval. de judit. tom.* 2. *disput. jur. lib.* 1. *tit.* 3. *disput.* 32. *n.* 4. ubi propterea subdit, quod cum pretium bonorum debitoris jam sub hasta venditorum solvitur creditori, dedocendae sunt expensae licitationis gratia factae; et quod Advocati, Procuratores, etc. pro mercede sibi debita pro recuperatione, seu defensione obtenta rerum ex. gr. ad concursum creditorum spectan. praeferri debent super iisdem rebus caeteris creditoribus anterioribus, ita ut res tanto minoris valeant, quanti pro mercede, ac salariis praedictis solvendum est, sustinet *Salgad. Labyr. Cred. par.* 3. *cap.* 9. *n.* 18., *et seq.*, et favent etiam tradita per *D. Angelis de impens. et Meliorat. dotal. art.* 5. *n.* 6. ubi ait, quod Advocati, et Procuratores pro patrociniis, et honorariis habent rem defensam hypothecatam cum praelatione adversus alios creditores etiam expressam anteriorem habentes, et loco cit. sub n. 14. subdit quoque, quod ma-

5. ritus pro impensa necessaria pro exigendo nomine debitoris, aliisque rebus dotalibus defendendis praefertur omnibus creditoribus.

Quarto sciendum est, quod si contingat, ut ex. gr. universitas constituat sindicum, seu Procuratorem ad litem, et aliqui de universitate contradixerint cum protestatione, quod nolebant litigare, quia credebant litem injustam, si deinde contingat, quod sententia feratur contra universitatem, ve-

rior sententia est, quod illi qui
6. contradixerunt non teneantur ad expensas, ad evitandum absurdum, quod quis puniatur pro delicto alterius, et ne quis ratione officii damnum patiatur, quando ipse consensum suum non praestitit, ut latius ponderat *Meres de majorit. Hispan. quar. parte quaest.* 26. *n.* 24., *et seq. cum ibi congest.*

Quinto est animadvertendum, quod quoties pupilli, aut minoris lis agitatur, si pro eis agentes, aut eosdem defendentes, injustam causam defendant, ideo-
7. que succumbant, ipsi teneantur de proprio ad expensas, ut bene notat *Galgan. de tutel. lib.* 3. *quaest.* 40. *n.* 4., *et seq.* ubi etiam subdit, quod si tutor vel curator inconsiderate dederit libellum, et postea velit eum mutare nomine pupilli, expensae mutationis, vel emendatio-
8. nis ad tutorem, vel curatorem spectabunt, et idem dicit, si fuerit condemnatus pupillus in expensis ob causam desertam, et instantiam peremptam, vel si tutor non appellaverit, vel appellatione non fuerit prosequutus ubi habet bonam causam, quae totidem verbis firmavit etiam *Borgnin. Cavalc. de tut. et curat. n.* 49. *post Montan. de tut.*, et quod tutores, et curatores, qui justas causas litigandi non habent, et mala fide instituunt, aut suscipiunt lites teneantur ipsi ad expensas litis, dixit etiam *Christin. decis. Belgic.* 151. *n.* 14., *et* 24. *vol.* 3. *Olea de cess. Jur. tit.* 5. *quaest* 11. *n.* 28. *in fine*, ubi
9. quod minori competit actio contra curatorem, si appareat eum temere, et sine justa causa litigasse.

An autem tutor, qui calumniosam litem prosequutus fuit; possit in expensis proprio nomine condemnari, affirmative respondendum est, tum ad evitandos inanes circuitus, dum, ut dictum fuit, si pupillus condemnetur, ei deinde competit actio contra tutorem, tum quia tutor debet sibi imputare si temere litigavit, et hanc sen-
10. tentiam tuetur *Olea supr. cit. n.* 27.; veritas quidem est, quod si tutor in expensis simpliciter condemnetur, non censetur in tali hypothesi facta condemnatio de propriis bonis, sed quidem tutorio nomine, ita, et taliter, quod tunc executio in ejus bonis facienda non sit, sed in bonis pupilli, unde ad tollendas disputationes, si judex agnoscat litem a tutore fuisse motam sine justa causa, poterit ipsum tutorem proprio nomine condemnare, et contra eum dirigere executionem.

Sexto notandum est, quod expensae litis debentur etiam in quocumque facto culposo, ut est exemplum de clerico, vel alio, qui exemptus ab eo tribunali, in quo citra culpam, et ex justa credulitate convenitur, negligit opponere fori
11. declinatoriam, nam si in progressu causae eam opponat, est

statim in expensis condemnandus, quoniam debuisset illam ante omnia opponere *Ripoll. var. resol. cap.* 4. *n.* 17., *et* 18. ubi etiam ait, quod praedictae expensae recuperari poterunt per judicem ecclesiasticum, ad instantiam judicis saecularis, et est quoque videndus *D. Card. de Luc. de Jud. disc.* 39. *n.* 28.

Notandum est septimo, quod si casus contingat, ut qui expensas litis fecit, ac passus fuit, habeat interesse in eadem lite pro parte tantum, et pro alia parte fecerit sentire commodum alteri, ut si ex. gr. haeres pro parte egerit pro tota haereditate, et illam obtinuerit, et tunc si quaeratur quomodo sint regulandae dictae expensae, opportuna responsio est, quod aut haeres praedictus in lite impendit ultra summam, quam
12. impendisset pro consequenda sua portione, et eas procul dubio repetere poterit; quinimo ei dabitur retentio contra cohaeredem, aut vero litigans non expendit plus in d. judicio, quam fecisset pro consequenda sua portione, et in tali casu verisimilius videtur nullas expensas deberi ab eo, qui ex lite commodum sensit, et cum hac distinctione tanquam rationabili pertransit *Ferentill. ad Buratt. decis.* 921. *n.* 23., *et seq. ubi alia exempla habentur.*

Octavo est advertendum, quod in jure procul dubio non est prohibitum condemnationem in expensis omittere sub certa conditione, qua non impleta pars
13. teneatur ad eas, hocque contingit dum quis absolvitur ab expensis, quatenus sententiae acquiescat, alias ad expensas teneatur ut ponderat *D. Card. de Luc. de Judic. disc.* 39. *n.* 9., *et conferunt tradita per Gratian. discept. for. cap.* 572. *per tot.* ubi ait, quod absolutus ab expensis quatenus acquiescat sen-
14. tentiae, censetur in eis condemnatus, si illi non acquiescat appellando, et causam appellationis prosequendo, et quid si esset interposita appellatio,
15. sed illi fuisset renunciatum, et quid si declaretur causa deserta, aliaque ad propositum.

Advertendum est nono, quod licet religiosi nihil proprii habentes, non sint condemnandi in expensis, ut dicitur de monacho, cujus nomine si moveatur judicium, non potest ipse in expensis condemnari, cum nihil proprii habeat, sed est condemnandum monasterium, et contra illud facienda est executio, quatenus tamen ad
16. eum pervenit secundum *Cyriac. contr.* 144. *n.* 25. *et seq.*; in aliis tamen Praelatis, ac clericis contrarium est in jure statutum, et si ex proprio patrimonio nihil habent, potest fieri executio in fructibus beneficii, deducto tamen ne egeant, ut docet *Brederod. de appell. part.* 2. *tit.* 40. *col.* 659., *et* 660. *litt. D.*

Advertendum est decimo, quod si plures personae in expensis

unica sententia condemnentur, et inde oriatur quaestio, an omnes condemnati ad eas insolidum teneantur, vera hujus puncti resolutio est, ut nequaquam dicti condemnati teneantur ad expensas insolidum, sed unusquisque pro rata sua, cessante etenim clausula insolidum, novum non est, quod obligationes sunt intelligendae
17. pro rata, ut in terminis notat *Capuc. in prax. par.* 3. *cap.* 11. *art.* 19. *n.* 296., *et Gratian. discept. for. cap.* 33. *n.* 50., *et seq.* ubi amplius ait, quod etiam si essent plures debitores insolidum obligati, et unusquisque simpliciter condemnaretur, quilibet tamen censeretur condemnatus pro rata sua, licet enim obligatio, ut ipse ait originalis sit insolidum, hujusmodi tamen non est, quae ex sententia resultat, nisi judex condemnaverit juxta petita, et in petitione instaretur quemlibet condemnari in omnibus expensis.

Rursus undecimo loco est advertendum circa hanc nostram materiam, quod si contingat, ut appellans nullo modo prosequutus fuerit causam appellationis, tunc ob non prosequutionem causae, ejusque deser-
18. tionem debet judex a quo desertorem in expensis condemnare, quinimo hujusmodi condemnationem fieri posse etiam per judicem ad quem videtur concludere *Brederod. de appell. par.* 2. *tit.* 40. *col.* 658. *litt. B.*, *et C. Scacc. de appell. q.* 11. *art.* 6. *n.* 160., ubi ea ratione movetur, quia qui potest pronunciare appellationem esse desertam, potest etiam condemnare ad expensas, et tam judex a quo, quam, ad quem potest pronunciare super d. desertionem.

Ulterius est hic opportune notandum, quod cum saepe numero contingat ut procuratores in causa comparentes remaneant victi ex inordinato processu ab
19. ipsis constructo, hinc inquam, notandum est, eosdem procuratores tunc in expensis condemnandos esse, ut post multos alios docte firmavit *Carpan. ad Stat. Mediol. cap.* 55. *n.* 57., quod tamen, ut verum fatear puto intelligendum, nisi praefati procuratores aliquam justam causam pro se haberent; et circa condemnationem procuratoris in expensis, illud etiam non est omittendum, quod quoties procurator requisitus de ejus procurae mandato illud
20. non ostendit, etiam in tali casu meretur condemnationem in expensis tanquam falsus procurator, ut prudenter firmat *Gratian. discept.* 985. *n.* 22. *Vant. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mand. n.* 60., *et seq.*

Decimo tertio notandum est, quod stante statuto, vel constitutione limitante materiam, et quantitatem appellabilem, in hujus-
21. modi themate condemnatio expensarum non est coacervanda cum summa negotii princi-

palis, ut bene animadvertit *Leoncill. decis. Ferrar.* 134. *n.* 3., *et* 4. *ubi dat. concordan.*

Decimo quarto illud etiam est hic notandum, quod si actor plura facta connexa, vel di-
22. stincta, et separata proponat, ut condemnationem in expensis evitare possit, si omnia non probet, nihil in specie ipse petere debet, sed his verbis, vel similibus uti poterit, *Super quibus omnibus, et singulis peto jus, et justitiam ministrari simul, divisim, copulative, alternative, singula singulis, congrue referendo, omni alio meliori modo, et forma quibus fieri poterit, ut latius docet Boer. decis.* 74. *n.* 3., ubi etiam de clausula non se adstringens, et vide etiam ea, quae dixi consult. 6. n. 5.

Decimo quinto lectorem monitum volo circa expensas in litibus factas a conductore, haerede gravato, usufructuario, et simil., quod aequitas non patitur, ut expensae praedictae eorum damno cedant, nam quoad
23. expensas factas a conductore pro defensione rei conductae, eas esse refundendas a locatore dixit optime *Pacion. de loc., et conduct. cap.* 34. *§.* 1. *n.* 28., de expensis vero factis ab haerede gravato, et usufructuario videnda est consult. 15., item de expensis passis ab executore testamentario videndus est *Carpio. de execut. Testam. lib.* 3. *cap.* 3. *concl.* 8. *n.* 6., *et cap.* 8. *concl.* 12. *n.* 28. *eodem libro*, ubi ait, quod executor testamentarius, qui aliquas expensas fecit in exigendis rebus, vel pro exequenda
24. mente defuncti, potest illas praetendere ex bonis haereditariis; de expensis autem passis ab emptore in litibus contra rem emptam motis, an scilicet, et quando repeti, et consequi possint ab eo qui praelationem petit, videndus est *D. Corradin. de jur. praelat. quaest.* 5. *n.* 55. *et seq.* ubi late materia examinatur.

Decimo sexto lectorem pariter monitum volo, quod si casus contingat, prout saepe evenit, quod primus judex ab expensis absolvat, secundus vero condemnet, haec tamen deformitas in expensis neutiquam inducit deformitatem in negotio
26. principali, ideoque in hujusmodi facti specie esse procedendum ad executionem quoad negotium principale, non obstante dicta deformitate in expensis pulchre firmavit *Leoncill. decis. Ferrar.* 88. *n.* 5. *cum ibi congest.*

Alia denique ultra ea, quae in praecedentibus Consul. exposita fuerunt circa expensas quae fiunt in litibus pro sportulis judicum, Advocator., etc. videnda sunt penes. *Carleval. de judic. disput. jur. lib.* 1. *tit.* 1. *disput.* 6. *per tot.* ubi concludit, quod Judex inferior non
27. obstante appellatione ad Superiorem potest exigere salarium executive *Fab. in suo Cod. lib.* 3. *tit.* 2. *definit.* 1. ubi ait,

quod debitore ad cessionem bonorum admisso, sportulae debentur ex pretio bonorum ces-
28. sorum, et ita fuit etiam per me decisum dum Praetoris, ac Judicis munere fungebar in Illustriss. ac Nobiliss. Civitate Caesenae, ea praecipue ductus ratione, quia debitor ad d. miserabile beneficium admissus nequit dictas expensas solvere, dum omnia bona cessit *Gratian. discept. for. cap.* 49. *n.* 29. ubi refert DD. qui sustinent, quod Advocati, et Procuratores nequeunt agere pro salario contra victum, qui fuit condemnatus in expensis, sed quod de-
29. bent agere contra victorem, subdens tamen hanc propositionem limitari quoties victor est rixosus et potens, ita ut ab eo difficile sit obtinere, vel non est solvendo; rursus videndus est in *discept.* 39. *et signanter n.* 16., *et* 17. ubi firmat Advocato deberi salarium pro consilio dato etiam sine la-
30. bore, et revolutione librorum, ea ratione, quia esset deterior conditio eorum, qui sunt docti, quam aliorum, et etiam quia in hoc non est inspiciendum solum ad tempus praesens, sed etiam ad praeteritum, in quo facti sunt sumptus, et passi labores; itidem videndus est *Auctor citatus discept.* 56., *et praecipue n.* 1. *ad* 15. ubi quod
31. salaria Advocati, et Procuratoris de jure communi sunt praestanda in fine litis, quodque ratione salarii in aliqua Curia debiti, vel expensarum fact. in causa per Procuratorem clientuli dicuntur de ju-
32. risdictione illius Curiae, ubi factae sunt, maxime si de stylo ita servetur, et ulterius ait, quod dicti Procuratores pro so-
33. lutione registri, et expensarum causae habentur pro principalibus, et tanquam tales conveniuntur; an autem pro salario, et expensis litis scripturae,
34. et instrumenta retineri possint loco pignoris per Advocatos, Procuratores, et Notarios videatur pariter citatus auctor loco, de quo supra, ubi dicit, quod
35. si nullum salarium a lege definitum est, arbitrio judicis relinquitur taxatio, dummodo non excedat centum aureos pro singulis causis; rursus est videndus *discept.* 55. ubi quaerit, an Advocato debeatur salarium, qui in causa scripsit, ex quo ei prohibita est advocatio, et quid si male se gesserit, et quomodo sint regulandae sportulae in causis concernentibus praestationem alimentorum, in causis legati annui, attentat., et an in causis summariis, et pauperum sportulae debeantur, etc. *et discept.* 57., ubi multa habentur circa expensas tam accessus, quam recessus Judicis, et Advocati ad locum differentiae.

FINIS CONSULTATIONUM, QUAE IN HAC SECUNDA PARTE CONTINENTUR.

INDEX GENERALIS

Rerum, et Conclusionum, quae in secunda parte hujus operis continentur.

A

Actio.

Actio quando mutari possit absque refectione expensarum, vide verbo expensae.

Actor.

Actor, qui in termino citationis adversario executae non comparet, an sit condemnandus in expensis, vide verbo expensae contumaciales.

Actor, qui plura facta proposuit, si omnia non probet, an sit condemnandus in expensis consult. 30. n. 22.

Alimenta litis.

Pro his alimentis consequendis requiritur non levis boni juris praesumptio, quae resultat ex sententia favorabili consult. 4. n. 1., quod tamen limita, quando sententia est lata per contradictas n. 2.

Bonum jus tamen resultare potest ex alia probatione n. 3. ibidem.

Ulterius requiritur, ut alimenta petens sit pauper, alter vero dives ibidem n. 4.

Non est tamen necessaria satisdatio, quia non restituuntur, nec in casu succumbentiae, et hoc est generale in expensis quae loco provisionis dantur ibid. n. 6.

Debentur haec alimenta, etsi non agatur ad universam haereditatem, vel ejus partem, et nedum descendentibus, sed etiam extraneis d. consult. 4. n. 7., et 8.

Ex Sententia oritur bonum jus etiam si fuerit appellatum, et quamvis fuerit revocata, sed deinde confirmata d. Sententia ibid. n. 9., et 10.

Paupertas quomodo sit ad d. effectum probanda, an sufficiat fides parochi, et quid ubi quis est carceratus d. cons. 4. n. 11. 12., et 13.

An autem paupertas exclusa remaneat ex eo quod quis lucrum facere possit ex proprio exercitio, vel possideat domum propriam ibid. n. 14., et 15.

Alimenta litis debentur a viro uxori, et e contra si lis est inter ipsos, si vero cum promissione dotis debentur ab isto, ut declaratur n. 16., et 17.

Habens patrem, vel matrem divitem non consequitur alimenta, secus quoad alios conjunctos n. 18.

Alimenta litis sunt petenda coram judice causae principalis, et ejus arbitrio taxanda, ut n. 19., et 20.

Si alicujus bona sequestrentur, et iste nihil aliud habeat, an alimenta, et expensae litis debeantur n. 21. ibid.

Appellatio.

Deserens appellationem quia dicitur contumax, condemnatur in expensis non obstante justa causa consult. 1. n. 8.

Limita tamen quando quis expresse renunciat appellationi ob causam de novo superventam, ex qua oriatur malum jus renunciantis consult. 24. n. 7.

A condemnatione in expensis datur appellatio, et si haec sit facta in tertia sententia cons. 7. n. 1., et 2.

Limita quando agitur de expensis contumacial. n. 3. ibid.

Duae requiruntur appellationes, si expensae non fuerunt petitae accessorie cum principali negotio d. cousnlt. 7. n. 4.

Quando judex condemnationem omisit, aut expresse absolvit, et victus in principali negotio appellavit, vel in totum, vel pro parte, aut nullam interposuit appellationem, an detur appellatio ab omissa condemnatione, vel ab expressa absolutione, et quid ubi expensae non fuerunt a victore petitae vide d. consult. 7. n. 5. 6. 7., et 8.

A taxatione expensarum an detur appellatio vide verbo taxatio expensarum.

Expensae non coacervantur cum principali negotio ad constituendam summam appellabilem cons. 30. n. 21.

C

Capitulum.

Capitulus ubi litem habet cum aliquo, an

expensae litis fieri debeant de bursa particulari DD. Canonicorum vide cons. 25. n. 7.

Carceratus.

Carceratus quando consequi possit alimenta V. cons. 4. n. 13.

Causa justa litigandi.

Nonnulla vide verbo expensae litis in genere.

Qui pro certo tempore habuit justam causam litigandi, si post illud prosequatur litem, praesumitur, quod etiam a principio fuisset litigaturus sine justa causa cons. 1. n. 16.

Causae justae litigandi sunt judici arbitrariae cons. 2. n. 1.

Justa causa litigandi oritur ex opinione unius doctoris insignis, dummodo non sit contra communem, nec advocatus in causa ibid. n. 2.

Quando agitur de re dubia, ac controversa ita ut non appareat de communiori sententia, dicitur adesse justa causa litigandi d. cons. 2. n. 3.

Quando actori defertur juramentum suppletorium, reus victus non condemnatur in expensis ibid. n. 4. et cons. 19. n. 5., et 6.

Causa justa litigandi resultat ex dicto testium se jactantium extrajudicialiter ad favorem alicujus depondituros, nec non etiam ex testibus examinatis, sed exadverso reprobatis, ut n. 5., et 6. ibidem.

Persona valde religiosa, et honesta, seu insignis, et probatae famae, praesumitur habere justam causam ibid. n. 7.

Et idem dicitur quando lis agitatur inter strictissima affinitate conjunctos, etc.

Justa est causa litigandi quando quis litigat ob pudorem suum servandum d. cons. 2. n. 9.

Quando actor petit plus debito, reus dicitur habere justam causam litigandi n. 10. ibid.

Hoc tamen declaratur, et limitatur n. 12.

Ex semiplena probatione oritur justa causa litigandi, ut declaratur d. cons. 2. n. 13.

Ecclesia, Fiscus, Rusticus, etc. condemnantur in expensis si justam causam non habent cons. 26. n. 5.

Qui probat audivisse a pluribus testibus id, quod fuit in judicium deductum, dicitur habere justam causam litigandi d. cons. 2. n. 14.

Ex sententia, quam quis habet pro se, oritur justa causa litigandi, et ideo ea supposita non fit condemnatio in expensis, nisi revocetur ex iisdem actis ibid. n. 15.

Revocata sententia etiam ex noviter deductis, dantur casus, in quibus victus est condemnandus in expensis ibid. n. 16.

Justa causa dicitur adesse quando quis litigat ad effectum sibi parandi actionem de evictione, item stante mutua litigantium victoria, aliisque casibus, ut in d. consult. 2. n. 17. 18. et 19.

Justa tamen causa non praesumitur quoties quis remanet victus n. 20. ibid.

Longe magis justa causa requiritur in Actore victo, quam in reo n. 21. et allegatur ratio n. 22.

Qui habuit justam causam litigandi usque ad certum tempus, pro illo tempore non condemnatur in expensis cons. 1. n. 17. et cons. 2. n. 23.

Justa causa litigandi excusat etiam stante statuto, quod victus victori condemnetur, etc. et rejiciuntur contrarium sentientes n. 24., et 25. ibid.

Haeres, qui litem injustam a defuncto inchoatam prosequitur, dicitur ipse quoque injuste litigare, et condemnatur in expensis cons. 26. n. 4.

In dubio justa causa non praesumitur, et ideo victus condemnatur in expensis cons. 26. n. 8.

Cedens liti.

Cedens, seu renuncians liti statim ac agnoscit malum jus fovere, non condemnatur in expensis, et sufficit, ut haec renunciatio fiat a die productionis tantum instrumenti ubi negotium cum eo gestum non est cons. 24. n. 2., et 3.

Referuntur contrarium sentientes, sed eorum sententia procedit quando renuncians malam a principio fovebat causam, secus quando renunciatio processit ex causa de novo superventa ibid. n. 4., et 5.

Et hoc idem dicitur de eo, qui renunciat appellationi ibid. n. 7.

Quando renuncians malam a principio fovebat litem, potest altera pars instare, ut adhuc deveniatur ad definitivam cum condemnatione renunciantis in expensis etiam factis post renunciationem d. cons. 24. n. 9.

Clausula.

Obtenta commissione cum clausula refectis expensis, expensae prius sunt reficiendae, ut declaratur cons. 3. n. 12.

Sub clausula parito brevi, non comprehenduntur expensae, nisi hoc dictum sit cons. 3. n. 13.

Idem dicitur de clausula non retardata executione, vel sine praejudicio executionis ibid. n. 14.

Clausula parito judicato, includit expensas, ut in d. cons. 3. n. 15. quod tamen quomodo procedat V. n. 16.

Et, quid dicendum de clausula quam, et quas. V. cons. 6.

Stante clausula quam, et quas, an detur variatio absque refectione expensarum cons.

6. n. 4., et 5.

Contumax.

Vide verbo expensae contumaciales.

Curator.

Curatori ad lites quando debeatur Salarium V. verbo salarium, seu sportula.

E

Expensae Contumaciales.

Expensae contumaciales debentur non obstante justa causa cons. 1. n. 6. et cons. 8. n. 1.

Et istae non repetuntur, etsi contumax postea vincat d. cons. 1. n. 7. cons. 3. n. 20., et cons. 8. n. 7.

Idem dicitur de deserente appellationem, qui dicitur contumax ibid. n. 8.

Expensae contumaciales regulariter refici debent antequam contumax audiatur cons. 3. n. 19., et cons. 8. n. 1.

Amplia, ut hoc procedat etiam in actore si post executam citationem non compareat cons. 8. n. 2., et cons. 9. n. 1., et seq. ubi hoc ampliatur etsi actor esset minor, Ecclesia, etc. et declaratur quaenam expensae sint reficiendae.

Quando expensae contumaciales non sunt liquidae, sufficit satisdatio cons. 8. n. 9.

Minor contumax, cui non fuit deputatus Curator auditur expensis non refectis ibid. n. 4.

Item expensis non refectis auditur contumax citatus ad locum non tutum, aut absque assignatione termini, et certi temporis, vel si non fuit citatus d. cons. 8. n. 5.

Si sententia feratur favore actoris absentis, et contumacis, est condemnandus in expensis n. 6. ibid.

Contumax ex primo decreto auditur refectis expensis, secus vero ex secundo ibid. n. 8.

Debitor an refectis expensis recuperare possit rem, in cujus possessionem immissus est Creditor in contumaciam n. 9. ibid.

Sub expensis contumacialibus an veniant damna V. cons. 12. n. 22.

De taxatione, et solutione harum expensarum V. verbo taxatio.

An peti possint expensae contumaciales quando judex in eis victum non condemnavit V. cons. 15. n. 11.

An detur appellatio ab excessiva taxatione harum expensarum V. verbo taxatio expensarum.

Expensae debitae jure actionis.

Victus condemnatur in expensis debitis jure actionis non obstante justa causa cons. 1. n. 9.

Alias judex tenetur ad restitutionem ibid. n. 10., quod tamen limita, ut n. 11.

Judex absolvens ab expensis non censetur absolvere a conventionalibus, et debit. jure actionis ibid. n. 12. quod tamen declaratur.

Stante Statuto, quod victus victori condemnetur, etc. an expensae peti possint etiam non facta condemnatione, ex quo tunc debeantur jure actionis V. cons. 2. n. 26., et 27.

Hujusmodi expensae peti possunt quomodocumque finiatur lis V. cons. 15. n. 5. ubi etiam sub n. 8. an debeantur integre.

Alia vide verbo expensae litis quando peti possint, aut non, omissa per judicem condemnatione.

Expensae attentatorum.

Expensae attentatorum prius refici debent antequam attentans ad ulteriora procedat cons. 3. n. 2.

Et si sunt certae nec minus sufficit depositum unius julii, etc. ibid. n. 3.

Et quando sunt judiciales dicuntur certae n. 4. ibid.

Sub his expensis veniunt tantum quae factae fuerunt a die commissi attentati n. 5. ibid.

An autem veniant damna V. cons. 12. n. 22.

Et an omnes expensae integre sint reficiendae V. verbo taxatio.

Expensae reficien. a Spoliatore.

Circa expensas reficiendas a Spoliatore vide cons. 3. n. 6.

Expensae factae in decreto interlocutorio.

Expensae factae in decreto interlocutorio prius refici debent cons. 3. n. 7.

Judex in definitiva potest condemnare in expensis etiam interlocutoriae ibid. n. 8., et hoc firmatur, et declaratur etiam cons. 26. n. 7.

Victus in interlocutoria, si deinde fiat victor in definitiva, an possit amplius condemnari in expensis d. interlocutoriae ibid. n. 9.

Et an vincens in interlocutoria, si remaneat victus in definitiva, possit dictas expensas praetendere si eas prius non habuit d. cons. 3. n. 10.

Et quid ubi interlocutoria ab una parte obtenta deinde revocatur ibid. n. 11.

Expensae reficiendae lata Sententia ab observatione judicii.

Lata sententia ab observatione judicii, qui victus remansit debet prius reficere expensas antequam iterum agat. cons. 3. n. 23.

Et de hac materia alia vide cons. 20.

Expensae, seu Alimenta litis.

De his expensis V. verbo alimenta litis.

Expensae, quae fiunt pro mittendo Notario ad recipiendam responsionem absentis, pro accessu ad locum differentiae, et similes.

Rejectis varii juristarum sententiis, firmatur expensas pro mittendo Notario, aut litteris expediendis pro absente examinando, spectare ad petentem ad talem actum deveniri cons. 5. n. 1. 2., et 3.

Si petatur accessus ad locum differentiae, aut consilium sapientis, expensa est petentis n. 5. ibid.

Expensa tamen spectat ad absentem quando ejus absentia est culposa d. cons. 5. n. 6.

Quando absens respondere debet super partito juramenti litis decisivi expensa est communis n. 7. ibid.

Est enim communis ubi actus est utilis utrique parti n. 8. ibid.

Expensa non est absentis quando misit mandatum ad sic, et sic respondendum, et ejus adversarius vult ab eo responsiones d. cons. 5. n. 9.

Absens pariter aliqua expensa gravari non debet quando non tenetur accedere ratione Dignitatis, infirmitatis, aut sexus, etc. et allegatur ratio n. 10., et 11. ibid.

Actus, qui fiunt officio Judicis debent fieri expensis communibus partium n. 12. ibid.

Expensae reficiendae Emptori aut non, ob litem, et molestias passas super re empta.

Emptor re sibi evicta, agere potest pro expensis, damnis, etc. contra venditorem, et quid si casus evictionis non evenerit, sed emptor obtinuerit cons. 23. n. 1., et 2.

Et quid pariter dicendum ubi emptor neglexit petere contra eum, qui evincere praetendebat condemnationem in expensis, an scilicet possit tunc expensas praetendere a venditore ibid. n. 3.

Quando agitur de evictione ex natura rei, non potest emptor agere contra venditorem pro expensis passis nisi aliter sit conventum, adeo quod sit necessaria specialis promissio, ut declaratur d. cons. 23. n. 4. et 5.

Et quando expensae emptori debentur, sunt reficiendae quae fuerunt necessariae pro lite ibid. n. 6. ubi etiam quaeritur quid circa praedicta sit dicendum ubi de emptoris contumacia in respondendo Actori apparet.

Expensae factae in litibus ab Haerede gravato, vel usufructuario.

Haeres gravatus recuperat expensas factas in litibus pro defensione, et recuperatione bonorum fideicommissariorum, ut declaratur cons. 25. n. 1. ita ut non compensentur cum fructibus ibid. n. 3.

Et quid dicendum de expensis factis in inventario ibid. n. 2.

Et quid pariter, an praedicta procedant ubi haeres praedictus non obtinuit, dummodo calumniose non litigaverit d. cons. 25. n. 4.

Ad expensas litis tenetur, et usufructuarius, et proprietarius, licet non aequaliter, et quid si lis non concernebat utriusque interesse ibid. n. 5., et 6.

Expensae factae a conductore in litibus, ab execut. testam., et ab emptore, quando quis petit praelationem super re empta.

De his expensis V. cons. 30. n. 23. 24. et 25.

Expensae reficiendae quando mutatur Libellus, seu Actio.

Post litem contestatam regulariter non potest mutari libellus, nec transiri de una ad aliam viam, nisi refectis expensis liquidis consult. 6. n. 1., et 2.

Et hoc procedit in causis tam ordinariis, quam summariis n. 3. ibid.

Limita tamen stante commissione cum clausula quam, et quas, vel quando in libello plura fuerunt cumulata remedia, ut n. 4. et 5.

Non potest transiri a via ordinaria ad executivam, nisi renuncietur primo judicio, et reficiantur expensae, secus ab executiva ad ordinariam d. cons. 6. n. 6., et 7.

Variatio, et correctio libelli admittitur absque refectione expensarum, ubi qui variat non fuit temerarius, sed ex nova justa causa hoc facit, furtius si novum judicium est dependens a primo ibid. n. 8. 9., et 10., et quoad corrigentem libellum, vel transeuntem ab uno ad aliud judicium ex nova causa superventa V. cons. 24. n. 6.

Expensae pro examine testium.

De expensis, quae fiunt pro examinandis testibus V. verbo Testes.

Expensae primae instantiae solvendae per appellantem victum, aut non.

Ommissa condemnatione victi a primo judice, si secundus condemnat, debentur expensae primae instantiae cons. 11. n. 1.

Limita quando victus in prima instantia habuit justam causam litigandi, vel ubi judex appellationis intellexit solum de expensis coram se factis, vel protulit sententiam super desertione, non super negotio principali, vel quando agitur de expensis interlocutoriae fact. coram primo Judice, ut declaratur consult. 11. n. 2., et seq.

Expensae primae instantiae an debeantur quando Judex primus condemnavit, vel absolvit victum, et secundus sententiam primam confirmat, vel revocat n. 6. 7. 8., et 9. ubi etiam quid si sententiam reformet.

Expensae reficiendae ob peremptam instantiam.

Quando reus absolvitur ob peremptam instantiam actoris negligentia, actor tenetur ad expensas cons. 20. n. 1., et 2., nisi ex aliqua justa causa constet instantiam lapsam non esse ex partis petentis negligentia n. 3. ibid.

Et dictus Actor non auditur nisi prius refectis expensis liquidis integre, etiam si obtineat a Principe Spiritus insuflationem, et

illis refectis amplius non recuperantur, etsi deinde obtineatur in causa, cum condemnatione adversarii in expensis ibid. n. 4., et 5.

Quando insuflatio fit ad instantiam rei, an sint reficiendae expensae, et an minor possit evitare refectionem dd. expensarum V. d. consult. 20. n. 6., et 7.

Expensae reficiendae a victo victori, idest quaenam expensae reficiendae sint.

Nec copia petitionis, nec mandati Procurae comparentis alieno nomine est reficienda cons. 12. n. 1. et 2.

Expensa primae citationis est reficienda ibid. n. 3.

Quae tamen declarantur, ut eodem n. 3., et 4.

Expensae fact. pro Instrumentis extract. ante litem, non sunt reficiendae, si reus mota lite comparet, et non vult litigare, ut declaratur n. 5.

Expensae, quas victor fecit propria culpa, veluti propter ejus absentiam, non sunt a victo reficiendae d. cons. 12. n. 6., et 7.

Idem dicitur de expensis factis praeter necessitatem; et de iis, quae solitum excedunt etiam si ageretur de purgatione attentatorum n. 8. ibid.

De expensis reficiendis ab eo, qui cedit liti V. verbo cedens, seu renuncians liti.

Ubi quis necessitatem habet aliqua acta faciendi, an si alius se opponat, ab isto reficiendae sint expensae d. cons. 12. n. 10.

Expensae advocati, procuratoris, copistae, citationum, scripturarum, examinis testium, sportularum, an, et qualiter sint reficiendae V. ibid. n. 11. ad 13., et n. 16., et seq. ubi etiam quid si quis habuerit advocatum gratis, vel per se ipsum causam agitavit.

Expensae pro extract. scripturarum, ut sint reficiendae, an sit necessaria citatio, quod reus declaret, an velit stare simplici copiae ibid. n. 14.

Expensae pro accessu judicis ad locum differentiae sunt reficiendae, ut declaratur d. cons. 12. n. 15.

Item factae pro copiis instrumentorum reo consignat. ibid. n. 19.

Et quid dicendum de damnis n. 22. ibid.

Quas expensas recuperet emptor a venditore ob litem passam super re vendita V. cons. 23. n. 6.

Alia V. verbo taxatio expensarum.

Expensae litis an, et quando peti possint omissa per judicem condemnatione.

Constituitur regula generalis negativa cons. 15. n. 1.

Limita tamen in illis judiciis, in quibus implicite ex natura judicii, et ex juris dispositione veniunt, ut dicitur de judicio manutentionis, attentatorum, etc. Item limita quando petuntur eadem die. Item quando fuerunt promissae, sicque debentur jure actionis d. consult. 15. n. 1. 2. et 3.

Stante obligatione camerali, vel promissione de lite non inferenda, vel suscipienda cum clausula alias ad omnia damna, expensae peti possunt jure actionis, et consequenter etiam post sententiam n. 6., et 7.

Postquam judex declaravit appellationem desertam, potest appellatus petere expensas n. 9. ibid.

Idem dicitur de expensis debitis vigore statuti mandantis victum victori, etc. quae pariter peti possunt, ut tamen hic declaratur, nec non de expensis contumacialibus d. cons. 15. n. 10., et 11.

Expensae litis in genere.

Victus victori tenetur ad expensas, nisi justam habeat litigandi causam cons. 1. n. 1.

Etiam victor condemnatur in expensis, si distulit producere jura sua ad defatigandam partem adversam in expensis ibid. n. 2.

Condemnatur item victor, quando ipse fuit absens, et contumax, reus autem victus praesens ibid. n. 3., et cons. 8. n. 6.

Item condemnatur victor quoties litigavit per procuratorem minus legitimum, ut declaratur d. consult. 1. n. 4.

De consuetudine multorum locorum cogitur victus ad restituendas sportulas, non obstante justa causa litigandi d. cons. 1. n. 5.

Sed de his sportulis V. verbo sportula seu salarium.

Rota, et alia suprema tribunalia in expensis condemnant, non obstante justa causa litigandi d. cons. 1. n. 13. quod tamen limita, ut n. 14.

Dictus tamen stylus est rejiciendus n. 15. ibidem.

Qui habuit justam litigandi causam usque ad certum tempus, excusatur pro eo tempore ab expensis cons. 1. n. 17.

Stante statuto, quod victus victori condemnetur in expensis, adhuc justa causa litigandi excusat ibidem. n. 18., et cons. 2. n. 24., et 25.

Et stante hoc statuto, an expensae debeantur jure actionis, sicque peti possint etiam non facta condemnatione d. cons. 2. n. 26., et 27.

Condemnatio expensarum fieri non debet, quando sententia fertur ex probationibus privilegiatis cons. 2. n. 4. ubi haec propositio exemplificatur.

Expensae litis regulariter non debentur nisi terminato judicio cons. 3. n. 1. ubi habentur etiam limitationes.

Expensae dicuntur certae quando sunt judiciales cons. 3. n. 4.

An sub omni clausula in commissione ap-

posita veniant expensae V. verbo clausula.
De alimentis litis vide verbo alimenta litis.
Quas expensas reficere debeat victus victori V. supra verbo expensae reficien. a victo victori, etc.
Expensae, quae lite pendente loco provisionis dantur, non sunt restituendae, ut cons. 4. n. 6.
Expensa copiae libelli datur reo sumptibus actoris cons. 5. n. 4.
Quando expensae fieri debeant a petente actum fieri V. supra expensae, quae fiunt pro mittendo notario, etc.
Quando liceat libellum corrigere, et viam mutare absque refectione expensarum V. supra expensae reficiendae quando mutatur libellus, seu actio.
De expensis factis ab eo, qui cedit liti vide verbo cedens liti.
De taxatione expensarum V. verbo taxatio expens.
Data verisimilitudine expensarum, quaelibet possibilis probatio admittitur cons. 13. n. 9. et alia de probat. expen. V. cons. 21. n. 3.
Favore mandatarii, et negotiorum gestoris expensae reficiuntur integre cons. 13. n. 17.
Expensae litis, quae veniunt officio judicis extincta lite per transactionem, ante sententiam, peti non possunt, imo etiam post sententiam, nisi de contraria mente contrahentium pateat cons. 14. n. 1., et 2.
Rejiciuntur contrarium sentien., et declaratur quando eorum sententia procedat ibid. n. 3.
Qui lite pendente solvit potest pulsari pro expen. si justam litigandi causam non habebat d. cons. 14. n. 4.
Expensae mandati suspicionis fugae, capturae et aliae ad quem spectent V. verbo suspicio fugae.
Succumbens ex juramento litis decisivo condemnatur in expensis, secus vero est in succumbente ex juramento suppletorio actori delato, sicque ex probatione privilegiata, et quid an haec ultima propositio semper procedat cons. 19. n. 4. 5., 6., et cons. 2. n. 4.
Quando quis absolvitur ab observatione judicii, debet altera pars condemnari in expensis cons. 20. n. 1., et alia V. verbo expensae reficiendae ob peremptam instantiam.
Qui pro alio expendit sine mandato, expensas repetere potest ratione negotiorum gestorum indubitanter quando obtinuit cons. 21. n. 1., et 2.
Expensae litis quomodo probentur V. n. 3. ibid., et verbo taxatio.
Expensae praesumuntur factae ab illo, qui illas facere tenebatur hoc tamen intelligendo in dubio ibid. n. 4., et 5.
Secus vero quando constat fuisse solutas ab alio, quam a principali, et exemplificatur in procuratore, et quid si procurator non obtinuerit cum aliis declarat. d. cons. 21. n. 6., et 7.
Renuncians sententiae, quam obtinuit pro praelatione, retractu, aut redhibitoria, quam praetendebat, tenetur ad expensas, ut declaratur cons. 22. n. 2., et 3.
De expen. reficien. emptori ob molestias passas V. supra expensae litis reficien. Emptori, aut non ob litem, et molestias passas, etc.
Qui distulit producere jura sua ad defatigandam partem adversam in expensis, ipse est condemnandus in expensis, etsi obtineat cons. 24. n. 8.
Quando Capitulum litem habet cum aliquo, expensae fieri debent de bursa particulari DD. Canonicorum si lis non respicit utilitatem, et commodum Ecclesiae cons. 25. n. 7.
Judex potest victum in expensis condemnare, etsi non sint petita posthabita distinctione an agatur de expensis factis ante litis contestationem, vel post cons. 26. n. 1., et 2.
Et peti possunt quandocumque ante sententiam ibid. n. 3.
Haeres, qui injustam litem a defuncto inchoatam prosequitur, condemnatur in expensis cons. 26. n. 4.
Condemnationi in expensis subjacet Ecclesia, fiscus, rusticus, etc. si justam causam litigandi non habent ibid. n. 5.
Regulariter judex non potest post sententiam condemnare in expensis, etsi hanc facultatem sibi reservaverit, quod tamen non procedit in expensis interlocutoriae, in quibus potest fieri condemnatio usque ad sententiam definitivam, et etiam in ipsa definitiva, ut declaratur d. cons. 26. n. 6. et 7., et cons. 3. n. 8. 9. et 10.
Victus in dubio est condemnandus in expensis d. cons. 26. n. 8.
Condemnatio in expensis non est necesse, ut fiat in scriptis, et potest probari per testes, ut declaratur cons. 30. n. 1.
Condemnatus in expensis, qui nihil proprii habebat licet olim puniretur in corpore, hoc tamen hodie non est in usu ibid. n. 2. et 3.
Quod expensae factae in advocato, procuratore, etc. omnibus praeferantur V. ibid. n. 4.
Item maritus omnibus praefertur pro impensis necessariis pro defendendis rebus dotalibus n. 5. ibid.
Si Universitas constituat procuratorem cum contradictione tamen aliquorum, si deinde

feratur sententia contra universitatem, an qui contradixerunt teneantur ad aliquas expensas d. cons. 30. n. 6.

Agentes pro pupillis, vel eos defendendo si injustam foveant litem, tenentur ipsi de proprio ad expensas, et idem dicitur de expensis debit. ob correctionem libelli, vel non prosequutam appellationem, causamque desertam, aut instantiam peremptam d. cons. 30. n. 7., et 8.

Et pupillo, ac minori competit actio contra Tutorem, et Curatorem, quinimo Tutor, ac Curator proprio nomine condemnari possunt, licet in dubio condemnatio censeatur facta Tutorio, vel Curatorio nomine n. 9., et 10. ibid.

Clericus, vel alius exemptus, qui neglexit opponere declinatoriam Fori, an sit condemnandus in expensis, si eam in progressu causae opponat n. 11. ibidem.

Qui passus est expensas in lite, ex qua fecit sentire commodum aliis, an repetat ab illis expensas ibid. n. 12.

Condemnatio in expensis an possit omitti sub conditione dummodo victus acquiescat, et taliter absolutus, an censeatur condemnatus si non acquiescat appellando, et quid si appellationi renuncietur, vel causa declaretur deserta d. cons. 30. n. 13., et 15.

An religiosi, qui nihil proprii habent sint condemnandi in expensis, et quid in aliis Praelatis, et Clericis n. 16. ibidem.

Cessante clausula insolidum, an condemnati in expensis teneantur tantum pro rata ibidem n. 17.

Ubi appellans prosequutus non fuit appellationem, an tam judex a quo, quam ad quem possit condemnare in expensis ibid. n. 18.

Actor, qui plura facta proposuit, si omnia non probet, an sit condemnandus in expensis cons. 30. n. 22., et V. verbo actor.

Difformitas sententiarum in expensis non inducit difformitatem in negotio principali n. 26. ibid.

Expensae litis peti possunt eadem die, si judex non condemnavit cons. 15. n. 2., et 3.

L

Libellus.

Copia Libelli datur Reo sumptibus Actoris cons. 5. n. 4., et cons. 12. n. 1.

Libellus quando mutari possit absque refectione expensarum V. verbo expensae.

M

Mandatum Procurae.

Copia mandati procurae est danda sumptibus Comparentis cons. 12. n. 2.

Mandatum suspicionis fugae.

Vide verbo Suspicio fugae.

N

Negotiorum Gestor.

De expensis litis factis a negotiorum gestore V. verbo expensae litis in genere, et cons. 21.

P

Procurator.

De expensis factis a procuratore, quomodo scilicet eas recuperet, an praesumantur factae de proprio, et de aliis V. verbo expensae litis in genere, et cons. 21.

Procurator quando petere possit salarium V. verbo salarium.

Procurator, qui remanet victus ex suo inordinato processu, ipse est condemnandus in expensis; item procurator, qui requisitus mandatum non ostendit cons. 30. n. 19, et 20.

R

Renuncians.

Renuncians sententiae ad ejus favorem latae, tenetur ad expensas, ut declaratur cons. 22. n. 2., et 3.

Renuncians liti, an condemnetur in expensis V. verbo cedens liti.

S

Sequestrum.

Si alicujus bona sequestrentur, et iste nihil aliud habeat, an debeantur alimenta, et sumptus litis cons. 4. n. 22.

Sportula, seu salarium.

Quod advocati, procuratores, etc. pro eorum salario omnibus praeferantur V. cons. 30. n. 4.

Curator ad lites, qui neglexit petere sibi provideri de salario quicquam praetendere nequit cons. 28. n. 2., et 4.

Procuratori tamen debetur salarium, etsi non sit conventum, et quidem ab eo, a quo fuit electus, ut declaratur ibid. n. 3.

Consuetudo tamen solvendi salarium curatoribus, etsi illud non petierint valet ibid. n. 5.

De consuetudine multorum locorum cogi potest victus ad restituendum sportulas, non obstante justa causa, etc. cons. 1. n. 5.

Expensae factae pro sportulis sunt reficiendae cons. 12. n. 13.

Lite terminata per transactionem, vel quia ei fuerit renunciatum, adhuc sportula judici debetur, si erat conclusum in causa, et ipse audiverat procuratores, et in causa laboraverat ut declaratur cons. 27. n. 1.

Et quid ubi transactio fit ante conclusionem in causa ibid. n. 3.

Et quid pariter, an praedicta procedant quoad patrocinia advocato debita n. 4. ibid.

Pro regulanda sportula judicis, est inspicienda res, seu creditum in libello petitum, etsi judex partem solum concesserit d. cons. 27. n. 5.

Haec tamen propositio declaratur n. 6.

Pariter est attendendum id, quod principaliter fuit petitum, non autem res in judic. deduct., ut declaratur n. 7.

Quomodo sit regulanda sportula ubi agitur de possessione rei, vel res divisione aut de bonorum cessione, vel de sequestro d. cons. 27. n. 8.

Pro regulandis sportulis est attendendus stylus uniformis curialium cons. 29. n. 1.

Quando plures feruntur sententiae, vel una pluribus capitibus distincta, an una, vel plures debeantur sportulae, etiam si una porrecta esset petitio cons. 29. n. 1. ad 5.

Et quid stante statuto, quod pro pluribus capitibus una debeatur sportula; vel si super contentis in sententia esset jam pronunciatum, et ex nova commissione iterum pronunciaretur; et quid pariter si plura capita sententiae essent efformata super exceptionibus a reo deductis d. cons. 29. n. 7. ad 9.

Judex inferior non obstante appellatione ad superiorem, potest exigere sportulas executive cons. 30. n. 27.

Sportulae pro cessione bonorum debentur ex pretio eorundem bonorum cons. 40. n. 28.

An Advocatus agere debeat pro salario contra victum, vel victorem, an ei debeatur salarium pro consilio sine labore, an sit praestandum in fine litis, an pro salariis, et aliis expensis clientuli dicantur de jurisdictione illius curiae, in qua factae sunt, an pro illis possint retineri scripturae, an pro dd. expensis Procuratores conveniri possint, et de aliis circa sportulas regulandas in causis attentat., in causis summariis, etc. pro accessu Judicis, et Advocati ad locum differentiae, ubi a jure nullum est constitutum salarium, ac aliis, etc. V. consult. 30. n. 29., et seq.

Statutum.

Stante statuto, quod victus victori condemnetur in expensis, an justa causa litigandi excuset cum aliis, etc. V. verbo expensae litis in genere.

Suspicio fugae.

De requisitis, ut mandatum suspicionis fugae sustineantur V. cons. 18. n. 1.

Expensae mandati suspicionis fugae, et capturae spectant semper ad creditorem etiam supposita validitate capturae d. cons. 18. n. 2. quod tamen an procedat quando debitor fuit citatus prius, et eo contumace relaxatum mandatum V. ibid. n. 3.

Quando mandatum suspicionis fugae est nullum culpa creditoris, omnes expensae ad eum spectant, etiam si ipse in meritis causae bonum jus foveret n. 4., et 5. ibid.

Ubi nullitas procedit ex culpa executoris, ipse est condemnandus in expensis d. cons. 18. n. 6.

T.

Taxatio Expensarum.

In taxandis expensis est necessaria citatio, non tamen contra fidejussorem dejudicatum solvendo cons. 13. n. 1., et 2.

Non est tamen necessaria citatio in expensis contumacialibus, etiam si contumacia sit ex parte actoris, et neque ad earum solutionem n. 3. 4. et 5. ibid.

Ulterius requiritur juramentum super veritate, et quantitate expensarum, quod tamen recessit ab aula, et contrarium procedere potest in expensis extrajudicialibus n. 6. ad 8.

Data verisimilitudine expensarum, quaelibet possibilis probatio admittitur d. cons. 13. n. 9.

Item requiritur judicis taxatio, et quod ferat suam sententiam, quae tamen taxatio debet praecedere juramentum, de quo supra n. 10., et 11.

In taxatione expensarum notandum est, quod non debent excedere duplum ejus, de quo disputatur ibid. n. 12.

Expensae judiciales sunt integre reficiendae, et pro istis potest relaxari mandatum absque alia liquidatione, extrajudiciales vero omisso juris rigore, taxantur juxta discretionem, et docetur quaenam sint judiciales, et quaenam extrajudiciales n. 13., ad 15. ibid.

In judicio attentatorum, omnes expensae integre reficiuntur, et etiam favore mandatarii, et negotiorum gestoris n. 16., et 17. ibid.

Pendente appellatione a definitiva, an possit fieri taxatio, et an unus judex possit expensas coram aliis factas taxare V. d. consult. 13. n. 18. et 20.

In taxatione expensarum stylus est attendendus n. 19. ibid.

Expensae debitae jure actionis, an integre debeantur V. consult. 15. n. 8.

Quomodo probentur expensae V. aliqua cons. 21. n. 3.

A taxatione expensarum non datur appellatio, datur tamen ab excessiva, et quidem suspensiva, sed semel tantum, et debet exprimi excessus cons. 16. n. 1. 2., et 3.

Et a tali excessu appellari potest etiam si ageretur de expensis contumacialibus ibid. n. 4.

Potest etiam pars adire judicem taxationis, ad hoc, ut eam reformet, cum taxatio praedicta sit sententia interlocutoria, quam judex semper reformare potest, ut firmatur ibid. n. 5., et 6.

Et hoc procedit etiam si post taxationem esset delatum juramentum parti d. cons. 16. n. 7.

Judex delegatus non potest taxare expen-

sas post latam sententiam, etsi hanc taxationem sibi reservaverit, nisi hujusmodi facultatem habeat in rescripto, vel nisi ad taxationem deveniat dum fert sententiam cons. 17. n. 1. ad 4.

Testes.

Qui testes induxit, et jurare fecit si poeniteat, non potest ab adversario cogi ad illos examinare faciendum, licet post d. juramentum testes dicantur effecti communes cons. 10. n. 1. et 2.

Et dicti testes possunt ab altera parte examinari absque reiteratione terminorum ibid. n. 3.

Cujus autem damno cedere debeat expensa examinis hujusmodi testium V. n. 4. ibid.

Expensa examinis testium spectat ad inducentem, quod tamen declaratur d. cons. 10. n. 5., et 6.

Transactio.

Inita transactione inter litigantes, an adhuc peti possint expensae litis extinctae mediante d. transactione V. Verbo expensae litis in genere.

V

An, et quando victus, aut victor condemnetur in expensis V. verbo expensae litis in genere.

FINIS.

Sequuntur modo doctissimae consultationes Illustriss. ac Reverendiss. Domini Dominici Alexandri Fidelis Civitatis Aesii nunc meritissimi Episcopi, de quibus in frontispicio hujus Operis.

Fanen. immunitatis Caemeterii sexta septembris 1688.

Ludovicus Marzocchus de Albareto Ariminen. Dioecesis almam domum Lauretanam cum uxore progrediens, dum in quadam Caupona, seu Bettola hic Fani laxus itinere reficiebatur, a Birruariis Curiae Saecularis per Caemeterium Parochialis S. Thomae transeuntibus, et Portam, per quam ad locum sacrum confugiebatur, praeoccupantibus, eo sub praetextu, quod Marzocchus esset Bannitus in poenam Triremium, captus fuit, subindeque eductus per caemeterium ipsum eidem bettolae annexum, et contiguum, non obstante quod in actu transeundi protestaretur, se esse in loco immuni, nihilominus fuit extractus, carceribusque laicalibus mancipatus.

Hoc itaque per querelas, et ploratus uxoris audito, nuncios misi illustrissimo, et reverendissimo D. meo Gubernatori ex Clarissima Principum Spinellorum familia, quatenus dignaretur pro sua egregia justitia, et incomparabili pietate demandare laesae Immunitatis ecclesiasticae redintegrationem; super quo puncto exortis variis difficultatibus, restrinxi petitionem meam ad consignationem carcerati, quandoquidem postea servatis servandis, ac medio jure declarassem, an gauderet, nec ne; quod equidem, ut obtinere possem adduxi *Jasonem in l. ex quacumque n.* 19. *ff. si quis in jus vocat. Felin. in cap. pastoralis n.* 4. *ubi Dec. n.* 7. 8. *de rescript. Grass. de effect. Clerical. eff. prim. n.* 1257. 1262. *et* 1265. *P. Antonin. Dianam in suo opere moral. Cohordinato per Martin. de Alcolea tom.* 9. *tit. de immunit. Eccles. resol.* 118. *n.* 2., *et* 3. *ubi reprobato Sarpo pluribus firmat tam de jure civili, quam Canonico ad judicem Ecclesiasticum spectare talem declarationem Niccol. in floscul. V. immunitas n. prim. fol. mihi* 378. *Panimoll. decis.* 84. *n.* 1., *et* 2., *et decis.* 142. *per tot. Germon. de Sacror. immunit. l.* 3. *c.* 16. *n.* 22. *B. Jo. a Capistrano de Papae, et Eccles. auctorit. fol.* 89. *at. circa medium vers. tertius et cum aliquid.* ambiguum fuerit.

Item adduxi resolutiones sacrae congregationis Episcoporum in *Meliten.* 25. *Octobris* 1602., *et in Rossanen.* 10. *Martii* 1610. *relat. per P. del Bene in addit. novissim. ad tract. de Immunit. V. Immunitas Sperell. decis. for. Eccles.* 8. *n.* 23., ubi de communi, quod in dubio, ad quem spectet cognitio ad Ecclesiasticum est remittenda, et teneri judicem laicum parere inhibitioni judicis Ecclesiastici *decis.* 24. *n.* 58., *et* 59., ubi quod ita judicavit, disputato prius acriter articulo in concistorio consiliariorum serenissimi Ducis Mutinae *decis.* 149. *n.* 33., ubi quod in materia immunitatis reus statim est Episcopo consignandus, et postea ab eo cognoscendum, an gaudeat immunitate, vel ne, *Pasqualig. in addit. ad tractat. Lauret. de Franchis de controvers. inter Episcop., et Regular. par.* 2. *quaest.* 29. *n.* 2. *fol. mihi* 484., ubi quod ad solum Episcopum privative quoad alios spectat cognitio *Michael. de Cortiada decis. Catalon.* 2., ubi relatis pluribus opinionibus a n. 1. 4. 5. 44. 45. firmat, quod dicant DD. quicquid velint, nam opinio, quod judex Ecclesiasticus, utpote dignior, et major, judicare, definire, declarare, cognoscere, et determinare debeat, est de jure verior, et practicatur tam in regnis Siciliae, quam Castellae.

Quodque sit indubitata etiam inter status, vel dicasteria Imperii, late firmat illustrissimus, et reverendissimus D. Joseph Sacripantes sacrae Concistorialis aulae advocatus, et sanctissimi D. N. Papae Subdatarius, vir sane doctissimus, integerrimus, ac grandis expectationis in suo libello de praesenti anno 1688. Romae impresso, intitulat. *Defensio jurisdictionis Ecclesiasticae cap.* 11. *n.* 26. *fol. mihi* 151. *et* 152.

Hodie autem remanet incontrovertibilis per totum orbem Christianum ex litterali dispositione Bullae S. M. Gregorii XIV. ibi. *nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsa vere crimina, vel aliquod superius expressa commiserint;* quam quidem Bullae dispositionem registrat per extensum, lateque expendit *Fragos. de regim. reipub. Christianae par.* 2. *lib.* 1. *disp.* 2. §. 5. *de Censur. Pontific. reservat. n.* 44. *fol. mihi* 105. *optime Alexandr. Peregrin. de immunit. Eccl. toto cap.* 3. *Vermigliol. cons. criminal.* 101. *n.* 4., *et rejecto Vulpell. respons.* 110., *et sequacibus veluti nimis audacter loquentibus, intrepide Pac. Jordan. Episcopus Tragumensis var. lucubrat. t.* 2. *lib.* 11. *tit.* 3. *de Imm. Eccles. n.* 293.

In nihilo obstante cujusdam curialis Neoterici objectione, quod Bulla praecise loquatur de Episcopo, non de Vicario, quasi quod electa industria personae Episcopi, facultas non sit ad Vicarium extendenda; siqui-

dem vana prorsus, et debilis visa fuit difficultas, quae omnino tollitur ex *Text. in cap. is cui* 42. *de elect. in* 6. *ibi. Is cui procuratio, seu administratio Cathedralis Ecclesiae plena, et libera in spiritualibus, et temporalibus a Sede Apostolica est commissa omnia quae jurisdictionis Episcopalis existunt, et quae potest electus exequi confirmatus libere exercere valet: et consonat text. in cap. cum nullus vers. Episcopo de temporibus ordinat. eodem; bene Em. Card. Brancatus de Laurea in Epitome Canon. Verb. Administrator fol. mihi* 18.

Per quae jura, et alia a glossa indicata ex eo quia dignitas, et officium sint contemplata, nullatenus censeri electam industriam personae, ac in consequens Vicarium Apostolicum posse cognoscere omnes causas Episcopo delegatas, electionem Episcopo demandatam explere, in constitutionibus de Episcopo loquentibus comprehendi, omnibusque Episcopi praerogativis potiri, ac uti Episcopum, et Praelatum esse reputandum tradiderunt *Pellegrin. in Prax. Vicar. par. prim. sect.* 6. *n.* 3. *Sbrozz. de Vicar. lib.* 2. *q.* 30. *n.* 13. *q.* 64. *n.* 6., *et q.* 135. *n.* 6., *et* 7. *Marchett. de Vicar. Capitular. par.* 2. *tit.* 32. *n.* 15. *Miccol., in flosc. verb. Vicarius* §. 2. *n.* 15., *et* 21. *Piccard. apud. Menoch. cons.* 52. *n.* 164. *allegans Singularem Doctrinam Bartol. in l. prim.* §. *hi quibus n.* 3., *et per tot. ff. de legat.* 3. *Gratian. discept. for. cap.* 106. *n.* 29., *et ibi bene Add. de Luca n.* 5. *cap.* 111. *n.* 56., *et cap.* 303. *n.* 5., *et* 6. *Lotter.; de re benefic. lib.* 1. *q.* 16. *n.* 66. *Panimoll. d. prima annot.* 5. *n.* 7. *Archidiacon. in cap. Reatina Ecclesia* 63. *distinct. Bald. in cap. cum venerabilis in princip. de consuetud. Sperell. decis.* 97. *per tot. et signanter n.* 7. *vers. nisi tamen Vicarius esset a Papa deputatus, nam Vicarius Apostolicus expedire potest ea quae Episcopo committuntur fol. mihi* 388., *et fugando omnes tenebras sic Sacrae Congregationis Episcoporum oracula docent in Licien.* 9. *junii* 1628. *In Nolana* 27. *septembris* 1641. *in Bisinianen.* 16. *maii* 1653. *registrat. apud Pellegrin., et Niccol. in locis superius indicatis, ac nuperrime in Imolen. me instante, dum ibidem eram Vicarius Apostolicus* 28. *maii* 1688. *cum rescripto: Executionem Brevis spectare ad Vicarium Apostolicum, non ad Episcopum.*

Annuit itaque sane sapientissimus Praeses demandando consignationem extracti in carceribus Episcopalibus cum solitis tamen protestationibus. Qua consignatione secuta disputatum fuit, an revera talis extractus gauderet immunitate, adeo ut Ecclesiae esset restituendus; et non obstantibus per Fiscum Curiae Secularis deductis in affirmativam descendi, declarando nimirum d. Ludovicum Marzocchum gaudere, Ecclesiaeque esse restituendum.

Non me latet Doctores plures convenire, quod captus extra locum Sacrum, si per ecclesiam, vel caemeterium ligatus per Birruarios ducatur ad carceres, triremes, vel supplicium non aliter gaudeat immunitate ex originaria opinione *Archidiacon. in can. sicut antiquitus* 17. *q.* 4. *Covarr. practicar. quaest. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 3. *Mart. de Jurisdict. par.* 2. *cap.* 51. *post n.* 18. *Boer. decis.* 178. *n.* 13., *et decis.* 110. *n.* 8. *Cutell. de immunit. lib. prim. q.* 25. *n.* 8. *Tusch. t.* 3. *litt. E. concl.* 11. *n.* 28. *Decian. tract. crim. lib.* 6. *c.* 28. *n.* 30. *Gutierez. pract. quaest. lib.* 3. *q.* 6. *n. prim., et seq. Farinacc. q.* 28. *n.* 69. *Guazzin. ad defens. Reor. defens. prim. cap.* 37. *post n.* 43. *vers. nec dicta ampliatio Pax Jordan. lucubrat. vol.* 2. *lib.* 11. *tit.* 3. *n.* 227. *Cartar. decis. Mediol.* 7. *per tot. Sperell. decis.* 104. *n.* 62. *Bonaccin. in prim. praecept. Decalog. t.* 2. *disp.* 3. *q.* 7. *punct.* 4. *prop.* 4. *n.* 21. *fol. mihi* 235. *cum aliis cumulatis per modern. Sabell. in summ. divers. tract. §. Immunitas n.* 12.

Qui omnes moventur ad ita pro exclusione immunitatis resolvendum, vel quia transitus inquisiti non sit liber, cum Ecclesia tueatur qui ad eam libere confugiunt, non qui a Birruariis per viam coactionis ducuntur, vel quia ecclesia prohibet, ac punit extractionem, quae violenter fit, qualis dici non potest transitus voluntarius, vel demum quia captus extra Ecclesiam non constet eo animo intrasse, ut illius immunitate gauderet, quibus addo *Cortiad. decis. Catalon.* 84. *n.* 2. *ubi dictae rationes, aliaeque referuntur.*

Sicuti e converso non desunt etiam multi magni nominis Auctores, qui ex diametro contrarium tenent, nempe talem captum extra locum Sacrum, si per Ecclesiam, aut caemeterium auctoritative ducatur Ecclesiastica immunitate gaudere; vel quia nullo jure cautum sit ad Ecclesiasticam immunitatem consequendam, ut quis veniat ad Ecclesiam liber, vel quia non solum confugiens, sed etiam residens in ecclesia illius immunitate juvetur; vel demum quia confugium semper praesumitur quoties reus reperitur in Ecclesia, cui quaesitum est jus immunitatis, nec potest ipse reus non dicam tacite permittendo se extrahi, neque se extractioni opponendo, sed nec etiam expresse declarando nolle gaudere, ac propterea voluntarie se tradendo in fortiis Curiae Secularis, ullo modo ex tali tacito, seu expresso consensu Ecclesiae praedictae praejudicare, ac respective immunitati renunciare, ratione quia privilegium est concessum Ecclesiae, cui dicitur irrogata injuria, non autem personis *can. sicut antiquitus: can. diffinivit.* 17. *q.* 4. *vers. vel. residentes ibi abstrahere Visch. de immunit. Ec-*

cles. n. 52. *vers. quid si aliquis, et n.* 63. *Marc. Mantua cons.* 60. *n.* 17. *lib.* 1. *Regim. de Connis de Immunit. fallen.* 30. *n.* 52. *vers. quod si aliquis inter tractatus magnos tom.* 13. *Jul. Clar. in prax. Crim. §. sin. quaest.* 30. *n.* 22. *vers. Scias autem ante medium fol. mihi* 94. *Peguer. decis.* 61. *n.* 3. *tom. prim. Bonacoss, comm. opin. Criminal. part. prim. Verbo Immunitas Eccles. Boer. decis.* 110. *post. num. D. Cassaneus ad consuetud. Burgund. rub. prim. §.* 5. *n.* 121. *fol. mihi* 205. *secundum Impress. anni* 1590. *Francofurti Bobadill. in Politic. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 62. *litt. B. Giurb. cons.* 30. *n.* 13. *Navarr. in manuali cap.* 25. *n.* 19. *vers. tertium circa med. fol. mihi* 404. *Pax Jord. lucubrat. divers. lib.* 11. *tit.* 3. *de Imm. Eccles. n.* 259. *fol. mihi* 539. *t.* 2. *Franc. Marc. decis.* 984. *per tot. bon. mem. Fagnan. in cap. inter alia n.* 44. 86. *ad* 91. *de Immun. Ecclesiar. cap. magnus n.* 61. *de obligat. ad ratiocin., et cap. Ecclesia S. Mariae n.* 41. *de constitut., et alii allegati per Peregrin. de Immunit. ca.* 5. *n.* 7. *fol. mihi* 76., *et* 77.

Ego autem his regulis generalibus totaliter non insistendo motus fui ad ut supra declarandum pro immunitate tribus praecipue innixus fundamentis.

Primum est, quod Birruarii non potuerunt transire per Caemeterium ad facilitandam capturam Marzochi extra locum Sacrum existentis; nam hoc modo transeundo dicuntur Ecclesiam insultare, ac invadere, ac contra eam maximam irreverentiam committere ita firmat *D. Michael. de Cortiada decis. Catalon.* 65. *n.* 12. 13. *t.* 2. *fol. mihi* 48. *ubi sic. decisum per Senatum Cataloniae in Causa Xiquot de anno* 1578., *et hanc Sententiam esse omnino sequendam.*

Alterum est, quod secuta carceratione, Birruarii non potuerunt iterum per caemeterium transire cum ipso carcerato, ex eo quia iste transitus non fuit necessarius, et praecisus, sed omnino cervelloticus, et voluntarius, siquidem poterant Birruarii per aliam stantiam, quae habet januam in via publica exire absque quod per locum Sacrum, seu immunem fieret traductio Carcerati cum scandalo, et in contemptum Ecclesiae, ut deponunt testes, et ego ipse vidi praevio accessu ad locum; quo casu omnes DD. contrariae opinionis asseclae conveniunt transitum hujusmodi per Ecclesiam, seu caemeterium, seclusa necessitate esse prohibitum, immunitatem laesam, Ecclesiamque proinde redintegrandam *Peregr. de Immunit. c.* 5. *n.* 8. *vers. vel Carceratus fol. mihi* 77. *Cutell. de immunit. lib. prim. q.* 30. *n.* 2. *Boet. decis.* 100. *n.* 8. *et seq. Germ. in. de Immunit. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 35. *Megal. cons.* 46. *Villagut. de extens. leg. c. final. n.* 40. *Sperel. decis.* 104. *n.* 60.

et seq., et alii relati per Bobadill. in politic. t. prim. lib. 2. *cap.* 14. *n.* 61. *in glos. litt. B., et plenissime Sabell. in Sum. divers. tract. §. Immunitas n.* 12. *fol. mihi* 459, *et* 460.

Indubitanter autem, quando prout hic carceratus peteret confugium in ipso actu transeundi per locum Sacrum, tunc siquidem videntur Birruarii in mala fide positi, adeo ut ex sola assertione extracti de confugio, et captura in loco immuni veniat Ecclesia redintegranda, quamquam Birruarii contrarium asserere conarentur, *ut ex Mantua Decian. Ital., et Farinacc. optime Sperell. dec.* 149. *n.* 17. 27. *et* 28. Birruarii siquidem tanquam personae vilissimae, infames, ribaldae, omniumque vitiorum sentina nullam fidem merentur, et a testimonio repellendi sunt *Cartar. decis. Crim.* 87. *n.* 4. *ad* 9., *et seq.* Nisi etiam dicere velimus, quod cum immunitas haec concessa fuerit locis Sacris, non aliter debeat auferri ex quacumque confugientis taciturnitate *ut ex Ancharan., et Villagut. probat. Pax Jordan. var. lucubrat. t.* 2. *lib.* 11. *tit.* 3. *de Immunit. Eccles. n.* 264.

Vel saltem cum in articulo praesenti, an Birruariis, vel extracto sit credendum, arbitrio, et conscientiae Episcopi gladius Ecclesiasticae jurisdictionis tuendae remittatur, ad congesta per *Alter. de Censur. lib. prim. cap.* 3. *disp.* 34. *fol. mihi* 27. *per tot. Bonaccin. de Censur. t.* 3. *disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 16. *§.* 3. *n.* 15. *vers. Ego vero fol.* 241. Satis mihi constitit, quod quidam Birruarius inimicus extracti hanc totam machinam dolose contexuit; et in hac materia sufficiens est quaelibet extrajudicialis informatio arbitrio Episcopi *Panimoll. decis.* 85. *n.* 9. *Sac. Congreg. Immunit. in Siracusana* 16. *junii* 1626. *in lib. primo decretor. bon. mem. Paulutii Segretarii fol.* 8.; prout e converso ad privationem privilegii immunitatis concludens probatio requirebatur *Portoles. in annot. ad repertor. Michael. Molinos q.* 9. *fol.* 8. *Cassan. de Consuetud. Burgund. rub. prima §.* 5. *in V. Silna grace n.* 56. *in fine fol.* 199., *et* 200. *Eadem Sacra Congregatio in Lauden.* 7. *novembris* 1651. *in lib. decretor. Paulut. fol.* 136., *quas refert P. del Bene in addit. ad tract. de immunit. V. immunitas in principio.*

Tertium fundamentum pro immunitate fuit, quod Birruarii portam, per quam unice perveniri poterat ad locum Sacrum praeoccuparunt, confugium propterea dolose hoc modo impediendo, et Marzocchum adeo angustiando, ut non posset in Ecclesia, et loco immuni se recipere. Hinc propterea ex tali impedimento indubitata redditur ecclesiasticae immunitatis violatio, cum prohibitum sit Birruariis ad facilitandam capturam rei, confugium illius

ad Ecclesiam impedire, seu praeoccupare, argumento sumpto ex juris axiom., quod possessio dicitur actualiter acquisita, si per eum non stet qui debet apprehendere, et impeditur ne illam consequatur *l. cum unus in fin. ff. de bon. auct. Jud. possid. c. Contingit de dol., et contumac. Gratian. discept. for. cap.* 939. *n.* 10. *Posth. de manut. obser.* 21., *et decis.* 175. *post eundem, ut in individuo casus nostri firmat Frances Episcop. Barbastrens. de competent. inter Cur. q.* 79. *n.* 9. *vers. primo igitur gaudet immunitate Ecclesiae impeditus ingredi in eam per Ministros Seculares existentes intra, vel extra prope locum Sacrum fol. mihi* 318., *et plene discusso articulo, relatisque pro, et contra, magistraliter hanc nostram conclusionem exornat, et intrepide tuetur Don Michael de Cortiada in decis. Catalon.* 65. *per tot. t.* 2. *ubi refert sic fuisse decisum per Senatum Regium Cataloniae in casibus particularibus ibi relat. de annis* 1578. 1614. *et* 1618. *fol. mihi* 47., *et seq.*

Ratio autem est, quia privilegium immunitatis extenditur ad portas, et parietes Ecclesiae, ac etiam ad 40. vel saltem 30. passus circumquaque per *Text. in can. sicut antiquitus, et can. quisquis* 17. *q.* 4. *ac notant Hostien. in cap. cum causa. n.* 2. *de Sent. Excom. Jo. Andr. n.* 7. *Abb. in ult. notab. Felin. n.* 2. *et Marian. Soccin. n.* 10. *traditque Turrecremat. in can. cum devotissimam n.* 4. *inique Praeposit. n.* 2. 12. *q.* 2.

Ex quo infertur, quod sicuti non potest praeoccupari Ecclesia a Birruariis, ne ad illam pateat confugientibus aditus; ita nec illius janua, neque spatium 40. vel 30. passuum ex *Can. definivit eadem causa* 17. *q.* 4. *ibi. Sed esse potius his ipsis, qui Ecclesias petunt per omnia licitum in* 30. *passus ab Ecclesiae januis progredi: et ex sanctione Imperatorum Theodosii, et Valentiani in l. pateant C. de his qui ad Eccles. confug. his verbis: Pateant Summi Dei Templa timentibus, nec sola Altaria, et Orationum Templi circumjectum, qui Ecclesiam quadripartito parietum septu concludit, ad tuitionem Confugientium sancimus esse proposita, sed usque ad extremas fores Ecclesiae, quas oratum gestiens populus primas ingreditur, Confugientibus Aram salutis esse praecipimus.* Quomodo autem patere possent Templa, sive Ecclesiae timentibus, si praeoccupantur, et obsidentur earum januae a Birruariis?

Et in terminis resolvit *Sac. Congreg. Immunit. in Lauretana Proponente R. P. D. Bussio* 28. *januarii* 1681., *et prius in celebri Romana Immunitatis Medici Bazzati* 16. *junii* 1675., rescribendo: *gaudere, et restituti;* et nuperrime ita consuluit in casu individuali doctissimus Jacobus Pignatellus reipublicae litterariae optime meritus, prout tot ejus volumina testantur, in ma-

nuscripto mihi ostenso, et penes me existente.

His addebam pro coronide, quod etiam seclusis supradictis duabus distinctionibus, ac fundamentis, loquendo in puris terminis transitus carcerati per Ecclesiam, quod semper, et indistincte sit prohibitus ac immunitas, ex d. transitu dicatur laesa, propterea que redintegranda adsunt resolutiones individuales Sac. Congreg. Episcop. *in Sypontina* 12. *martii* 1613. *in Regesto fol.* 13.. *et in Teanensi* 13. *julii fol.* 78. *ac in Hieracensi eodem die*, *et anno fol.* 79. *quas referunt Lantusca, et Pignatell. ad P. del Bene ad tract. de Immunit. in addit. noviss. V. Immunitas post med. fol. mihi* 40. *juxta* 3. *impress. Lugduni anno* 1674., *et Niccol. lucubrat. jur. lib. prim. Civil. tit.* 8. *de his qui sunt sui*, *etc.*, *et de Imm. Eccles. n.* 25. *fol mihi* 29. *to. prim.*

Et de condemnato ducto ad supplicandum, si transit per Ecclesiam, vel caemeterium licet non confugiat, sed ducatur nihil cogitans de immunitate, quod tamen dum ibi existit declarans velle gaudere, non possit invitus extrahi, et gaudeat immunitate firmat *Fagnan. in Decretal. cap. inter alia n.* 44. 88. 91. *ubi de communi opinione de Imm. Eccles. fol. mihi* 378. *et* 383.

Neque hoc esse novum in Statu Ecclesiastico, et Regno Neapolitano ex praecitatis resolutionibus, sed, et observari in florentissimo, et Christianissimo Galliarum Regno testatur *Cassaneus ad consuetud. Burgundiae rub. prim.* §. 5. *tit. des justices n.* 121. *ubi fidem facit se vidisse observari Pictavii*, *quod cum quidam condemnatus duceretur ad Mortem a Parlamento Parisiensi ad locum ubi delictum commiserat*, *ut ibi poneretur ad supplicium*, *et per quoddam Caemeterium transisset*, *conclusum fuit eum Ecclesiastica Immunitate gaudere fol. mihi* 205. *secundum impress. Anni* 1590. *Francofurti.*

Ac etiam in alma Civitate Venetiarum aliarum Civitatum Regina servatum fuisse testatur de visu *Gig. in tract. de crim. laes. Majest. rub. qualiter*, *et a quibus crim. laes. majest. committatur q.* 10. *n.* 33.

Quinimo, et temporibus Ethnicorum apud Romanos in tanta veneratione inanium Deorum templa habebantur, ut si quis vinctus aedes Flaminis Dialis introisset solvi necessarium erat, et vincula per impluvium in tegulas subduci, atque inde foras in viam demitti sancitum erat, ut testatur *Aulus Gellius noctium Atticar. lib.* 10. *cap.* 15. *cujus verba refert per extensum Gambacurt. de Immun. lib. prim. cap.* 5. *n.* 32. *fol. mihi* 14. *secundum impress. Lugduni Anni* 1622.

Hancque nostram conclusionem veluti piam magisque Ecclesiae favorabilem observandam in

praxi, ac sequendam firmant *P. Facundez. de praecept. Eccles. lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 57. *fol. mihi* 387. *P. del Bene de Immunit. Eccles. par.* 2. *cap.* 16. *dub.* 10. *sect.* 7. *n.* 7. *fol. mihi* 28. *P. Diana in suo oper. Cohordinat. t.* 9. *de Immunit. Eccles. resol.* 105. *per tot.*, *et signanter n.* 4. *fol. mihi* 59. *Peregrin. de immunit. cap.* 5. *n.* 7. *vers. pro resolutione fol. mihi* 77. *Niccol. var. lucubrat. lib. prim. tit.* 8. *de inmun. n.* 25. *vers. non autem fol. mihi* 29. *t. prim.*, *et generaliter bon. mem. Fagnan. in Decretal. cap. inter alia n.* 79. *de Immun. Eccles.*, *et in c. Ecclesiae n. x. eodem.*

Indubitanter autem pro immunitate resolvendum censui, cum in hanc nostram sententiam venire non dubitaverit *P. Gambacurt. alioquin immunitatis Ecclesiarum nimis adversus*, *ut videre est lib.* 4. *cap.* 18. *per tot. sub tit. an sit necesse ut Confuga ad Ecclesiam perveniat liber a potestate*, *et manibus Curiae fol. mihi* 256., *et* 257. *ubi relatis hinc inde opinionibus hanc nostram intrepide tuetur.*

Et quatenus etiam de ea per impossibile esset dubitandum, et non adessent resolutiones supracitatae Sac. Congreg., adhuc in conflictu hinc inde opinionum, partes Judicis sunt semper pro Ecclesia, et immunitate respondere, ut perbelle ex sacris historiis, paginis, et exemplis recensendo carmina, et disticon inter infestissimum Fridericum Barbarossam Imperatorem, et Gregorium nonum Sanctiss. Pontificem, *de quibus etiam Abbas de Burgo ne' viaggi di cinque anni tom p. fol. mihi* 523., firmat *Adden. ad Sanfelic. decis.* 402. *vers. pro coronide usque ad fi. Solorzan. de jur. Indiar. to. p. lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 38. *Sperell. decis.* 60. *n.* 13. *Pignatell. consult.* 42. *n.* 3., *et* 4. *to.* 2. *Farinacc. in Appendic. de Immunit. c.* 8. *n.* 123. *in fine P. del Bene de Immunit. p.* 2. *cap.* 16. *dub.* 37. *n.* 27. *fol. mihi* 110. *Vermigliol. cons.* 93. *n.* 14., *et cons.* 99. *n.* 7., *et pluribus allegatis P. Diana cohordinat. t.* 9. *tract.* 8. *de famil. laic. nunt. Apostol. resol.* 4. *n.* 2. *fol. mihi* 444., *et* 445., *ubi allegat. Sousan. in Bull. Coen*, *c.* 14. *disput.* 176. *n.* 5. *tenentem in diversis opinionibus illam sequendam*, *quae favet Ecclesiae*, *etiam si contraria opinio sit communis; idem Sperell. decis.* 149. *n.* 27., *et* 28. *ubi allegat rationem*, *quod nimirum tutius est reum etiam extra locum sacrum repertum Ecclesiae ob illius venerationem restituere*, *quam e loco sacro ereptum Curiae Saeculari scandalose relinquere.*

Ex quibus reddita causa in claris pro immunitate, insurrexit objectum super Caemeterio, an vere diceretur locus sacer, seu immunis, quod statim evanuit ex tota schola scribentium indistincte firmantium quod sive Caemeterium sive Cathedralis, sive Parochialis, vel contiguum

Ecclesiae, vel distans, semper gaudet Ecclesiastica Immunitate *Del Bene de Immunit. par.* 2. *cap.* 16. *dub.* 9. *sect.* 9. *per tot. Sperell. decis.* 60. *n.* 34. ubi etiam si ab Ecclesia sit remotissimum *Frances Episcop. Barbastrensis de Eccles. Cathedral. c.* 26. *tit. de Caemeter. n.* 243. 251. *fol. mihi* 460. 461. *Sabell. in summ. divers. tract. §. Ecclesia n.* 21. *vers. quod Caemeterium fol. mihi* 9. *tom.* 2. *Germon. de Sacror. Immunit. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 33. *seq.* et omissis infinitis allegare sufficiat *Rubricam integram inter Decretales de immunit. Ecclesiar., Caemeterior., et rer. ad eas pertinen., ubi parificantur Ecclesia, et Caemeterium, super qua Rub. plenissime Fagnan. in cap. Ecclesiae n.* 21., *et cap. Immunitatem n. prim. de Immunit. Ecclesiar. Caemeterior., etc. Mar. Ital. de Immunit. lib. p. c.* 4. *§.* 7. *n.* 15., *ubi quod Ecclesia, et Caemeterium pari passu ambulant.*

Ac propterea stantibus supradictis rationibus declaravi Marzocchum gaudere Immunitate, atque Ecclesiae a qua secuta fuit extractio, restituendum.

Caeterum cum fiscus curiae saecularis ab hac mea declaratione appellationem interposuisset, hinc propterea altera non levis difficultas insurrexit, an appellationi praedictae deferendum esset, et negative respondi cum Apostolis refutatoriis, demandando appellatione non obstante executionem meae sententiae pro Ecclesiae redintegratione, prout factum fuit.

Appellatio siquidem non datur a sententia declarante reum gaudere Ecclesiastica Immunitate *Dian. Cohordinat. to.* 9. *tract. prim. de Immunit. Eccles. resol.* 121. *n.* 2. *Panimoll. decis.* 96. *annot.* 2. *n.* 19. *Et rejecto Gambacurta de Immun. lib.* 6. *cap.* 17. *n.* 2., *et per tot. fol. mihi* 546. *optime Sperell. decis.* 65. *per tot.* ubi nec fisco, nec reo licere appellare *et n.* 7. Episcopum nec etiam debere concedere recursum omnino prohibitum a Sac. Congreg. in causis violatae Immunitatis Ecclesiasticae, addendo hoc totum fuisse approbatum a S. M. Urbano Octavo, qui proinde jussit in emendato codice Gambacurtae opinionem contrariam deleri. *Ciarlin. contr. for. lib.* 2. *cap.* 163. *n.* 42. ubi refert per extensum epistolam Sac. Congreg. Immunit. ad Card. Legat. Bonon. in qua expresse dicitur *appellationem fisco non esse admittendam.* Tum ex Constitutione ipsa Gregoriana, tum ex decretis Sac. Congregat., quae ulterius in *Marianen. sub die* 19. *Maij* 1648. *ita resolvit: Sac. Congregatio censuit non dari appellationem a declaratione Episcopi circa quem gaudere debere Ecclesiastica Immunitate:* de qua quidem resolutione S. C. meminit *Panimoll. decis.* 96. *annot.* 2. *n.* 19.

Adeo ut Metropolitani, imo nec

etiam Em. Cardinales Legati possint se intromittere, et praetendere a sententiis Ordinarii devolutionem in gradu appellationis, nec consequenter procedere in causis immunitatis vigore juris Metropolitici, ac respective facultatum legationis minusque absolutiones impertiri excommunicatis ex causa violatae immunitatis praedictae; aut quoquomodo aliter se integre, ut omissis generalibus, de quibus apud *Fregos. de Republic. Christian. par.* 2. *lib.* 4. *disp.* 10. *de legat. Sedis Apostolic. per tot., et signanter* §. 2. *n.* 31., *et apud Pignatell. Consult. Canon.* 495. *per tot. fol. mihi* 487. ubi litterae circulares S. C. Immunitatis omnibus Archiepiscopis recensentur. In puncto Metropolitani Hydruntini praetendentis admittere appellationem a quadam mea sententia, dum eram Vicarius Generalis Ecclesiae Liciensis pro Eminentissimo et Reverendissimo D. D. meo Cardinali Archiepiscopo Pignatello tunc d. Ecclesiae Liciensis vigilantissimo Pastore, sic resolvit *Sac. Congreg. Immunit. sub die* 5. *Octobris* 1680. ibi: *l' appellazione interposta dal Decreto della Curia Vescovile di Lecce in causa di controversia giurisdizionale, già a V. S. è noto, che non va ammessa contro la mente costante di questa Sac. Congregazione, che li Metropolitani nelle cause di violazione, d' immunità, libertà, e giurisdizione Ecclesiastica carent jurisdictione* et non obstantibus reclamationibus Archiepiscopi sub die 13. Novembris ejusdem anni 1680. eadem Sac. Congreg.: *stetit in decis.* Et in individuo Em. Card. Legat. Ferrar., et Em. Card. Episcop. d. Civitatis resolvit Sac. Congreg. Immunit. approbante Summo Pontifice Urbano Octavo felicis recordationis litteris datis 29. Maii 1632. Card. Legato directis per haec verba: *Hanno in oltre giudicato questi Eminentissimi, etc. che essendo riservata l' assoluzione de' violatori dell' Immunità Ecclesiastica al Papa, non poteva nè anco il Legato, senza speciale facoltà di N. S. dar l' assoluzione alli Rei incorsi nelle Censure per questa Causa, e che essi non potevano esercitare l' Ufficio senza ricever prima l' assoluzione da chi aveva facoltà da questa Santa Sede di darla. Che in oltre li Ministri di V. E. non potevano rimovere li Cedoloni affissi, nè fare altri atti contro li Ministri della Curia Vescovile.*

Itemque successivis litteris sub 5. Junii 1632. ibi) *Quelli che estrassero il Contessa dovranno ricevere l' assoluzione nella stessa Chiesa Parrocchiale con la consueta Solennità prescritta dal Ceremoniale; quelli che hanno ammossi li Cedoloni, ed hanno cooperato dovranno esser assoluti nella Cattedrale, con questo, che antecedentemente loro medesimi riattacchino nel medesimo luogo li Cedoloni.*

Et demum in aliis litteris sub 9.

Junii 1632. ibi *Il fratello del Barigello si debba fra quindici giorni presentare in Roma sotto pena della galera, e che parimente il luogotenente civile debba venire a Roma, ed in tanto astenersi dall' Ufficio.*

De quibus quidem litteris de mandato Sanctissimi emanatis meminit *Eruditissimus Abbas Michael Justinianus amicus meus bonae memoriae in addit. ad Novar. in Summ. Bullar. tit. de Immunit. Eccles. fol. mihi* 10.

Ad remedia prudentialia mihi tandem pro bono pacis insinuata, ut nimirum posset secreto, et simpliciter reus relaxari, et pristinae libertati restitui, sicque clausis oculis uterque Judex concorditer suum intentum consequeretur, absque eo quod formalitas restitutionis Ecclesiae appareret, atque ad censuras esset procedendum, vel ulteriori appellationi deferendum.

Respondi non fuisse amplius in mea potestate post publicatam controversiam, ac injuriam illatam Ecclesiae dissimulare, censurasque contra contumaces inobedientes, ac turbantes retardare sub poena depositionis, qua subjacent, et mulctantur tali casu Ordinarii immunitatem ecclesiasticam gladio censurarum non defendentes, seu defendere dissimulantes, ut bene advertit *Genuen. in prax. Curiae Archiepal. c.* 6. *in fine ubi add. n.º* 9., *et cap.* 7. *n.* 4. *secundum impress. Romae anni* 1613. *P. Thesaur. de poen. Ecclesiast. par.* 2. *c.* 10. *verbo Jurisdict. Laic. abutentes n.* 2., ubi quod etiam Ordinarius incurrit *in Canon. si quis suadente* 17. *q.* 4. *Em. de Luc. in Theatr. Verit., et Justitiae to.* 14. *divers. Ecclesiast. disc.* 2. *Miscellan. Eccles. n.* 9. *vers. mordicus igitur Robert. Mazzucc. in Specul. Episcop. par.* 4. *n.* 57. *ad* 59. *fol. mihi* 158. *seq.*, *et relatis Sperell. Cortiada, ac Cartar. optime Quesada controvers. for. cap.* 28. *n.* 31., *et passim per Text. in c. Clericus vers. Nonnulli Ecclesiar. Praelati de Immunit. Eccles. in* 6.

Et haec cursim dicta sint in gratiam plurium amicorum desiderantium aliqualiter gustare de rationibus, quibus motus fueram ad, ut supra, declarandum pro immunitate: Salvo semper, etc.

Ita est ALEXANDER FIDELIS Vic. Apostolicus.

SAC. CONGREG. IMMUNIT.

ECCLESIAST. R. P. D. DE ASTE

Aquapenden. obsidionis Ecclesiae, atque extractionis.

PRO

PROMOTORE FISCALI CURIAE EPISCOPAL. AQUIPENDII

CONTRA

PRAETOREM CANINI, ET ALIOS.

Eminentissime et Reverendissime Domine.

Quidam de Puppis Florentinus sub 13. Martii 1691. ad Terram Canini perventus eo sub praetextu, quod sibi in via publica antecedenti die fuissent ablata scuta sex circiter, institit coram D. Praetore d. loci pro carceratione cujusdam juvenis suppositi rei praefati delicti. Qui quidem Praetor absque aliqua apparentia, seu probabilitate criminis de exceptis, et absque Fisci instantia; ut audivit solius partis clamores, statim una cum bajulo, et ipso accusatore personaliter se contulit ad locum, ubi praetensus latro permanebat, ad finem illum carceribus mancipandi. A quo tamen caute perspecta turba versus eum irruente, audiensque quod Florentinus alta voce, et signate dicebat *Ecco là quello che mi ha rubato li miei quattrini*, process. *fol.* 7. prudenter ab illum insequentibus declinando, fugam arripuit, atque in Ecclesiam Sancti Antonii Abbatis loco confugii se recepit: process. *fol.* 7. 14., *et seqq.*

Praetor autem ex tali causa, atque inani captura excandescens, ad Ecclesiam praedictam S. Antonii propere se transtulit, propriis manibus januam illius ve-

cte ferrea clausit; process. *fol.* 12. 13. 21. 23. Jussit bajulo ut seram adderet ad effectum securius claudendi portam ipsam, quod, et factum est: process. *fol.* 12. *at.* 18. 21. 23. *a tergo.* Turmae item militum ibidem in promptu existenti injunxit, ut Ecclesiam alternatim per quam diligenter custodirent, ne exinde, reus effugere posset process. *fol.* 21. 27. 24. 31. 35. Ac successive iisdem militibus baculum quoddam tradendo, imperiose mandavit „ *State bene in cervello, che d. ladro non esca, se cavasse fuori la mano per le buscie, che sono nella porta per aprire il catenaccio, con questo bastone rompetegli le braccia process. fol.* 21.. *a t.* 31.

Die autem sequenti 14. Martii idem Praetor malum malis addendo, studensque opus, ad sui sensum, tam gloriosum, omnino perficere, ac terminare, Archipresbytero de Laurenzinis tunc Vicario foraneo de istis materiis immunitatis penitus jejuno, persuasit, ac instillavit, ad eum spectare concedere licentiam extrahendi reos ab Ecclesia, adeoque illum coegit, instigavitque process. *fol.* 3. *a tergo*, ut induxerit ad consensum praestandum extractioni praedicti juvenis, quae facta fuit in praesentia dictorum Vicarii Foranei, ac Praetoris a birruariis Curiae Laicalis Status Valentani cum transportatione ad carceres dictae Curiae, process. *fol.* 22. 25. 26. 29.

Haec autem omnia ita auctoritative, palam, et strepitose per Praetorem gesta sunt, ut toti populo scandalo fuerint, dum temporibus nostris in ipso Statu Ecclesiastico, et fere circumcirca maenia urbis, visa est Ecclesia more castrorum die, nocteque a militibus custodita, illiusque porta ferreis instrumentis ad monitum Juvenalis Satir. 6. *adde seram, cohibe:* auctoritate laicali undique clausa, circumdata ac obserrata, adeo ut miserrimus confuga his violentiis perterritus, et de sacrorum templorum immunitate quasi diffidens, militibus dixerit „ *Dunque qui non si sta sicuro nè meno in Chiesa?* process. *fol.* 24. *a tergo.*

Curia itaque episcopalis Aquapendentis compilato super his processu, omnibusque plene verificatis citationem relaxavit contra omnes, nempe Vicarium Foraneum, Praetorem, bajulum, et birruarios ad personaliter comparendum infra terminum trium dierum, servatis spatiis pro canonica monitione, et dicendum causam quare non deberent declarari incidisse in excommunicationem contentam in sacris Canonibus, Conciliis generalibus, Summorumque Pontificum constitutionibus: process. *fol.* 37. Quae citatio exequuta fuit personaliter, et praecise contra Praetorem, et bajulum sub die Veneris trigesima Martii: process. *fol.* 38. *a tergo.*

Vicarius Foraneus, et birruarii

statim comparuerunt, et primus allegavit, se credidisse habere auctoritatem extrahendi, dum Praetor hoc ei pro certo affirmavit, ostendendo doctrinam Farinacii, (quam tamen in meis Codicibus non adinvenio) cum qua a Praetore fuit deceptus, et respective inductus ad consentiendum process. *fol.* 3. *a tergo*, ac propterea veniam petendo mandatisque Ecclesiae se submittendo, recto tramite Romam petiit ad effectum ut posset suae conscientiae consulere. process. *fol.* 40.

Birruarii item allegaverunt, se extractionem fecisse de mandato, et cum assistentia Vicarii Foranei judicis Ecclesiastici, quem, si potuisset hoc agere, nec ne, ipsi non aliter consideraverunt; supplicabant propterea pro venia, offerendo, mandatis Ecclesiae se exactissime obtemperaturos. process. *fol.* 39. *a tergo, et* 40.

Bajulus non comparuit.

Minusque Praetor, qui tantum abest quod, detestando factum comparere, atque Ecclesiae obedientiam exhibere, ad aliorum instar, se disposuerit, ut imo in actu praesentationis Monitorii pervicaci animo exclamaverit „ *Se non l' avessi fatto, lo farei di bel nuovo.* process. *fol.* 39., *et* 54.

Contra itaque comparentes, et causas, ut supra, allegantes excusationis, ac respective humiliationis, suspensae fuerunt declaratoriae, et dictum quod consulant conscientiae suae *ad Tex. in c. porro* 7. *de sent. excommunic. cum adductis per Pignatell. consult. canon.* 92. *n.* 13. 14. *to.* 4. *fol. mihi* 273. Prout redintegrata Ecclesia cum restitutione extracti, process. *fol.* 46. 47. exhibuerunt brevia Sac. Poenitentiariae pro absolutione cum reincidentia usque ad primam sacram congregationem immunitatis creato Summo Pontifice, et ad tenorem Brevium absoluti sunt: process. *fol* 47. *a tergo* 46. 61. 62.

Contra autem Praetorem, et bajulum protervos contumaces, servando modum, quo sancta Mater Ecclesia consuevit renitentes ad viam salutis reducere, ut per Rotam *dec.* 2099. *a num.* 1., *et* 4. *coram. bon. mem. Coccino fol. mihi* 164. *to.* 4. optime comprobatum ex variis philosophorum, et sanctorum Patrum placitis per eruditissimum, et nunquam satis laudatum Archiepiscopum Labiam Episcopum Adriae in suo moderno opere, cui titulus est „ *Imprese Pastorali p.* 2. *discors.* 57. *fere per tot. argument. Che il Vescovo allor solamente, che provocato viene dalla contumace protervia de' rei deve contro d' essi fulminar le Scomuniche fol. mihi* 638. *cum pluribus seqq.* Emanavit declaratoria incursus censurarum sub tertia Aprilis, quae fuit dies cadentis citationis, process. *fol.* 40. *a tergo, et* 41. Ac successive expediti fuerunt cedulones affixi in locis

solitis sub die 4. ejusdem: proces. *fol.* 41. *a tergo* 42.

Verum Praetor nullatenus resipiscendo, seu beneficium ex medicinali censura retrahendo, quod ei placuit, dixit adversus censuras ipsas. Publice conversatus est, exercendo officium Praetoris, ac si non esset denunciatus, process. *fol.* 43. 44. Et praecise sub die 5. occasione praecepti facti cuidam Carolo Justino in publica via, minando cum baculo dixit „ *Ti farò vedere se uno Scommunicato saprà fare la giustizia*: process. *fol.* 56. 57. Cedulones in publica platea affixos, in multorum praesentia die 7. Aprilis hora vigesima propriis manibus defixit, ac amovit, process. *fol.* 42. 43. 44. Et subsequenti die 8. in qua cadebat Dominica Palmarum, ingressus Ecclesiam Sanctae Crucis, ibi fuit praesens Missae celebratae per Sacerdotem Ceccardinum process. *fol.* 50. 51., et postea discessit a Terra Canini, Romam versus, ut ferebatur. Ex qua quidem Missae assistentia, et communicatione cum publico excommunicato denunciato, in magna confusione existente populo Canini, ob opiniones disseminatas pro, et contra per varios praetensos Theologos dicti loci, ac insuper Sacerdote supradicto, aliisque qui ex post in Ecclesia ipsa sacrum fecerunt, existimantibus, se aliqua censura, seu irregularitate irretitos, opus fuit, attenta maxime imminenti solemnitate Paschali, conscientias cum declarationibus datis, ad *Text. in cap. is qui in Ecclesia, de sentent. excomm. in* 6., et dispositione Concilii Constantiensis, de quo Fagnan. *in c. Sacris de his, quae vi, metusve causa n.* 43. *fol. mihi* 592. quieti pristinae restituere, process. *fol.* 44. *a tergo*, *et* 45.

Hinc sequendo sensum sacri Collegii, et sac. Consultae per organum Illustriss. D. Spinolae Secretarii ex litteris missivis: process. *fol.* 48. *a tergo*, placuit Curiae Episcopali devenire servatis servandis, et cum assistentia D. Vic. Generalis ad novam extractionem praetensi rei, qui dicitur vocari Joseph de Orestis de Suriano, process. *fol.* 49. Illumque ad carceres Illustri. Gubernatoris Viterbii transmittere, ubi ad praesens reperitur nomine Ecclesiae, process. *fol.* 50. Quam quidem novam extractionem approbavit, ac laudavit Sacra Consulta ex litteris praefati Illustriss, D. Secretarii: process. *fol.* 50., *et a tergo*.

Interim autem redeunte Caninum, Praetore cum litteris Sacrae Poenitentiariae, ut vocant, *in forma missi absoluti ad Ordinarium*. Tantum abest quod mandatis ejusdem sacri Tribunalis parere voluerit, quae fuerunt de comparendo personaliter Aquipendii, et Curiae Episcopali se humiliando, *sum. in calce num. unico*, et testari poterit Em. D. meus Card. Major Poe-

nitentiarius; ut imo statim Ecclesiam Collegiatam Canini fuerit ingressus, tempore quo ibidem Missae celebrabantur, et quando monitus fuit a Sacrista pro parte Sacerdotum de Angelis, et Brunelli, qui actualiter Sacrum faciebant, ut exiret ab Ecclesia respondit ,, *Dilli che esca lui*; *non voglio uscire, vedi il bastone? process. fol.* 58. 59. 60. Adeo ut propterea necesse fuerit dicto Canonico de Angelis, hanc temeritatem patientissime tollerando, Missam relinquere, de altari discedere, ad sacristiam redire, sacrisque indumentis se expoliare process. *fol.* 58., *et seqq.*

Quae omnia perventa ad notitiam Sacri Collegii, adhuc Sancta Sede vacante, placuit Eminentissimis, et Reverendissimis DD. meis, ex causa correctionis dicti Praetoris, illum Gubernio privare successoremque in Officio substituere. Cum autem hodie transportato processu ad instantiam dicti olim Praetoris, disputari contingat ,, *An Censurae substineantur*. Affirmative respondendum credimus.

Validitas namque declaratoriae patet ex quo emanavit praevia citatione personali exequuta sub 30. Martii cum termino trium dierum, quorum primus pro prima fuit 31. Martii; secundus pro secunda fuit prima Aprilis, et tertius pro tertia canonica monitione fuit 2. Aprilis; quibus elapsis, incusatisque contumaciis, die immediate sequenti tertia Aprilis, et nemine itidem comparente, Curia Episcopalis processit ad declaratoriam censurarum: process. *fol.* 37. 38., *et* 41.

Neque inficiari potest validitas per *Extravagantem cum Matthaeus*, ut mihi supponitur, Canini divulgatam, et forsan in hac propositione reiterandam, *c.* 3. *de haereticis*, Quasi quod processum fuerit inconsulta Sede Apostolica contra illius officialem; siquidem Extravagans praedicta Joannis Papae 22 procedit in officialibus Provinciarium per Breve, ibi ,, *Inquisitor Siciliae in dilectum filium Capellanum nostrum Campaniae, Maritimaeque Rectorem excommunicationis sententiam inconsultis Nobis duxerit proferendam.* Non autem, prout hic, in Praetoribus, et judicibus pedaneis terrarum, et locorum particularium, qui habent simplices litteras Patentes Sacrae Consultae, ut post *Sperell. decis. for. Eccles.* 160. *n.* 52. 53. *Pignatell. consult.* 4. *num.* 7. *to.* 5. resolvit haec Sacra Congregatio in *Tolentina* 16. *Julii* 1669., et est principium absolutum etiam in Tribunali Sac. Consultae, ut testatur *idem Sperell. ubi supra num.* 53. *fol. mihi* 410. *to.* 2.

Minusque contra validitatem allegari valet, quod processus non fuerit legitimatus, testesque absque partis citatione recepti. Nam respondetur, quod in causis violatae immunitatis ob pe-

riculum animarum non proceditur servatis servandis, et maxime contra non comparentes; in horum siquidem odium tamquam temere litigantium, et contumaciter sese gerentium adversus censuras, fides adhibetur scripturis, et testium depositionibus etiam informibus, minusque authenticis, et extrajudicialibus; nam alias nunquam, vel raro possent a Curia Ecclesiastica haberi probationes, ut in specie ratiocinantur *Pignatell. consult. canon.* 168. *n.* 32. 170. *n.* 3. *to.* 1. *fol.* 348. 350. *et Panimoll. decis.* 85. *num.* 8. *to.* 2. *fol. mihi* 280. a quibus allegatur sic fuisse decisum ab hac Sacra Congregatione in illa celebri *Neapolitana contra Judicem Califanum* 26. *Martii* 1629. *Et Panimol. num.* 9. *loco citato, allegat. Breve Clem. VIII. emanatum usque, et de anno* 1597, *quo statuitur in quaestione immunitatis sufficere informationem summariam simplicem, et extrajudicialem pro sola Episcopi conscientia. Sperell. decis.* 48. *a nu.* 50. *cum plurib. seqq. to.* 1. *fol. mihi* 217. *Rot. decis.* 247. *num.* 6. *p.* 15. *rec.* Et generaliter de consuetudine in Curiis Ecclesiasticis contra contumaces post Clarum, Farinaccium, et alios firmat *Carthar. decis. crim. for. Archiep. mediol.* 62. *an.* 14. 17. *fol.* 332., *et decis.* 79. *n.* 7. 8. 9. *fol. mihi* 422.

Quo vero ad justitiam censurarum tot sunt motiva, quibus illae innixae sunt, ut illorum copia inopes nos faciat, ac propterea absque eo quod mentes Eminentiss. Dominorum meorum aliis gravioribus negotiis praeoccupatae, inutiliter torqueantur, decrevimus solummodo ad quatuor capita magis solida, et substantialia nos restringere, quando alterum tantum ex illis de per se abundaret pro subsistentia declaratoriae.

Primo itaque Praetor immunitatem laesit, quando propriis manibus, et auctoritative januam Ecclesiae clausit cum vecte ferrea, ac sera ibi „ *Il Podestà subito che quel ladro fuggì in Chiesa gli fu dietro, e quando quello fu dentro la Chiesa, esso serrò la Chiesa a catenaccio di ferro che ha di fuori, e racchiuse dentro la Chiesa detto ladro, e poi lo fece serrare a chiave dal Balio;* process. *fol.* 21. et ibi „ *Il Podestà serrò la Chiesa a catenaccio, e poi chiamò lo spedaliere per la chiave, ed il Balio la prese, e serrò a chiave la porta della Chiesa, che d. Podestà aveva incatenacciato;* process. *fol.* 23. *art.* et ibi „ *Viddi che il nostro Podestà serrava la porta della Chiesa di S. Antonio a catenaccio, dopo arrivò il Balio, al quale disse d. Podestà va dallo Spedaliere, e fatti dare la chiave della porta di questa Chiesa, come subito d. Balio venne da me, ed io glie la diedi, e subito serrò a chiave la porta di d. Chiesa* process.

fol. 12. *a tergo.* Ita propterea coercendo, et vexando confugam cum tam maxima irreverentia loco Sacro, ut libertas exeundi ei omnino interdiceretur contra Concilium Toletanum. 12. *sub. Agathone Papa cap.* 10. *fol. mihi* 380. *to.* 3. *repetitum in c. definivit* 17. *qu.* 4. ubi cavetur ne reis aliqua vis, aut nocibilitas, aut damnum inferatur, quin ab Ecclesiis, et earum januis exire possint; *Bellett. disquisit. Clerical. p.* 1. *de favor. Clericor. real. §.* 4. *num.* 49. *fol. mihi* 251. ubi quod Judex Ecclesiasticus debet procedere Censuris contra Judicem Secularem, non solum si conaretur reum vi ab Ecclesia abducere, sed etiam si obsideret Ecclesiam, aut aliquo modo confugam vexaret *Vermigliol. cons.* 102. *n.* 7., *et* 8. *fol.* 170. ubi immunitatem Ecclesiasticam violari, ac sacrilegium committi non solum extrahendo, sed etiam insultum Ecclesiae, vel confugae faciendo ratione irreverentiae loci, *Dian. cohordinat. to*.9. *de Immunit. tract.* 1. *resol.* 101. *n.* 3. *fol.* 56. ubi quod non licet in Ecclesia per brachium apprehendere reum ne fugiat, *resol.* 116. *n.* 11. *fol.* 68. ubi reprobata quacumque consuetudine, quod nec licet compedibus alligare confugientes, *Pignatell. consult. can.* 126. *a n.* 1. *fol.* 229. *to.* 1. ubi quod nec compedibus, nec manicis ferreis licet in Ecclesia arrestare reum, vel alium quocumque modo vexare. *Panimoll. decis. for. Eccl.* 95. *adnot.* 1. *n.* 2. *fol.* 380. ubi quod nec consentiente reo *Del bene de Immunit. cap.* 16. *dub.* 2. *a n.* 1. *fol.* 349. *p.* 2. *Ciarlin. controv. for. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 1. *fol. mihi* 61. ubi quod nec licet cuiquam tanquam privato, seu tanquam Judici ex Ecclesia, vel loco sacro extrahere, vel arrestare aliquem ad illam confugientem, ratione addita *nu.* 16. quia Ecclesia est de territorio, et jurisdictione Judicis Ecclesiastici, propter quod Judex Secularis nullam potest in ea exercere jurisdictionem, nec voluntariam, nec contentiosam.

Cumque in Concilio Toletano supra relato quaelibet vis, aut nocibilitas confugae prohibeatur, quin ab Ecclesiae januis egredi non possit, atque in constitutione Gregoriana *cum alias nonnulli* 1591. *inter ejus impressas la* 7. non solum extractio ab Ecclesia, sed etiam captura, et carceratio in ipsa erronea declaretur; certum est quod taliter ligando reum confugam, vel manicis ferreis, vel compedibus, vel per brachium tenendo ne fugiat, et prout in casu nostro, claudendo januam, ut dicitur a *catenaccio, e chiave*, aliquid nocibilitatis, aut violentiae reo infertur, quod idem reputari debet, ac ipsum confugam restringere, et impedire, ne remaneat in ea libertate, in qua reperiebatur quan-

do ad Ecclesiam confugit, et in qua privilegio immunitatis Ecclesiasticae conservari debet, ut libere, et ad sui libitum possit exire, ac recedere; quod si aliter diceremus, dispositio Concilii, et ejusdem constitutionis Gregorianae redderetur fere cassa, et elusoria, ut ratiocinatur idem *Pignatell. citatae consultat:* 126. *num.* 2. *to.* 1. *fol. mihi* 229. Immunitas namque aeque violatur invitum extrahendo ab Ecclesia, prout, et impediendo, ne inde fruatur exeundi libertate *Vermigliol. cons.* 103. *n.* 11. *fol.* 172. Quae quidem libertas dicitur vere ablata existenti in Ecclesia per impetum, ac violentiam factam cum clausura januae ipsius Ecclesiae, adeo ut sacrilegium per talem impetuosam violentiam comittatur, ut ex Constitutione *Beati Pii V. incipiendum primum Kal. Aprilis* 1566. firmat *Ventrigl. Episcopus Casertan. in prax. Eccl. to.* 2. *adnot.* 22. *tit. de prohib. fieri in Eccl.* §. *unico fol.* 323. *nu.* 10. pluribusque relatis optime *Surd. de aliment. tit.* 1. *qu.* 73. *n.* 2. *fol.* 6. *a tergo, et tit.* 9. *quaest.* 17. *per tot. fol. mihi* 313. ubi quod donec delinquens est in Ecclesia non venit restringendus, neque ei impediendus exitus liber, ut evadere possit, nam alias diceretur districtus, et carceratus.

Et generaliter per prius sanxerunt Imperatores Theodosius, et Valentinianus *in l. pateant C. de his, qui ad Eccl. confug.* his verbis „ *Pateant Summi Dei Templa timentibus, nec sola altaria, et orationum templi circumjectum, qui Ecclesiam quadripartito parietum septu concludit, ad tuitionem confugentium sancimus esse proposita, sed usque ad extremas fores Ecclesiae, quas oratum gestiens populus primas ingreditur confugientibus aram salutis esse praecipimus.* Quomodo autem patere possent templa confugientibus, si eorum januae obsidentur, et clauduntur cum instrumentis ferreis per Judices saeculares?

Secundo laesit immunitatem Ecclesiasticam Praetor apponendo custodias, et obsidendo Ecclesiam ad finem ne reus fugere, aut exire posset *fol.* 18. ibi „ *Il Podestà pose le guardie, acciocchè quello che era serrato in Chiesa non scappasse, e fuggisse via, e dette guardie vi stettero tutta la sera, la notte, ed il giorno seguente* Et *fol.* 21. ibi „ *E successivamente detto Podestà ordinò a me, che avevo la spada, ed archibugio come soldato che io facessi lì la guardia alla Chiesa, che non uscisse il d. ladro, e ci facemmo la guardia fino alla sera, et fol.* 24. ibi „ *il giorno vi stettero a far la guardia Giuseppe Polidori, e Carlo di Paolo Emilio, e la notte voleva d. Podestà, che fosse guardato da dodici persone, ma non ve ne stettero che sei, uno de' quali fui io, e la notte tutti sei noi armati d' archibugio, e spada stassimo in guardia sino alla*

mattina, che la notte non dormissimo mai. La mattina poi a giorno vi venne la muta: Et latius alii testes processu *fol.* 28. 31. 35.

Ex qua quidem appositione custodiarum Praetor evitare non potuit censuras constitutionis Gregorianae, ut intrepide pluribus relatis firmat Pignatell. *dicta consult.* 126. *a num.* 4. *to.* 1. ubi refert resolutiones hujus Sac. Congregationis in illa celebri Neapolitana de San Felice, in qua non obstante gravitate delicti, nec etiam fuit permissum, ut nomine Curiae Ecclesiasticae custodiae apponerentur, *fol. mihi* 230. Pluresque aliae resolutiones pariter hujus Sacrae Congregationis habentur apud *P. del Bene in suis additionibus novissimis ad tract. de Immunitat. verb. Custodia refugiatorum fol. mihi* 80., *et verb. extractio a loco immuni versic. Extrahentes fol.* 112., *et apud mox citatum Pignatell. to.* 2. *consult.* 37. *num* 31. *fol. mihi* 108., *et apud Dian. cohordinat. to.* 9. *de Immunit. in fine tract.* 14. ubi admonetur lector, quod ab his puris fontibus sacrarum Congregationum sumenda est aqua in hujusmodi causis immunitatis, non ex turbidis recentiorum lacunis *fol. mihi* 486.

Doctores autem, qui et quot ex adverso allegari possent firmando licere Judici laico apponere custodias, loquuntur, et intelligendi sunt de custodiis extra Ecclesias, et servatis spatiis in loco profano, adhuc ut reo ab Ecclesia, voluntate sua, exeunte, possit in eodem loco profano, et sic in proprio territorio Judicis saecularis carcerari; tunc siquidem non obsidetur Ecclesia, sed observatur locus profanus; Ita *Peregrin. de Immunit. cap.* 13. *n.* 10. *fol.* 170. *Ciarlin. contr. for. cap.* 154. *n.* 27. *lib.* 2. *fol.* 142. *Basseus resol. moral. verbo Immunitas num.* 13. *to.* 1. *fol.* 399. *Bonacin. de Censur. to.* 3. *disp.* 2. *qu.* 3. *punct.* 16. *§.* 3. *nu.* 2. *vers. negandum fol. mihi* 239. *Del bene de Immunit. cap.* 16. *dub.* 27. *num.* 4. *fol. mihi* 349. *ubi plures.*

Non autem procedunt in custodiis apponendis a judicibus saecularibus circumcirca Ecclesias, ne in ea commorantes fugere, aut exire possint, prout in casu nostro, et deponunt custodes ipsi ibi „ *Il Podestà pose le guardie, acciocchè quello ch' era serrato in Chiesa non scappasse, e fuggisse via.* Et ibi „ *Il Podestà ordinò a me che facessi la guardia lì alla Chiesa, che non uscisse il d. ladro.* Et ibi „ *Prima di notte il medesimo Podestà ci portò un bastone bruzzuloso di prugnolo, e ci disse state bene in cervello che questo ladro non eschi, e se cavasse fuora la mano per le buscie per aprire il catenaccio, e voi con questo bastone rompetegli le braccia.* Et ibi „ *Il d. Podestà ci portò un bastone sbrozzuloso di*

prugnolo con dirci che facessimo la guardia a quel ladro ch' era fuggito in Chiesa, e che con quel bastone se d. ladro avesse cavato fuori le braccia per aprire la porta della Chiesa, noi con quel bastone gli avessimo spezzate le braccia, e noi per ubbidire stassimo con gli archibugi, spade, e bastone, acciò non uscisse d. ladro. Et latius process. *fol.* 18. 21., *et a tergo, et* 31.

Iste enim modus custodiendi, et obsidendi Ecclesias, et quidem cum praecepto tam gravi, ne dicam iniquo, frangendi nimirum brachia, quatenus reus exire vellet, est species plusquam incarcerationis omnino prohibitae in Ecclesia *Zaccar. Pasqualig. decis.* 485. *n.* 4. *fol. mihi* 427. *Ciarlin. controv. forens. lib.* 2. *cap.* 154. *n.* 32. *fol. mihi* 143. *Surd. de alim. d. tit.* 9. *q.* 17. *n.* 15. ubi notabiliter firmat: sunt verba precisa „ *quod cum existens in Ecclesia ex causa custodiarum recedere non possit, dicitur detentus, et carceratus, imo major vis hoc modo fit Ecclesiae, quam extrahendo, quia extractionis actus est momentaneus, illa autem custodia est actus successivus, et continuus, qua ratione dicimus, quod carcer infert continuum gravamen, et nulli dubium est quin actus successivus plus gravet, quam momentaneus. Rursus dum Judex mandat delinquentem in Ecclesia custodiri, abutitur Ecclesia loco carceris, ita ut ei dici possit fecistis eam speluncam latronum, ut in Evangelio.* Hactenus *Surdus loc. cit. fol. mihi* 313.

Tertium caput laesionis Immunitatis consistit in eo, quod Praetor nescio an odio, vel amore induxit Archipresbyterum Vicarium foraneum ad praestandum assensum extractioni, illum instigando, et consulendo, etiam praevia ostensione librorum, quod facultatem habebat extrahendi. Quibus persuasionibus tandem victus idem Archipresbyter consensit extractioni faciendae, ut ipse testatur: *Stetti da due ore irresoluto, ma perchè questo Podestà mi fece in Palazzo vedere una Dottrina del Farinaccio che si poteva fare tale estrazione anche da me, come Vicario Foraneo, mi persuase, instigò, e mi consigliò che facessi quest' estrazione,* Process. *fol.* 3. *a tergo, et* 4. Et comprobat Baroncellus Valentani, ibi: *Anzi essendo renitente il Vicario Foraneo di dare la licenza. Il Podestà disse che la poteva dare, e gli fece vedere un certo libro, e però d. Vicario Foraneo condiscese,* et latius Process. *fol.* 61.

Et tamen nulli dubium est, quod hujusmodi doctrina, undique reputatur erronea, nam Bulla Gregoriana est litteralis, et tantum Episcopis dat facultatem in casibus, etc. extrahendi, ibi: *Ad quos solos, et non alios Episcopos inferiores.* Et ibi: *Tuncque de mandato Episcopi, etc.* Et latius videre est ex ipsa Bulla Gregorii Decimiquarti inter ejus impressas *la* 7., quae per

extensum registratur apud Gambacurt. *fol.* 28. apud Ambrosin. *fol.* 1. apud Basseum *fol.* 405. *tom.* 2., et alibi.

Solumque difficultas inter Doctores est an Vicarius Generalis comprehendatur in d. Bulla, et opiniones hinc inde refert *Peregrin. de Immunit. cap.* 3. *a num.* 18. *fol. mihi* 33. Super quibus hodie insistere non est casus noster.

De Vicariis autem Foraneis nullus Doctor, quem viderim, ausus est nec ponere articulum in quaestione; isti siquidem dicuntur Vicarii abusive, et nunquam Papa eis aliquid committere dicitur, nisi expresse declaretur, ut probatur ex *Concilio Viennensi registrato in Clementina* 2. *ubi gloss. de rescript.* Habent siquidem jurisdictionem delegatam, et facultates limitatas, de quibus *Pellegrin. de Vic. For. par.* 1. *sect.* 7. *subsect. unica post num.* 31. *fol. mihi* 110. *ubi per extensum registratur formula litterarum Patentium.*

Quodque in fortioribus nec etiam Vicariis Capitularibus competat aliquod jus procedendi ex dicta Bulla Gregoriana firmant *Mar. Ital. de Immunit. lib.* 1. *cap.* 6. *§. primo num.* 43. 44. *fol.* 309. *Barbos. de jur. Ecclesiast. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 157. *fol.* 40. *Marchett. de Vicar. Capitular. par.* 2. *tit.* 13. *num.* 23. *cum plur. seqq. fol.* 64. 65. Et optime *Ciarlin. controv. for. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 34. 35. ubi testatur quod acriter correcti sunt Archipresbyter S. Justini, et Archipresbyter S. Martini Regii, eo quia ausi sunt concedere licentias extrahendi reos ab Ecclesiis *fol. mihi* 64.

Ex cujus quidem falsae doctrinae instillatione, consilio praestito, et inductione Vicarii Foranei ad consentiendum extractioni, Praetor damnabiliter incurrit in Censuras, laesitque Ecclesiasticam Immunitatem, ut habetur ex *Concilio Londinensi anni* 1268. *sub Clemente IV. Pontif. Max. can.* 13. *relat. per Cabassut. in notit. Ecclesiast. Concilior. num.* 5. ibi: Statuimus, ut siquis aliquem ad Ecclesiam, vel caemeterium, aut claustrum confugientem inde abstraxerit, aut factam sub nomine, vel a familiaribus suis asportationem ratam habuerit, *aut abstrahentibus praebuerit publice, vel occulte auxilium, consilium, vel consensum*, ipso facto sit excommunicationis vinculo innodatus, a quo nullatenus absolvatur, nisi prius Ecclesiae cui tantam injuriam fecit, et damnum passo satisfaciat competenter *fol. mihi* 462.

Et resolvit haec Sacra Congregatio *in Ferrarien.* 2. *Junii* 1632. ibi. — E' stato risoluto che V. E. ha potuto validamente denunciare scomunicati mediante l' affissione de' Cedoloni etc. E quanto alla facoltà d' assolvere i suddetti, e quelli che amossero i Cedoloni, *o vi cooperarono nella loro amozione*, *ed anco gli Officiali maggiori che*

hanno prestato complicità nelle cose suddette, ed altre in occasione di questa Causa, la maggior parte ha risoluto che questa facoltà si debba delegare a V. E. etc. eccettuato però il luogotenente Bottini etc.

Et in *Cajacen.* 4. *Aprilis* 1676. ex litteris datis tenoris: Gio. Battista, ed altri trovandosi incorsi in censure *per avere autoritativamente indotto il Vicario Generale d' Aliffe a dar loro la licenza d' estrarre*, come fecero di Chiesa un inquisito di omicidio, col supposto ora a questa Sac. Congregazione d' essere stato scarcerato il suddetto estratto, ha umilmente supplicato d' essere assoluto, *assieme con gli altri in qualunque modo complici.* Verificandosi la reintegrazione, etc. in tal caso la somma clemenza di Nostro Signore condiscenderà che V. S. assolva, etc. comunicandole la facoltà, etc.

Quarto demum Praetor iste laesit immunitatem Ecclesiaticam assistendo extractioni factae, ibi *Viddi che li sbirri di Valentano lo cavarono di Chiesa, e lo cercarono ben bene, e quando lo cercavano lì nel murello della Chiesa vi era presente il Podestà, il Balio: ed anco l' Arciprete*, Process. *fol.* 25. Et ibi: *Io non so chi abbia ordinato si pigliasse in Chiesa, so bene che vi erano lì presenti il Podestà, l' Arciprete, e il Barigello*, Process. *fol.* 26. et ibi: *Io non so chi ordinasse la cattura di detto ladro lì in Chiesa che vi era infinità di gente quando seguì, e vi erano anco lì avanti la Chiesa il Podestà, l' Arciprete, e il Barigello*, Process. *fol.* 29.

Unde propterea ex hac assistentia, juncto etiam consensu praestito extractioni, pro qua insuper instetit, ac consuluit, ut supra ostendi, nulli dubium est, quod Praetor sit reus violationis Immunitatis Ecclesiasticae.

Ut de solo consensu extractioni *Sacra Congregatio in Cotronen.* 24. *Aprilis* 1674. *ex litteris datis Romae Patri Procuratori Generali Capucinorum*, ibi „ Succedendo che il Padre Fra' Grisostomo Guardiano di Cotrone sia colpevole dell' estrazione fatta da' Ministri secolari, etc. vien però egli a rimanere illaqueato delle Censure dichiaratesi da quel Vescovo contro gli estrattori, *e Consenzienti alla suddetta estrazione;* per la quale essendo stato precettato a presentarsi alla Santa Sede per ravvedersi con la più rispettosa rassegnazione della sua colpa come sopra, ed avendo così ubbidito, se n' è mossa la pietà di questi Eminentissimi miei Signori ad impetrargli dalla somma Clemenza di Nostro Signore l' assoluzione, e che questa possa darsegli nella solita forma della Chiesa da V. P., alla quale se ne comunica la facoltà, etc.

Et de sola assistentia extractioni Eadem Sacra Congregatio Im-

munitatis *in Cachacen* 19. *Octobris* 1669. ibi: Per parte di Gio. Pietro Parisi è stato presentato a questa Sagra Congregazione l' incluso Memoriale con due fedi giustificanti la reintegrazione della Chiesa nella causa delle censure pubblicate contro di esso dalla Corte Vescovile di V. S. *per aver assistito a due perquisizioni fatte ne' due Conventi ec.* Intorno a che V. S. informerà, e quando non abbia cosa in contrario potrà assolvere l' Oratore nella solita forma della Chiesa, con imporle una penitenza salutare.

Et de adjuvantibus extractionem, quod incurrant excommunicationem, et poenas laedentium Immunitatem Ecclesiasticam ultra supra relatum *Concilium Londinense Canon.* 13. *defendit Castropalao oper. mor. par.* 2. *tract.* 11. *disp. de Immunit. punct.* 12. *fol. mihi* 112. *num.* 4.

Firmata ex supradictis justitia, et validitate Censurarum ex tot tantisque motivis, quando unicum super abundaret teste *Pignatel. consult.* 169. *num.*7. *tom.* 1. *fol. mihi* 345. Et quando in fortioribus etiam solus actus attentatus fuisset sufficiens, licet effectu non sequuto, nam haec Censura incurritur ex solo conatu, et tentata extractione per actum proximum, et exteriorem, ut ex pluribus de utroque jure Imperiali, et Pontificio optime firmat *Panimoll. decis. for. Eccles.* 48. *num.* 18. 19. *fol.* 56. 57. *to.* 2. *Ventriglia Episcopus Casertan. in prax. Eccles. annot.* 23. *§. primo. num.* 77. *tit.* [*de Immunit. fol.* 351. *par.* 2. *Dian. Coordinat. tom.* 9. *de Immunit. resol.* 4. *n.* 2. *versus finem fol.* 5. *Niccol. var. lucubrat. lib.* 1. *tit.* 8. *de Immunit. Eccles. num.* 38. *versic. quae poenae fol.* 35. *tom.* 1. *Bonacin. de Censur. tom.* 3. *disput.* 2. *quaest.* 3. *punct.* 16. *§.* 14. *num.* 4. *versic. Secunda Sententia, ubi de communi fol.* 258. *a tergo*, et resolvit haec sacra Congregatio in Perusina 4. Aprilis 1671. de qua *Pignatell. to.* 2. *consultat.* 37. *num.* 40. *fol. mihi* 109.

Non obstat allegata intentio Praetoris ut ipse dicit, undique directa, et tendens ad bonum finem, et ad consulendum quieti publicae cum extirpatione grassatorum, et publicorum latronum. Quicquid enim sit de artificiose publicata exadverso multitudinem hominum malorum, et de subsistentia speciosae intentionis illos extirpandi, nobis quidem incognitae, nam solus Deus est scrutator cordium, dicimus censuras non evitari, etiamsi ad bonum finem contra Immunitatem procedatur *Bonacin. de Censur. in particular. disput.* 2. *quaest.* 3. *punct.* 16. *§.* 14. *num.* 2. *vers. ex dictis, et vers. hoc verum fol.* 257. *tom.* 3. *Ciarlin. controvers. for. lib.* 2. *cap.* 162. *num.* 8. 9. *fol.* 179. *Farinacc. de Immunit. in Appendic. cap.* 20. *num.* 325. *fol. mihi* 52.

Quatenus autem ultra bonum finem, praetenderetur etiam bona fides in istis actibus contra Immunitatem Ecclesiasticam gestis, idem esset ac propriam allegare turpitudinem; nam bona fides supponit ignorantiam Constitutionum Apostolicarum, quae non admittitur in judicibus, et ministris laicis ad effugiendum censuras, ut in specie relato *Farinacc. ubi supra num.* 326. *respondet Possent. singular. mixt. Centur.* 4. *singular.* 386. *per totum fol. mihi* 300. *Lauret. de Franch. controvers. inter Episcop., et Regular. quaest.* 29. *num.* 1. *fol.* 484. Et quidquid sit in foro conscientiae, indubitanter in foro exteriori defendit *Bonacin. de Censur. to.* 3. *disp.* 2. *quaest.* 3. *punct.* 16. *§.* 15. *num.* 1. *vers. dixi in foro conscientiae fol. mihi* 259.

Neque ad evitandum incursum censurarum allegare sufficeret, quod Baroncellus, ut Process. *fol.* 3. declaravit se retinere extractum nomine Curiae Ecclesiasticae, adeo ut non sit de quo nos conqueramur. Omisso enim quod hoc non refragatur teste *Niccol. Lucubrat. jur. lib.* 1. *tit.* 8. *de Immunit. ante n.* 38. *vers. nec sufficit fol. mihi* 35. *to.* 1. Ulterius respondetur, quod cum extractio emanaverit contra, vel praeter dispositionem Bullae Gregorianae, ac in consequens ipso facto extrahentes inciderint in censuras, ut disertis verbis disponitur in eadem bulla, ibi ,, *Si quis praeter, vel contra hujus nostrae constitutionis tenorem attentare praesumpserit, declaramus eum ipso facto poenas, et censuras incurrere.* Nullatenus propterea fuit in arbitrio nec Judicis Secularis declarare, nec Judicis Ecclesiastici consentire, aut pati, ut reus detineatur in carceribus laicalibus nomine Ecclesiae, sed requiritur licentia expressa Sacrae Congregationis, ut eadem Sacra Congregatio resolvit *in Squillacen.* 19. *Julii* 1667. *de qua Pignatell. consult. Canonic.* 37. *num.* 42. *tom.* 2. *fol. mihi* 109.

Fugatis itaque singulis objectionibus, quae excogitari potuerunt exadverso ad enervandas censuras, firmum sane, certumque remanet, quod ultra novem excommunicationes latae sententiae in diversis locis per Sacros Canones inflictas contra violatores Immunitatis Ecclesiasticae, quas recenset *Ventriglia loco supra citato num.* 74. *fol.* 351. *part.* 2. Hujusmodi etiam violatores dicuntur sacrilegi, tenentur ad damna, et faciunt actum nullum, et tyrannicum, prout pluribus probat *Ciarlin. controvers. forens. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 37. *fol. mihi* 64.

Praetor autem noster loco se corrigendi, a tot, tantisque vinculis Ecclesiasticis se expurgandi, propriaeque animae consulendi, Ecclesiae nimirum obedientiam reddendo, censuras-

que ipsas religiose (ut decet bonos Christifideles) timendo, observando, et patienter tolerando; adversus eas infremuit; illas contempsit, ac indurato corde in animosa violatione Ecclesiasticae Immunitatis perseveravit. In actu siquidem praesentationis Monitorii ad dicendum causam quare declarari non deberet incidisse in excommunicationem inflictam in Sacris Canonibus, Summorumque Pontificum Constitutionibus alta voce dixit, *Se non l' avessi fatto, lo farei di bel nuovo.* Relaxatis Cedolonibus publice conversatus est, et exercendo Officium, quasi Censuras deridendo, dixit cuidam „ *Ti farò vedere se uno Scomunicato sappia fare la giustizia.* Cedulones in publica Platea affixos publice amovit. Ecclesias ingressus est ibi Missas audiendo, et quando monitus fuit de discessu ab eisdem, ne Divina Officia perturbarentur, minatus est Sacristae „ *Non voglio uscire, vedi il Bastone?* Alia insuper commisisse mihi constat cum scandalo, et non mediocri Ecclesiasticae Jurisdictionis vilipendio; quae tamen verificari in processu consulto praetermissum fuit, sed pie ex tot tantisque aliis supponenda sunt.

Quae quidem omnia cum fuerint, et sint pessimi exempli in hac Ecclesia Aquapendentis, quae habet Dioecesim sparsam in Statu Ecclesiastico, et in Dominiis Principum Saecularium, indigent propterea exemplari reparatione, cum ad sensum Moralis *lib.* 1. *de Clement. cap.* 8. Animadversiones Magnarum Potestatum esse debent *paucorum periculo, omnium metu;* quod Episcopo Censuras fulminanti adaptari voluit *Raban. ad cap.* 13. *Hieremiae* ibi: *Eiicit unum de Ecclesia, ut multos servet incolumes.* Quae omnia recensendo, et optime illustrando in terminis Censurarum contra protervos, et contumaces per Episcopos promulgandarum firmat supracitatus Archiepiscopus Labia *nell' imprese Pastorali d. part.* 2. *discurs.* 57. *vers. per il riscontro de' Sacri Testi fol. mihi* 640. Et saepius practicavit haec Sacra Congregatio, signanter.

In Ferrarien. 2. Junii 1632. ibi: *Quanto a quelli, che hanno amossi i Cedoloni, e nell' amozione di quelli hanno cooperato, hanno giudicato questi Eminentissimi miei Signori, che debbano essere assoluti nella medesima Chiesa Cattedrale, e per tor via l' esempio dell' amozione, hanno ordinato, che avanti di ricevere l' assoluzione debbano loro medesimi riattaccare i Cedoloni, quali si lascino stare così almeno per un giorno.*

In Neapolitana de ordine Sanctissimi 23. Februarii 1677. ibi: *Eminentissimo Archiepiscopo Neapolitano detur facultas absolvendi, postquam Eminentiae suae constiterit, quod qui absolutionem obtinere volunt, prius se ha-*

buerint pro Excommunicatis, observando Censuras, et abstinendo ab ingressu Ecclesiarum, et a publicorum Officiorum exercitio, et deinde in scriptis humiliter supplicent pro absolutione, et elargiri debeant aliquam eleemosinam applicandam ad beneficium Ecclesiae Sancti Severi, a cujus Conventu facta fuit extractio.

Et in Fanen. Censurarum 12. Julii 1689. ibi: *Aboletis omnibus actis, moneantur acriter Ministri laici de contemptu censurarum.*

Adeo enim viget reverentia debita Ecclesiis, ut inde arceantur excommunicati, et si (ut in casu nostro) moniti exire recusent, gravissime peccant, et novo Excommunicationis vinculo detinebuntur, donec ab ipso Papa absolutionis beneficium meruerint reportare, ut ex concilio Viennensi firmatur individualiter *in Clementina gravis versus finem de Sent. Excommunicat.* ibi: *Nec non Excommunicatos publice, qui in ipsis Ecclesiis nominatim a Celebrantibus, ut exeant, moniti, remanere praesumpserint, excommunicationis sententia, a qua per Sedem Apostolicam dumtaxat possint absolvi, Sacro approbante Concilio, innodamus.* Et idem statuitur in Actibus Mediolanen. sub Sancto Carolo Boromeo *part.* 1. *Concil. Provinc. v. tit. de Episcop. et Episcopali Jurisdictione, vers., et vero fol. mihi* 282. *Corius in promptuar. Episcopor. verb. Excommunicatio num.* 11. *fol. mihi* 133. *Episcop. Ventrigl. in prax. Eccles. annot.* 32. *tit. de prohib. fier. in Eccles.* §. *unico num.* 4. *fol.* 327. *tom.* 2. *Gavant. in Manual. Episcop. verb. Excommunicatio num.* 41. *fol. mihi* 87.

Duplici namque ratione sancita est Excommunicatorum exclusio ab Ecclesia. Altera propter ipsius censurati utilitatem, ut nempe citius resipiscat, et spiritus ejus salvus fiat. Altera ut magis censura ipsa formidetur, et non ita faciliter contemnatur; palam siquidem fit, quod excommunicatio quamquam nervus Ecclesiasticae disciplinae, si contemnitur, parit in Populo potius perniciem, quam salutem, ut ex Concilio Tridentino *sess.* 25. *c.* 3. *de reformatione pluribus exornat bo. me. Fagnan. in cap. responso num.* 9. 10. *de Senten. Excommunic. fol. mihi* 187.

Et distinguendo de contemptu censurarum negativo, quod sapit insordescentiam, et de positivo (prout hic) quod committitur cum aliquo actu irreverentiae, et injuriae, vel verbis, vel facto, *ut accumulando culpam culpae, intrando Ecclesiam, cum Catholicis communicando, Cedolones lacerando, seu deturpando, Missas audiendo, verbis vilipendiando Censuras ipsas, et proferendo (Che Scomunica, che Scomunica; Anco li Scomunicati mangiano , et similia ;* Quot tales Excommunicati, et positive contemptores Clavium, sint de haeresi vehementer su-

specti ex *Caren. de Offic. Inquisit. part. 2. tit.* 17. *§.* 2. *num.* 8. *fol. mihi* 221. optime tuetur, et qua si ad rem nostram scripsisse dignoscitur *Francisc. de Magistri in sua Sylva Ecclesiastica lib.* 2. *cap.* 21. *de poen. insordescent. et Censur. contemnent. num.* 17. *usque ad finem fol. mihi* 704. ubi testatur quod quidam laicus propter Censurarum contemptum de anno 1609. de ordine Curiae Episcopalis Montis Marani fuit fustigatus; quod idem affirmat Genuen. *in prax. Cur. Archiep. Neapol. cap.* 7. *de Excomm. punien. ante Annum num.* 6., *et in annotationibus ibidem num.* 8. Et est doctrina originalis Geminian. *in cap. Dilecto n.* 8. *de Sentent. Excommunicat.*

Addo pro coronide, quod Doctores ita abhorrent a contemptu Censurarum nunquam tolerando in Ecclesia Dei, ut quatenus in illarum fulminatione aliqua intercesserit dubietas, pro validitate nihilominus, et justitia firmant esse pronunciandum, si enim contemnitur, Censura alioquin injusta, vel nulla ligare incipit *Federic. de Sen. cons.* 11., *et* 74. *Roman. cons.* 369. *num.* 11. *Belarmin. in declarationib. Concilii Tridentini sess.* 25. *cap.* 3. *de reformat. in observat. Doctrinal. fol. mihi* 509. Semperque ante oculos habere deberent Censuris innodati aurea verba Divi Joannis Chrysostomi *hom.* 4. *relata in can. nemo* 11. *quaest.* 3. ibi — *Nemo contemnat vincula Ecclesiastica, quia non est homo qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit fol. mihi* 874.

Et haec dicta sint pro ostendenda validitate, et justitia incursus Censurarum per Curiam Episcopalem declaratarum, in cujus sane facultate non erat tot Ecclesiae adversa dissimulare, prout forsan desiderabatur contra monitum *Text. in cap. Clericis vers. nonnulli Ecclesiarum Praelati de Immunit. Eccles. in* 6. *Robert. Mazzuc. in specul. Episcopor. part.* 4. *num.* 57. 58. 59. *fol.* 158. *seqq. Quesad. contr. for. cap.* 28. *num.* 31. *Andr. de Saussay in Panoplia Clerical. par.* 1. *lib.* 7. *de dispositionib. positivis vers. axioma juris fol. mihi* 343. *et* 344.

Sed solummodo cordi fuit, prout etiam valde est de praesenti, Censuram rigoris peccatoribus exhibendo, tollere exemplum tam perniciosum in hac Dioecesi, ac viceversa lapsis, et curandis misericordiam auxiliumque nullatenus denegando, nostrum Praetorem, dum tempus habemus, ad meliorem frugem reducere cum debita cognitione, et detestatione praejudiciorum Immunitati Ecclesiasticae illatorum, ut ex ipsis Verbis Divi Cypriani admonet Episcopos quidam *Anonymus in suo libro impresso Leodii Anno* 1678. *cui titulus est — De antiquis, et majoribus Episco-*

porum Causis ad confutationem errorum Davidii cap. 1. *loc.* 2. *num.* 4. *fol. mihi* 9. *et* 10.

Et utinam ex corde imitaretur exemplum memorabile Bonifacii Africae Ducis, qui teste Divo Augustino, ejusdem Ducis dudum in amicitiis conjuncto *Epistol.* 6., et 7. cum ira, et furore percitus Sceleratum quemdam ex templo ulturus extraxisset, propter quod divus Augustinus, nulla habita amicitiae ratione, illi sacra interdixit, agnitum errorem confessus, veniam animo submisso petivit, eoque, quem abstraxerat, Ecclesiae restituto, culpam lacrymis, et poenitentia expiavit, scripsitque Augustino in haec verba — *Agnosco culpam, indignae meae lacrymae jungantur tuis fletibus justis, quo possit haec nota nigra, inscripta titione, deleri. Ecclesiae introitus mihi non denegetur, illic spero veniam ubi admisi culpam*, et latius ex Cardinali Baronio refert Scannarol. Episcopus Sidonyorum *in suo tractatu de Visitation. Carcerator. lib.* 3. *cap.* 9. *de nullit. capturae respectu loci Sacri fol. mihi* 570. *num* 10.

Alias valde dubitandum, quin eundem Praetorem inutiliter poeniteat de temporis jactura, et de tot scandalis ac novitatibus contra immunitatem Ecclesiasticam practicatis: prout poenituisse quemdam Ministrum Magni Principis prae nimio dolore exclamantem, et de aeterna salute in extremis quasi desperantem propter opiniones immunitati Ecclesiasticae adversantes faciliter disseminatas, et lubenti animo amplexatas testatur de visu bo. mem. Episcop. *Sperell. decis. for. Eccles.* 48. *num.* 8. *fol. mihi* 197. *tom.* 1. Novitates siquidem semper fuerunt Reipublicae perniciosae, et prae viribus arcendae, immunitatesque ordini Ecclesiastico, ipsisque Ecclesiis per Sacros Canones, et Summorum Pontificum Constitutiones, imo per ipsos Imperatores concessas omnino expedit non abrogari; Cuicumque etenim convenientiae, sive legali, sive politicae repugnat, quod ea, quae diu certam interpraetationem, et diuturnum rerum statum cum felici Populorum gubernio habuerunt, mutationibus perniciosis, ac novitatibus scandala praeseferentibus subvertantur, ut pluribus Sacrae Scripturae, et DD. auctoritatibus exornat Doctissimus Praelatus Sacripantes Sanctissimi Domini Nostri Papae Subdatarius in suo libello, cui titulus est — *Defensio Jurisdictionis Ecclesiasticae c.* 14. *a num.* 17. *usque ad finem, fol. mihi* 174. 175.

Quare etc.

SUMMARIUM.

Eminentissime Domine.

Franciscus Boccolarius Potestas Canini Dioecesis Aquipendii tanquam violator Immunitatis Ecclesiasticae fuit declaratus excommunicatus ex eo, quod extrahere fecit Reum Grassatorem viarum cum licentia Vicarii foranei etc. Supplicat concedi sibi absolutionem cum propterea ad Urbem personaliter accesserit.

Ad unum ex Poenitentiariis S. Petri cum facultate absolvendi Oratorem ad reincidentiam usque ad primam Congregationem immunitatis Ecclesiasticae faciendam creato Summo Pontifice, cum poenitentia salutari, et obligatione parendi; et expediatur Breve seu fiat Epistola *in forma missi absoluti ad ipsum Ordinarium.*

J. Emerix Sacrae Poenitentiariae Regens.

Foris — All' Illustriss. e Reverendiss. Monsignor Fedeli Vescovo d' Acquapendente.

Intus — *Illustriss. e Reverendiss. Signore.*

Con avere la Sagra Penitenzieria assoluto il Podestà di Canino, non ha avuta alcuna intenzione di esentarlo di usare a lei quegli atti riverenziali che si devono a' Superiori, come nella lettera scrittale da Monsignor Reggente consta. Mi prendo bensì io la confidenza di motivarlo, che non aveva Ella da ricevere essa lettera per mano d' altri, che di detto Podestà, il quale era tenuto di rendergliela in persona etc. Et omissis etc. Dal Conclave 12 Giugno 1691.

Affezionatissimo etc.

L. Cardinal Colloredo.

Die 2. Octobris 1691.

Proposita Causa utraque parte informante fuit rescriptum, ut infra.

Censuras substineri, et detur Episcopo facultas absolvendi in forma ordinaria, et D. Sec. cum D. Sec. Sacrae Consultae juxta mentem. Mens est, non expedire, quod Boccolarius provideatur de Officio, et quat. etc. nunquam in Provincia Patrimonii.

Die 15. Martii 1693.

Comparuit in Civitate Aquapenden. idem Boccolarius, et fuit absolutus in forma privata ex gratia Episcopi etc.

ÆSINA CLERICATUS

ET CENSURARUM.

Expedita diebus 21. et 23. Octobris 1697.

Ex processu constat die Jovis decima currentis mensis October in Platea Publica hujus Civitatis a Baroncello, et Birruariis Curiae Secularis fuisse arrestatum, et captum D. Julium Josephum Cimmaronum Dioecesis Senogallien. hic Æsii degentem, qui in actu capturae dixit, replicavitque per tres, aut quatuor vices — *Io son Chierico, e mostrò una Carta d' un foglio, che vidi, che a piedi vi era un Sigillo coll' ostia rossa, e disse questa è la mia Dimissoria, e detto Chierico la tenne sempre aperta in mano, sino che lo condussero dentro le Carceri.*

Ac successive hoc idem replicavit in itinere dum ad Carceres per eosdem Birruarios auctoritative, et per vim traducebatur, Testes vocando, protestando, imo exclamando — *Siate per Testimonii che ho la mia Dimissoria, e non vogliono menarmela buona, e lo diceva forte, che lo potevan sentir tutti, come sentii io.*

Birruariosque adhuc in eum irruentes, et in eorum posse illum caute tenentes, atque respondentes — *o Chierico, o non Chierico bada a venir prigione*: effective ad Carceres ipsos Laicales duxisse, eisque fuisse mancipatum.

Cum autem iste Clericus non esset meus Dioecesanus, mihique propterea ignotus, illum non repetii nisi postquam per litteras missivas Illustrissimi, et Reverendissimi D. mei Dandini Episcopi Senogalliensis sui Ordinarii certioratus fueram ut infra — *La benignità di V. S. Illustrissima, e il suo zelo per l' Immunità Ecclesiastica mi danno motivo d' implorare le sue grazie a pro del Chierico Signor Giulio Giuseppe Cimaroni dal Monte Santo Vito Terra della mia Diocesi, il quale si ritrova costì carcerato nella Curia Secolare, e per quanto intendo avendo voluto mostrare la Dimissoria, li Sbirri non la vollero menar buona, e detta Dimissoria mi vien ora referito ritrovarsi in mano di Monsig. Governatore. Supplico per tanto V. S. Illustrissima della sua protezione in caso che Monsig. Governatore non avesse fatto rilasciare il medesimo Chierico conforme alla let-*

tera, ch' io gli scrissi jeri subito che ebbi notizia di questa cattura, volendo io per altro sperare che il medesimo Monsig. Ruota, qual è Prelato dotato di dottrina, e di pietà, a quest' ora l' abbia fatto scarcerare, conoscendo non spettare al suo Tribunale la cognizione de Chierici. Rinnovo a V. S. Illustrissima la mia divozione sempre ambiziosa de' suoi comandi, e le bacio riverentemente le mani.

Devmo, ed Obbmo Ser. vero
Muzio Vescovo di Senigaglia.

Verum quia Curia Secularis consignationem fecit Tribunali Ecclesiastico cum solita protestatione.

Hinc dubitari contingit: An Clericus hic gaudeat privilegio Fori, et Canonis; et an deveniendum sit ad Declaratoriam Censurarum contra Birruarios, aliosque Detentores, et notitiam habentes de Clericatu, dum prae manibus, et in eorum posse litteras Testimoniales, quas Dimissorias vocant, habuerunt, vel habuisse praesumuntur ex perquisitione facta Carcerato, et tamen diutius, et per quinque dies Clericum ipsum Carceratum detinuerunt, neque aliter, ut statim tenebantur, Curiae Ecclesiasticae remiserunt.

Ego autem ob adversam valetudinem Domini mei Vicarii Generalis, in hanc arenam descendendo, Cogor patefacere Illustrissimo, et Reverendissimo Domino meo Gubernatori rationes, quibus moveor ad declarandum Clericum hunc gaudere privilegio Fori, et Canonis, ac in consequens Birruarios damnabiliter incidisse in Censuras in iisdem Sacris Canonibus, atque Constitutionibus Apostolicis inflictas.

Posito namque pro indubitato, et incontrovertibili principio, quod Cimmaronus sit Clericus Caelebs, quod innegabile videtur, nam constat tum ex litteris Testimonialibus proprii Ordinarii Birruariis ostensis, et penes ipsum Carceratum repertis, ex quibus solis Testimonialibus, quae faciunt Clericum notorium etiam in habitu laicali repertum, tenebatur Curia Secularis statim remittere, etiam Episcopo non repetente sub poena peccati mortalis, optime Sperell. decis. for. Ecclesiast. 132. n. 48., *et seqq. fol. mihi* 229., *et decis.* 133. *n.* 78. *vers. caeterum fol.* 242. Francis. Episc. Barbastren. de competen. inter Curias *quaest.* 43. *n.* 4., *et* 19. *fol. mihi* 170. Tum ex litteris missivis, et familiaribus proprii Episc. Senogallien. mihi directis, et supra registratis.

Emergit clare, quod sive cum requisitis, sive non, potueram Ego ex officio illum repetere, et a Curia seculari vindicare in puncto Sperell. *decis.* 17. *n.* 33. *fol.* 86. *et decis.* 132. *n.* 84. *fol. mihi* 242. ubi per extensum registratur famigeratum decretum Sacrae Congregationis Concilii in causa Leodien.

hanc nostram sententiam comprobans a S. M. Urbano Octavo expresse confirmatum, quod etiam habetur penes Panimoll. *decis.* 6. *adnot.* 6. *n.* 46. 47. *d.* 14. *n.* 15., *et decis.* 36. *n.* 28. penes Card. de Luca *tom.* 3. *de Jurisdiction. disc.* 55. *n.* 10. *fol.* 226., et sequitur Rota *decis.* 425. *n.* 6. *part.* 14. *recentior. fol. mihi* 606.

Etiam Clerico invito, Grat. discept. foren. *cap.* 190. *n.* 1. *ad* 4. *fol. mihi* 380. Panim. *d. d.* 6. *annot.* 6. *n.* 51. *dec.* 14. *n.* 15. *fol.* 294. Frances ubi supra *n.* 7., *et passim.*

Cum erratum Clerici non praejudicet Ecclesiae, quae non erravit; adeo ut possit ipsa semper quando vult repetere Clericum suum, et uti propria Jurisdictione ad eum retinendum, et conservandum Subditum, ut praeter allegatos innuit Bonacin. oper. moral. *tom.* 3. *de Censur. in Bulla Coenae disput. prima quaest.* 16. *punct.* 6. *n.* 14. *fol. mihi* 111.

Indubitanter autem constito quod Clericus semper hic incessit in habitu, nempe cum veste nigra breviori usque ad genua, cum qua etiam fuit carceratus ut testes deponunt ibi — *Il detto Cimmaroni viddi che aveva una veste negra fino al ginocchio,* et alter — *Il detto Cimmaroni quando fu carcerato andava con un Giustacore negro.*

Super cujus vestis sufficientia non est ita scrupulose insistendum, cum arbitrio Ordinarii, inspecta loci consuetudine, hoc relinquatur, Sperell. *allegata decis.* 17. *sub n.* 44., et adest expressa dispositio Sacri Concilii Tridentini *sess.* 14. *cap.* 6. *de reform.* ubi Barbos. *fol. mihi* 116. Bonacin. loc. cit. n. 29. 30. *fol. mihi* 113.

Prout nec etiam curandum est, an Clericus semper incesserit in habitu Clericali; vel per aliquod tempus dimiserit, quando perseverantia in dimissione non sit talis, ut ex ea publice existimetur pro laico; vel spreta monitione ac praefixione termini ei facta ad incedendum, aut reasumendum, adhuc in inobedientia perseveraverit, Bonacin. ubi supra *n.* 26. *fol.* 112. late, et bene Antonell, de regim. Eccl. *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 1. *vers. observant DD. fol. mihi* 233. ubi quod Clericus solitus deferre Vestes Clericales non amittat fori privilegium si absque eis capiatur; de qua consuetudine Cimmaroni incedendi in habitu Clericali adsunt Depositiones quinque Testium in processu exhibitae.

Quo vero ad Tonsuram, pariter dici posset habere hoc requisitum, dum undique, et mirabiliter noster Clericus tonsus est. Licet autem ex coma ficta *vulgo Perucchino*, cum quo dicitur repertus, aliquod dubium exoriri videatur (nisi forte ex causa mihi supposita malae valetudinis cerebri, quo casu Doctores allegati a Barbosa in Collect. Concil. *ad sess.* 14. *c.* 6.

de reform. n. 10. excusent a Tonsura Capillorum) Ex ipsius tamen Perucchae notoria tollerantia in urbe, et sub oculis Supremi Principis, et quidem etiam in Sacerdotibus; edocemur propterea Nos inferiores super hoc defectum, quamquam undique, et nunquam sufficienter declamato, non ita rigide inquirendum esse, saltem non sequuta monitione ex generaliter adductis per Antonell. *ubi supra lib.* 4. *c.* 2. *n.* 2., *et* 3. *fol. mihi* 233.

Officium Publicani quod dicitur exerceri a Clerico ad finem illum privandi privilegiis Clericalibus, quicquid sit stricte de Publicanis, qui dicuntur Conductores, seu Appaltatores Gabellarum ac Vectigalium ad Portas Civitatis, seu ad Telonium sedentes de quibus post Livium *lib.* 5. *secundi Belli Punici post initium est Text. in l. quantae audaciae* 12. *ff. de Publican., et Vectigal.* Cohell. ad Bull. Boni regim. *cap.* 31. *n.* 72. *fol. mihi* 215.

Certum est supradicta non applicari casui nostro, nam Clericus est adjutor D. Capitanei sui Patris in Officio Thesaurariae, seu Camerariatus Civitatis; quod Officium consistit in exactione Introituum ipsiusmet Camerae, et Civitatis Æsinae, diciturque Nobile, et inter Agentes connumeratur a Cohellio ad Bullam Boni regim. *cap.* 16. *n.* 24, *fol. mihi* 91. Et cum Medicis, Secretario, aliisque Officialibus Communitatis habet Camerarius locum in Banco Magistratus, cum eo in Ecclesiasticis functionibus intervenit, imo etiam praesentibus Episcopo, et Gubernatore cum aliis supradictis Officialibus in ipsa Cathedrali a Ministris Celebrantis salutatur, et thurificatur. Quae omnia praeseferunt decorem, et praestantiam, et nullatenus allegatam Officii abjectionem, et iniquitatem.

Minoris ponderis est objectio, quae fit nostro Clerico de Notariatu. Siquidem hoc Officium non aliter est incompatibile cum Clericatu, ut in fortioribus late firmat Rota *d. d.* 253. *n.* 8. *usque ad finem fol. mihi* 442. *part.* 19. *rec.* ubi de Gubernatore Principis Secularis habentis merum, et mixtum imperium cum potestate Gladii, et sequitur Panimoll. *allegata decis.* 6. *adnot.* 6. *n.* 80. 81. *fol. mihi* 160. Et de Notario creato per Papam, sive ejus Delegatum Apostolicum late firmat Bellett. disq. Clerical. *parte* 1. *de Disciplin. Clerical.* §. 29. *n.* 9. *fol. mihi* 126.

Et ad omne pejus quatenus etiam concedere velimus, quod haec Officia Laicalia sint incompatibilia cum Clericatu; ad finem tamen denudandi ex hoc capite Clericum ipsum privilegiis Clericalibus, semper verum est, quod praecedere debet trina monitio, ut in fortioribus de Clerico se immiscente saevis Bellet. *ubi supra part.* 1. *de fa-*

vore Cler. person. §. 7. *n.* 3. *fol.* 196. Antonell. de Regimin. *lib.* 4. *c.* 2. *n.* 2. *fol. mihi* 234.

Quo vero ad declaratoriam incursus Censurarum contra Birruarios temere carcerantes Clericum, talem se protestantem, testes vocantem, et Dimissoriam prae manibus habentem, ostendentem, et exclamantem per plures vices -- *siate per Testimonii, che ho la Dimissoria, e non vogliono menarmela buona* plana res est ex supradictis.

Neque eis suffragari potest allegata bona fides, aut ignorantia. Utrumque enim excluditur ex evidentia facti; nempe ex veste cum qua inventus fuit Clericus, et ex litteris testimonialibus vulgo, Dimissoriis, exhibitis in actu capturae. Quibus visis, statim debuissent Clericum dimittere ex allegatis, quibus addo Pignatel. consult. canon. 170. *n.* 2. *tom.* 1. *fol. mihi* 350. ubi in puncto protestationis factae per Carceratum.

Si autem eum duxissent ad suum Superiorem Ecclesiasticum, vel ad omne pejus, retento Clerico in aliqua Domo, vel Apotheca, consuluissent Superiorem ipsum cum ostensione litterarum testimonialium, quicquid sit quoad Censuras, certum est tamen, quod potuissent Birruarii poenis temporalibus acriter affici, ex quo non statim relaxando Clericum, istas affectatas diligentias practicaverint, ut optime in terminis Officialium Sanctissimae Inquisitionis non habentibus privilegium ex jure Divino prout Clerici ad textum in can. si Imperator ubi glossa 96. distinct., sed tantum de jure positivo, discurrit, et firmat Cardinalis Albitius in aureo suo opere de inconstant. in fide *cap.* 29. *a n.* 29. *seqq. fol. mihi* 246.

Et nihilominus quaecumque deducta, excogitata, et figurata ad excusandos Birruarios ab incursu Censurarum, forsan tollerari possent quatenus ego unice insisterem in privilegio fori. Caeterum, nunquam trahenda sunt ad privilegium Canonis, quo Clericus etiam sine requisitis Concilii potitur, eo ipso quod talem esse palam factum fuit Birruariis per protestationem de Clericatu, et ostensionem Instrumenti ipsius cum sigillo, ut pluribus allegatis late firmat Fagnan. in 2. Decretal. *tom.* 3. *c. si quis de foro competenti n.* 72., *et seqq. fol. mihi* 49. 50., *et n.* 75. in fine ponit per extensum resolutionem Sacrae Congregationis Concilii tenoris sequentis -- Proposito dubio an Clerici qui decreto Concilii c. 6. sess. 23. privilegio fori privantur, intelligantur etiam privati privilegio Canonis. Sacra Congregatio censuit non intelligi privatos. Quod repetit idem Fagnan. *tom.* 7. *c. contingit il* 2. *de sent. ex com. fol. mihi* 182., et optime Antonell. de regim. *lib.*

4. *c.* 2. *n.* 2. *fol. mihi* 233. *et* 234. ubi de percutiente Clericum non ignoratum etiam sine habitu, et Tonsura repertum, quod incurrat excommunicationem canonis si quis suadente Diabolo.

Hinc ad retardandam declarationem incursus Censurarum, et se ipsos confovendum in Censuris ipsis, oppositum fuit pro parte Fiscalis, et Satellitum Curiae Secularis de legitimatione processus; quam in casu de quo agitur nullatenus admittendam credidi. Sumus namque in Violatoribus Immunitatis, et Jurisdictionis Ecclesiasticae, contra quos ob periculum animarum, et maxime contumaces praxis est procedendi cum depositionibus etiam informibus, minusque autenticis, et mere extrajudicialibus, quae exuberant, ut in specie ratiocinatur Pignatell. consult. can. 168. *alias* 169. *n.* 32. *consult.* 170. *n.* 3. *tom.* 1. *fol.* 348., *et* 350. Panimoll. *d.* 85. *n.* 8. *tom.* 2. *fol.* 280. a quibus allegatur sic fuisse decisum a Sac. Congreg. Immunitatis in celebri Neapolitana contra Judicem Califfanum 26. Martii 1629., et Panimoll. *n.* 9. *loco cit.* allegat Breve Clementis VIII. emanatum usque; et d. anno 1597. quo statuitur in quaestione Immunitatis sufficere informationem summariam, simplicem, et extrajudicialem pro sola Episcopi conscientia Sperell. *d.* 48. *a n.* 50. *cum pluribus seqq. tom.* 1. *fol.* 217. Rot. decis. 247. *n.* 6. *p.* 15. *recentior.* Et generaliter de consuetudine in Curiis Ecclesiasticis praesertim contra contumaces post Clarum, Farinaccium, et alios firmat Carthar. decis. Crimin. for. Archiep. Mediolan. 62. *a n.* 14. 15. *fol.* 332., *et d.* 79. *n.* 7. 8. 9. *fol. mihi* 422. Ricc. *decis.* 134. *per totam*, *et praesertim n.* 2. *in fine*, *et seq. p.* 4. Genuen. in prax. Archiep. Neapol. *c.* 23. *n.* 19. 20. *juxta impressionem Romae anni* 1913. *fol. mihi* 117.

Quam praxim etiam approbavit Sacra Rota Romana, quae distinguendo ad effectum procedendi contra Violatores ad ulteriores poenas, nimirum ad privationem Officiorum, Beneficiorum, ac fructuum perceptorum, statuit legitimandum esse processum cum examine testium servatis servandis. Non autem ita, ad effectum declaratoriae pro emendatione facti, et ut abstineant Violatores ab ulterioribus violentiis, et gravaminibus Immunitati Ecclesiasticae, atque ab actibus positivis in committendo, ex quibus in excommunicationem inciderunt; Hoc namque casu, omissis solitis terminis Judicialibus, admitti probationes resultantes ex testibus minus solemniter, et extrajudicialiter examinatis post Vestrium, et Votum Tarquinii Urbani apud Rembold. *disc.* 6. *n.* 22. firmatur in praeallegata *d.* 247. *n.*

7. *p.* 15. *recent.*, coram b. m. Priolo *d.* 357. *n.* 5., et generaliter coram S. M. Innocentio X. *d.* 366. *n.* 7. *seqq.* cum aliis de more eruditissime relatis per Illustrissimum, et Reverendiss. D. meum Planettum Episcopum Tudertinum in ejus dissertatione anno 1693. Sacrae Congregationi Immunitatis directa *fol. mihi* 73. *§. brevemente cum sequentibus.*

Alias nunquam, vel raro ob potentiam, et subterfugia Magistratus Secularis a Curia Ecclesiast. possent haberi probationes, ut considerant Panimoll. *n.* 8. caeterique superius allegati, et admisit individualiter Sacra Congreg. Immunitatis in Aquapenden. obsidionis Ecclesiae 2. *Octobris* 1691. ubi non solum fuerunt approbatae Censurae a me fulminatae contra Praetorem Canini, dum eram Episcopus dictae Ecclesiae, non obstante tali oppositione legitimationis processus, sed ulterius remotus fuit ab Officio de ordine Sacri Collegii tempore Sedis vacantis idem Praetor immunitatis Violator sicque et temporaliter, et spiritualiter punitus.

Indubitanter dum non processum fuit de facto, sed praevia citatione, et monitorio ad allegandum, et opponendum quicquid etc. et ad dicendum causam quare, etc. cum termino non horarum, sed trium dierum, successive cum nova citatione prorogato, in quibus terminis communicatis scripturis Fisco seculari, nihil deductum videtur quod relevet, sed tantum verba, discursus, et figmenta, ut prosequitur Panimoll. *d. d.* 85. *a n.* 15. *usque ad finem fol. mihi* 280. Proindeque firmum remanet, prout constat in actis, quod Birruarii fuerunt dolosi, et culpabiles in ipso actu comprehensionis, sicque punibiles, ut arguit Pignatell. exadverso allegatus *tom.* 9. *consult.* 27. *n. finali fol. mihi* 57.

Cum autem injuria illata Ordini Ecclesiastico esset publica, ipsaquemet controversia divulgata, et per ora criticantium deducta, non amplius erat in mea potestate, ut aliqui crediderunt dissimulare, Censurasque contra Contumaces, inobedientes, ac turbantes retardare, sub poena depositionis, qua subjacent, et mulctantur tali casu ordinarii Immunitatem, et Jurisdictionem Ecclesiasticam gladio Censurarum non defendentes, seu defendere detrectantes, ut bene advertit Genuen. in prax. Curiae Archiep. Neapol. *cap.* 6. *in fine*, *ubi Add. n.* 9., *et cap.* 7. *n.* 4. *fol. mihi* 39. 40. Thesaur. de poen. Eccl. *parte* 2. *cap.* 10. *verb. jurisdict. laic. abuten. n.* 2. *fol.* 207. Mazzuc. in spec. Episcop. *parte* 4. *n.* 57. 58. 59. *fol. mihi* 158. *seqq.*, et relatis Sperell. Cortiad. et Cartar. optime Quesada controv. *cap.* 28. *n.* 31. *fol. mihi* 290. Andr. de Sausarii in Pano-

plia Clerical. *p. p. lib.* 7. *de disposit. positivis vers. axioma Juris fol. mihi* 343. 344. *per text. in c. Clericis vers. nonnulli Ecclesiarum Praelati de Immunitate Ecclesiast. in* 6.

Minusque obstat quod Clericus fuerit jam consignatus Curiae Ecclesiasticae, unde Biruariis nil remaneat agendum pro reintegratione lesae Immunitatis, et jurisdictionis ejusdem Ecclesiae. Siquidem non agitur de Censuris ab homine, sed fulminatis a Jure ob crimen jam consumatum, ac violentam manuum injectionem in Clericum, auctoritativamque ejusdem districtionem, et carcerationem, ac proinde ad compescendam temeritatem Birruariorum ita publice, et scandalose jurisdictionem, et ordinem Ecclesiasticum contemnentium, et parvi pendentium, utque aliis exemplo sint, ad Censurarum declarationem proceditur, non obstante quod sequuta fuerit satisfactio Ecclesiae, ac restitutio, seu consignatio Carcerati, ut in specie firmant Ricc. *decis.* 135. *p.* 2. *per tot fol.* 207. Gennen. in prax. *cap.* 23. *n.* 1. 2. *e* 3. *fol.* 109. Sperell. *d.* 160. *a n.* 45. *fol. mihi* 409. *tom.* 2.

Quae autem dicuntur quod Birruarii nec percusserint nec suadente Diabolo aliquid egerint contra Clericum; sed solum suadente, immo imperante Superiore Officium suum expleverint, poterant omitti, et reservari. Nam quaelibet actio contra Immunitatem corporis proprii, seu contra Jus, quod unusquisque habet in corpus suum, immo solus tactus injuriosus, seu violenta manus injectio, aut apprehensio, concussio, seu auctoritativa districtio, facit quem incidere in excommunicationem Canonis si quis, ex magistraliter, et luculenter firmatis per Sperellum tota *decis.* 45. *t.* 1. *fol. mihi* 203., quam pro omnibus allegare sufficiat.

Pro coronide autem, et securiori decisione hujus controversiae, liceat mihi transcribere casum consimilem immo in durioribus terminis, Clerici nimirum Conjugati in habitu omnino laicali reperti, et arrestati per Birruarios Curiae Secularis, quibus dum ducebatur ad Carceres obviam fuit Vicarius Foraneus testificando talem esse Clericum Conjugatum; cui soli assertioni credentes Birruarii, melius instructi in urbanitate, quatenus daretur in hac progenie, quam nostri, qui non crediderunt assertioni ipsiusmet Episcopi in Testimonialibus subscripti, dimisso, et relaxato in ipsa via asserto Clerico capto, adhuc per me, dum Vicariatus honore fungebar Sanctissimi Domini Nostri Papae Innocentii XII. in minoribus Archiepiscopi Liciensis, ex motivo quod captus erat Clericus non ignoratus, et Birruarii ignorantiam affectaverint; fuerunt propterea

declarati incursi in Censuras, et affixi Cedulones. A quibus reclamantibus Birruariis, et plura allegantibus pro excusatione, signanter assertum Clericum Conjugatum repertum in habitu laicali, actualiter Datiarium, seu Publicanum, et statim in ipso itinere dimissum, et statim relaxatum absque incarceratione sub simplici testimonio Vicarii Foranei.

Nihilominus Sacra Congregatio Immunitatis proponente R. P. D. Bottinio, Causa acerrime discussa, ac utraque parte informante declaravit ut infra -- *Censuras substineri, ac satisfacta parte detur Vicario facultas absolvendi in forma Ecclesiae consueta* pro cujus partis satisfactione fuerunt a me taxatae expensae, et refectae per Censuratos.

Quo vero ad merita causae, et asserto delicto pro quo dicitur Clericus carceratus nihil habeo in actis: et nihilominus sequuta declaratione superClericatu censui prudentialiter expedire illum libere non dimitti, sed cum cautione de habendo Domum pro Carcere.

Haec rudi calamo inter angustias paucarum horarum notata sunt, nam charitas erga proximum Carceratum adhuc exclamantem, urget. Post haec scripta pervenit ad notitiam Decretum Sacrae Consultae emanatum sub die 18. currentis Mensis -- *Gubernator consignet Carceratum cum processu Curiae Episcopali.* Unde omnia per nos gesta comprobata remanent, nobis insciis; adeout amplius redargui non possint.

Et sub die 9. Novembris 1697, Sac. Congregatio Immunitatis approbando Censuras fulminatas rescripsit ut infra.

A Monsig. Vescovo di Jesi -- Sono ricorsi con loro Memoriale alla S. Congregazione dell' Immunità Ecclesiastica Gio. Bagarini Barigello della Corte Secolare di cotesta Città, Giacomo, Giovanni, Settimio, Francesco, e Carlo suoi Sbirri per impetrare l' assoluzione della Scomunica, nella quale sono stati da V. S. dichiarati incorsi, per aver carcerato in cotesta città il Chierico Giulio Giuseppe Cimarroni della Diocesi di Sinigaglia, non ostante ch' egli esibisse loro la Dimissoria, con allegare per scusa di averlo trovato in abito secolare, benchè ciò non possa loro suffragare, quando anche sussistesse; e questi Eminentissimi miei Signori sono benignamente condescesi a rimettere all' arbitrio, e prudenza di V. S. l' assoluzione degli Oratori da detta Scomunica nella solita forma della Chiesa, purchè sia seguita la dovuta reintegrazione della Giurisdizione Ecclesiastica, e la soddisfazione della parte, con imporre loro Salutari penitenze, comunicandosele in vigore della presente lettera la facoltà necessaria, e Dio la feliciti.

Di V. S. etc.

Come Fratello
G. Card. di Carpegna.

FINIS.